



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

Liber Primus. De Personis Ecclesiasticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)



LIBER PRIMUS

DE

PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Persona Ecclesiastica latius sumpta in Laicos & Clerum dividitur. *Can. duo sunt. 7. caus. 12. q. 1.* Laici sive populus sunt, quibus licet temporalia possidere, uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, causas agere, cæterasque sæculares actiones exercere; hi sunt personæ Ecclesiasticæ; quia per Baptismum in Ecclesiam recepti, & in album Christianorum relati sunt. Clerici sive personæ Ecclesiasticæ strictius sumptæ sunt, qui mancipati divino Officio, & dediti contemplationi & orationi, ab omni strepitu sæcularium cessant, Clerici appellati, id est: sorte electi; omnes enim DEUS in suos elegit. *Cit. can. duo sunt.*

Clerici in tres classes dividuntur: *1mo.* Quidam sunt in Sacerdotio, ut Episcopi & Presbyteri. *2do.* Alii sunt in Sacris, ut Diaconus & Subdiaconus. *3to.* Quidam nec in Sacerdotio, nec in Sacris; ut in minoribus Ordinibus constituti, qui Ordines licet sint sacri, & reverà Sacramenta, comparative tamen ad majores Ordines sacri non appellantur. In Sacerdotio constituti alii sunt in digniori Hierarchia Ecclesiasticæ gradu, aut in altiori Ordine, ut Canonistæ volunt, quales sunt Episcopi. Alii inferiorem gradum obtinent, ut simplices Sacerdotes. De omnibus his Personis tractabunt Tituli sequentes.

TITULUS PRIMUS.

DE

EPISCOPIS.

Episcopi Græcè, Latine Speculatores interpretantur; nam Speculator est Præpositus in Ecclesia dictus, eò quòd speculetur & prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam. *Can.*

Cleros. 1. dist. 21, Quia autem in Episcopo & Ordinis dignitas, & muneris præeminet potestas, quæ ad ea pertinent, duobus sphis complectimur.

S. Primus.

D E

Dignitate Ordinis Episcopalis.

Quæres primo. An Episcopatus à Sacerdotio sit Ordo distinctus? R. Non esse distinctum Ordinem, nec imprimere distinctum characterem: Concordantur in hoc puncto Canonistæ cum Theologis, quòd opinio Canonistarum procedat, si Hierarchia Ecclesiastica inspiciatur, quia Episcopatus est altior gradus in Ecclesia, quàm simplex Sacerdotium; Theologorum verò opinio vera est inspecto ministerio Sacerdotum & Pontificum, qui idem Sacrificium incruentum Deo offerunt, Dum ergo Canonistæ primam Tonsuram & Episcopatum Ordines vocant, per Ordinem non Sacramentum, sed gradum & dignitatem intelligunt, & per characterem non effectum Sacramenti, sed formam signi alicujus externi in Tonsurato, aut dispositionem gradus in Episcopo, per quam Ordo sive character Sacerdotalis prius in anima impressus extenditur, & analogicè ampliatur, unde Tonsura & Episcopatus sunt veluti extrema unius integri Ordinis, istud initiationis, hoc perfectionis cujusdam per accessionem Hierarchicæ potestatis.

Quæres 2do. An Episcopi ab initio Ecclesiæ à Sacerdotibus fuerint distincti? R. Affirmativè? Quia Episcopi tam in jurisdictionis, quàm Ordinis potestate sunt Presbyteris superiores, & Episcopi in Apostolorum, Presbyteri autem in

Discipulorum locum successerunt. *Can. in novo. 2. dist. 21. can. quorum vices. 6. dist. 68.* Idem contra Hæreticos defini- vit Trident, sess. 23. cap. 4. anathema dicens iis, qui dixerint Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel potestatem, quam habent, illis cum Presbyteris esse communem, *ibid. can. 7.* Et licet in principio nascentis Ecclesiæ nomina inter Presbyteros & Episcopos videantur fuisse communia, reverà tamen Episcopi à Presbyteris utpote eorum Judices, Correctores & Rectores fuerunt distincti, ut patet ex illo S. Pauli *1. ad Tim. 5. Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus.*

Quæres tertio. Qualiter Episcopi in Ecclesia sint Successores Apostolorum? R. Plures sunt status in Ecclesia, qui Apostolis succedunt; nam 1mo Religiosi Apostolorum locum tenere dicuntur, quoad renuntiationem proprietatis, *Can. ex autoritate. 24. caus. 16. q. 1.*

2do. Sacerdotes succedunt Apostolis, in quantum Christo ante ejus mortem astiterunt, quia tunc erant Apostoli simplices Sacerdotes.

3tio. Apostoli post passionem Christi, antequam ab invicem separarentur, astiterunt Petro tanquam primo Pastori, & sic iis in Ecclesia succedunt Cardinales.

4to. Apostoli post separationem ab

B 2

invi-

invicem ad prædicandum in totum Orbem dispersi sunt, & in hoc statu Episcopi propriè vices Apostolorum gerere dicuntur. *Can. in novo. dist. 21. can. videntes. 16. caus. 12. q. 1. can. manus. 4. de consecrat. dist. 5. Trid. loc. cit.* Episcopi tamen Apostolis non successerunt in omnibus, ut in dono linguarum, gratiâ sanitatum, virtute miraculorum, auctoritate scribendi Libros Canonicos, & aliis privilegiis personalibus Apostolorum, ut concionandi per totum mundum, creandi ubique novos Episcopos, &c. quæ specialiter Apostolis concessa, & cum eorum personis extincta sunt.

Quæres *quartò*. Qualia nomina Episcopi ex jure habent? *R.* Vocantur *1mò* *Episcopi*. Episcopatus vocabulum indè dictum, quòd ille, qui efficitur Episcopus, superintendat, scilicet curam gerens subditorum; Episcopi enim Græcè, Latinè Speculatores interpretantur. *Can. Cleros. 1. dist. 21.* quia Episcoporum proprium munus est gregis sibi crediti vitam moresque explorare, eorum saluti invigilare, &c.

2dò. *Summi Sacerdotes. can. videntes. 16. caus. 12. q. 1. cap. unic. §. per frontis. de sacra Unctione. can. accusatio. 15. causa 2. q. 7.* quia Episcopatus est supremus Ordo inter omnes, & major omnium Ordinum in Ecclesiâ DEI. *Can. manus. 4. de consecrat. dist. 5. cap. 1. de privilegiis.*

3tio. *Antistites*, ex duplici congruentia, vel quia ante suos subditos stant loco, moribus, scientiâ, sanctitate præ reliquis ornati, vel quia stant contra alios pro subditis; Episcopus enim tanquam Pastor pro grege commisso contra

hæreticos & Christiani nominis hostes, ac contra ipsum Diabolum stare debet, *Gloss. in Clement. 2. de sepultur. verb. Antistites.*

4to. *Præsules*, ad præsidium, eò quòd in publicis actibus celsior illis debeatur locus, qui eorum dignitati & præeminentiæ correspondeat. *Trid. sess. 25. de reform. cap. 6.*

5to. *Pastores*, ab officio pascendi oves, quas agnoscere tenentur, ac Verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pro eis Sacrificium offerre, pauperum aliarumque personarum indigentium curam gerere, & in cætera pastoralia munia vigilanter incumbere ex præcepto Divino obligantur, ut colligitur *ex can. sciscitaris. 47. caus. 7. q. 1.* & exprimitur in *Trident. sess. 13. de reform. cap. 1.* In cujus officii pastoralis signum datur baculus vel pedum Episcopale.

6to. *Legati. can. in novo. 2. dist. 21. Clement. 1. de pœn.* quia pro Christo legatione funguntur.

7timò. *Dicæcelani. Clement. 1. de vita & honestate Clericor. Clem. 1. de jure patronat.* Dicæcelis enim dicitur parochia Episcopi, & Dicæcelis est propriæ baptismalis Ecclesiæ territorium sive gubernatio; sicut enim territorium à terendo dictum est districtus jurisdictionis vel potestatis laicalis, ita Dicæcelis dicitur à distinguendo vel dividendo Ecclesias ab Ecclesiis alterius Episcopatus. *Gloss. in cap. statutum. 11. §. cum vero. verb. de sua. de rescriptis. in 6.* Tam propriè autem competit Episcopo nomen

Dicæ-

Dioecelani, ut non conveniat Prælati inferioribus. *Gloss. in Clement. 1. de vita & honestate Clericor.*

8^{vo} demùm Ordinarii appellantur. Patet *ex cap. Ordinarii. 3. de officio Judicis ordinar. in 6.* Sub quo tamen nomine Prælati quoque inferiores Episcopalem habentes jurisdictionem veniunt. *Gloss. ibid.* præsertim verò Episcopi Vicarius eodem nomine includitur.

Quæres *quintò*. Qualis inter Episcopos distinctio? *R.* In tres gradus vel secundùm aliquos in quatuor dividuntur. 1^{mo}. Sunt simpliciter Episcopi, qui singulis civitatibus cum Dioeceli præsent. 2^{do}. Metropolitanus sive Archiepiscopi, qui singulis præsent Provinciis. 3^{io}. Primates, qui pluribus provinciis præsent, vel quibus subjiuntur Archiepiscopi. 4^{to}. Patriarchæ, qui ferè solo nomine à Primatibus hodiè distinguuntur.

Ordo Ecclesiasticus quadripartitus quoad Episcopatum est Juris Divini, quoad potestatem jurisdictionis seu regiminis Juris humani, quamvis distinctio illa hierarchica ab ipsis Apostolorum temporibus fuerit, ut liquet *ex Can. in illis. 2. dist. 80. & can. Urbes. ibid.* Nam in illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos *primi Flamines* eorum atque primi Legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel Patriarchas B. Petrus voluit. Qui reliquorum Episcoporum causas, & majora, quoties necesse foret, negotia in fide agerent; in illis autem civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant *Archiflamine*s, Archiepiscopos constitui præcepit,

in singulis verò reliquis civitatibus singulos, & non binos vel ternos aut plures Episcopos constitui præcepit, qui Episcoporum tantùm vocabulo potirentur; quoniam nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit. Hæc Clemens Papa *in can. in illis cit.*

Quæres *sexto*. Qualis prærogativa Patriarcharum? *R.* Antiquitus primum post Roman. Pontificem locum tenebant Patriarchæ, quales sunt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, Antiochenus. *Can. renovantes. 6. dist. 22. cap. antiqua. 23. de privilegiis.* Verùm Cardinales hodiè non cedunt Patriarchis; nam Cardinalatus indies crescit, & Patriarchatus decrefcit, postquam dictæ quatuor Sedes Patriarchales devenerunt ad manus Infidelium.

Quæres *septimo*. Qualis prærogativa Archiepiscoporum? *R.* Archiepiscopi, qui & Metropolitanus dicuntur à Metropoli, id est: civitate matrice, seu civitatum matre, ubi Metropolitanus sedem habet, privilegiatam habet potestatem in suos subditos, in Episcopos suffraganeos, & in subditos suffraganeorum. Archiepiscopus cum consensu Primatis consecratur à tribus Suffraganeis, omnibus Comprovincialibus præsentibus, vel literis ad minus consentientibus. *Can. 1. can. quia. 6. dist. 64. cap. si Archiepiscopus. 6. de tempor. ordinat.* Deindè quoad executionem muneris Archiepiscopalis consecratus illud exercere non potest, antequam pallium Archiepiscopale acceperit, imò ante illius traditionem se Archiepiscopum nominare nequit, eò quòd

in pallio pastoralis officii plenitudo cum Archi-Episcopalis nominis appellatione conferatur. *Cap. nisi specialis. 3. de auctor. & usu pallii.*

Quæres octavo. Quæ jura & præeminentiæ Archiepiscopi circa suos Episcopos suffraganeos? *R. 1mo.* Electos confirmat. *Can. 1. dist. 64. cap. innotuit. 20. cap. cum dilectus. 32. de election. cap. inter 2. de translat. Episcopi. 2do.* Suffraganeos vel per se vel per alium consecrat. *Can. qui in aliquo. 5. dist. 51. & totâ dist. 64. & 65. cap. Suffraganeis. 9. de election. 3tio.* Ceteros Comprovinciales ad consecrationem Suffraganei convocat. *Can. non debet. 2. dist. 65. 4to.* Injungit, ut quæ observantur in Ecclesiâ Metropolitana, in Cathedralibus Suffraganeorum quoque observentur. *Cap. dilectus. 30. de simon. 5to.* Singulis trienniis provincialem Synodum, cui ipse præsidet, convocat. *Can. quoniam. 7. dist. 18. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 2.* In Concilio Provinciali abusus & quæstiones circa Imagines, Miracula, Reliquias, &c. ortas unâ cum Synodo dijudicat, de causa absentiarum suorum Suffraganeorum ab Ecclesiis Cathedralibus statuit. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 1. Aliaque quamplura ex dicto Concilii Decreto cum Suffraganeorum judicio ordinat ac statuit. Trid. Sess. 24. cap. 3. & Sess. 23. cap. fin. 6to.* Curat, ut Suffraganei in suis Ecclesiis resideant. *Trident. Sess. 23. cap. 1. de reform. 7imo.* Compellit, ut Suffraganei suis subditis justitiam administrent. *Can. conquestus. 8. caus. 9. q. 3. can. in nona. 22. caus. 16. q. 7. Trident. Sess. 23. de reform. cap. 18. 8vo.* Suffraganeos suspendit, interdicit,

excommunicat. *Cap. Venerabili. 52. de sentent. excommun. 9no.* Suffraganeorum defectus supplet. *Can. cum simus. 3. caus. 9. q. 3. cap. 1. de censib. in 6. 10mo.* Eorum vel civiliter vel criminaliter conventorum causas cognoscit. *Can. quia cognovimus. 6. caus. 10. q. 3. cap. sollicitudinem. 54. de appellat. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 5. 11mo.* Appellationes à sententiis Suffraganeorum suscipit. *Cap. ut litigantes. 5. de officio ordinar. in 6. cap. Romana. 3. de Appellationibus. in 6. 12mo.* Visitat Dioceses Suffraganeorum, causâ tamen prius in Concilio provinciali cognitâ & probatâ. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 3. 13tio.* Demum Sede vacante ex morte Suffraganei vel aliâ, quamvis administratio ad Capitulum pertineat. *Can. non liceat. 48. caus. 12. q. 2. cap. si Episcopus. 3. & cap. fin. de supplend. negligent. Prælator. in 6.* In duobus tamen casibus viduæ Ecclesiæ Cathedralis Archiepiscopus curam habet: imprimis si Capitulum Cathedrale Viros idoneos non habeat, *cit. can. non liceat.* Deindè si idoneos habet, sed negligentes; hoc enim casu Archi-Episcopus ob negligentiam vel malitiam Capituli (eo vocato, causâque super hoc cognitione præmissâ) Visitatorem seu Administratorem eidem Ecclesiæ licitè poterit deputare. *cit. cap. fin. de supplenda negligentia Prælatorum. in 6.*

Quæres nono. Quæ jurisdictio Archi-Episcopi in subditos Suffraganeorum? *R.* Eam in quatuordecim habet casibus: *1mus.* In causa appellationis. *cap. duo simul. 9. de officio ordinar. cap. 1. eod. in 6. 2dus.* In causa totam provinciam concernente

cernente ad tollendam pravam consuetudinem. *cap. ad extirpandas. 11. cap. fin. de filiis Presbyter. 3^{tius}.* In causa injuriarum à subditis Suffraganeorum Archiepiscopo vel familiæ ejus illatarum. *cap. 1. de pœnis. in 6. 4^{tus}.* In causa excessuum Canonicorum injustè contra suum Episcopum à Divinis cessantium. *cap. irrefragabili. 13. §. ceterum. de officio ordinar. 5^{tus}.* In punitione criminum notiorum, dum provinciam visitat, cum super his meritò notari possit Ordinariorum negligentia. *cap. 1. de censibus. in 6. 6^{tus}.* Corrigit subditos Suffraganeorum in divinis Officiis Ecclesiæ Metropolitanæ ritum non sequentes. *Can. de vis. 13. dist. 12. 7^{timus}.* Mittit Collectores eleemosynarum pro fabrica Metropolitanæ Ecclesiæ per Diœceses suffraganeas. *cap. 1. de pœnis. & remiss. in 6. 8^{vus}.* Mittit per totam provinciam edicta in calibus suam jurisdictionem concernentibus. *9^{vus}.* Concedit Indulgentias pro tota provincia. *cit. cap. 1. de pœnit. & remiss. in 6. 10^{mus}.* Interdicit officio prædicationis. *cap. tuarum. 11. de privilegiis. 11^{mus}.* Delinquentes extra totam provinciam in exilium ejicere potest. *12^{mus}.* Punit subditum Suffraganei in sua Diœcesi delinquentem, eundemque judicat in sua Archi-Diœcesi contrahentem, aut bona possidentem. *can. 1. & sequent. caus. 3. q. 6. 13^{tius}.* Injustè excommunicatum à Suffraganeo absolvit receptâ cautione juratoriâ. *cap. ad reprimendam. 8. de offic. ordinar. cap. quâ fronte. 25. de appellationib. 14^{tus}.* Demùm visitans provinciam suam exigit procuraciones. *cap. 1. de censib. in 6.*

Tunc etiam audit confessiones, & absolvit etiam à casibus Episcopo Suffraganeo reservatis.

Quæres *decimo*. Quid annexum habet dignitas Episcopalis? *Re.* Annexum dignitati Episcopali est gravissimum corporis ac animæ onus, quod tam sublime officium, ut in sequenti §. videbimus, necessariò concomitatur. De hoc onere emphaticè loquitur S. Augustin. relatus in *can. ante omnia. 7. dist. 40*. Nihil est in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud DEUM miserius, & tristius, & damnabilius: Nihil quoque difficilius, laboriosius, periculosius; sed apud DEUM nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Unde quia Episcopatus principaliter datur propter onerosum ejusdem officium, Episcopatus est nomen oneris, non honoris, ut dicitur in *can. qui Episcopatum. 11. caus. 8. q. 1*. Ideoque qui vocantur ad Episcopatum, non ad Principatum, sed ad servitium Ecclesiæ vocantur. Unde *Trident. Sess. 25. de reform. cap. 1*. Optandum est, ut, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partis agnoscant; ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro DEI gloriâ vocatos esse intelligant.

Quæres *undecimo*. Annon ergo Episcopatum appetere licet? *Re. cum S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 1*. In Episcopali dignitate, & in qualibet Ecclesiastica Prælatura tria considerari possunt: Officium, celli-

cellitudo, & præ eminentia officii ac bona temporalia eorumque sufficientia. Officium Episcopatus propter DEI cultum & proximorum salutem est institutum, cellitudinem annexam habet, quia Episcopus super alios constituitur, bona temporalia ad officium tanquam præmium laboris, & ad cellitudinem tanquam instrumenta virtutis & dignitatis honestamenta consequuntur, quapropter ipsum quidem officium Episcopale per se laudabiliter appetitur, cum opus Episcopale, aut functiones Episcopo dignæ sint actus charitatis, Religionis, justitiæ aliarumque heroicarum virtutum, absque dubio per se appetibiles; idèd dicit Apostolus: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Cum nihilominus Episcopalis officii exercitium eminentem requirat virtutem, hinc ipsum Episcopale officium absoluto & efficaci desiderio nunquam sine culpa appetitur, imò periculosum est in quocunque, quamvis ad hoc opus valdè aptus esse videatur, absolutum operis Episcopalis desiderium, cum ad illud exequendum ea necessariò requiratur dispositio, quam vix ullus sibi inesse absque præsumptionis nota suspicari potest. Deindè cellitudinem dignitatis Episcopalis ex se appetere præsumptionis & elationis est; idèd in *can. sicut is. 3. caus. 1. q. 6.* dicitur: Sicut is, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est Altaribus admovendus, sic qui ultrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus; nam qui sic nititur ad altaria conscendere, quid aliud agit, nisi ut crescendo decreseat, & ascen-

dendo exteriùs, interiùs ad profunda descendat. Demùm gravissimè peccant, qui propter reditus temporales vel honores mundanos tanquam propter finem, Episcopatum appetunt, quia illo abutuntur, dum ad alios fines extraneos eum referunt, & institutam à Christo ad agendum & laborandum dignitatem proprio suo sine præposterè privant.

Quæres *duodecimò*. Quotuplex est potestas Episcopalis? *Re.* 2plex: Ordinis & Jurisdictionis, inter quas sunt differentia sequentes: *1ma.* Potestatem Ordinis Episcopus per Consecrationem, potestatem Jurisdictionis per Confirmationem accipit.

2da. Jus dignitatis vel Ordinis coheret personæ, Jus administrationis vel jurisdictionis loco, cui præsidet. *cap. transmissam. 15. de elect.*

3tia. Quæ sunt Ordinis Episcopalis, ex consuetudine non Episcopis competere nequeunt. *cap. quanto. 4. de consuetud.* Quæ sunt dignitatis & jurisdictionis Episcopalis, alteri Episcopo inferiori personæ præscriptione aut alio jure speciali acquiri possunt. *cap. cum olim. 18. de præscript. cap. accedentibus. 12. de excessib. Pralator.*

Quæres *decimo tertio*. Quæ sunt Ordinis Episcopalis? *Re.* Solus potest Chryisma conficere, & Sacramentum Confirmationis ministrare. *can. per leclis. 1. dist. 25. can. quamvis. 4. dist. 68.* Oleum infirmorum & Catechumenorum conficere, Ecclesias consecrare, in Ecclesia consecrata Altaria erigere & consecrare, violata vel polluta reconciliare. *cap. aqua. 9. de consecrat. Eccles.* Clericis majores Or-

Or-

Ordines conferre, Episcopos consecrare, consecratos Clericos & Episcopos degradare. *Trident. Sess. 13. de reform. cap. 4.* Præter dicta potest Episcopus ratione Ordinis aliqua ex constitutione Ecclesiæ, quæ consuetudine, aut delegatione, aut privilegio minoribus Episcopo Prælati conceduntur, ut minores

Ordines & primam Tonsuram conferre, Virgines sacras benedicere. *can. perlectis. cit. Publicè pœnitentes in Missâ reconciliare. cit. can. quamvis. can. 1. caus. 26. q. 6.* Publicas pœnitentias injungere. *cap. accedentibus, 12. de excessib. Pralat. Calices, Patenas, Corporalia, Vestimenta Sacerdotalia, &c. benedicere.*

§. Secundus.

D E

Munere & Potestate Episcopali.

Quæres 1^{mò}. Quodnam munus Episcopi? *R.* Munus Episcopi in duobus consistit: 1^{mò}. In promovendo cultu Divino, augendâ & conservandâ Religione. 2^{dò}. In ovibus pascendis, iisque in viam salutis æternæ deducendis.

Quæres secundo. Quale munus Episcopi circa cultum Divinum, fidem & reverentiam DEI? *R.* Curare debet 1^{mò}. Si sit in terris Infidelium, ut omnes oves sibi subjectæ fidem suscipiant, Si in terris Fidelium, ut fidei rudimenta addiscant. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 4. 2dò.* Ut inanes & periculosæ Laicorum disputationes fidei tollantur. *Can. quoties. 12. caus. 24. q. 1. cap. quicumque. 2. de haret. in 6. 3^{tiò}.* Ut Verbum DEI populo prædicetur. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 4. 4^{to}.* Ne Sacræ Scripturæ verba ad superstitiones & alia profana & scurrilia convertantur, & adhibeantur. 5^{to}. Ne in Concionibus fabulæ & revelationes falsæ prædicentur. 6^{to}. Ne Libri de rebus sacris sine Authoris nomine imprimantur, vendantur, retineant. *R. D. Schnorrenberg Instit. 7. Can.*

tur, nisi prævio suo examine. *Concil. Lateran. cap. 10. de impressione libror. 7^{timò}.* Ut omnes artem magicam vel superstitiones exercentes aut docentes ex Diœcesi eradicentur. *Can. contra. 10. can. Episcopi. 12. caus. 26. q. 5. 8^{vo}.* Ne miracula nova tam Sanctorum canonizatorum, quam non canonizatorum non recognita & approbata publicentur. *Trident. in decreto de invocat. & venerat. Sanctor. Sess. 25. 9^{no}.* Ne Sanctorum ab Ecclesiâ canonizatorum Reliquiæ in Diœcesi nonnisi approbatæ publico cultui exponantur. 10^{mo}. Ne in DEI vel Sanctorum venerationem statuta Festa contemnantur, aut Fideles iis diebus Divinis interesse negligant, atque operibus servilibus aliisque illicitis operam navent.

Quæres tertio. Quid circa Divinorum Officiorum celebrationem curandum Episcopo? *R.* 1^{mo}. Ut Sacerdotes celebrent horis debitis. *Trident. Sess. 22. in decreto de observ. in celeb. Miss. 2^{do}.* Intra Ecclesiam in loco sacro ad id specialiter

C

cialiter

cialiter deputato, *ibid.* 310. Ne Sacerdotes exteri, nisi visis literis commendatiis celebrent, *ibid.* 410. Ut Sacerdotes curam animarum habentes saltem diebus Dominicis & Festivis celebrent. *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 14.* 510. Ut populus in propria parochia Missam audiat, ad hoc est adhortandus, non tamen per multam compellendus. 610. Ne musica impura in Ecclesiis habeatur. *Trident. in decreto de observ. in celeb. Miss.* 710. Ut populis diversarum linguarum & rituum in eadem Diœcesi morantibus Officia & Sacramenta secundum eorum linguas & approbatos ritus celebrentur & ministrentur.

Quæres quarto. Quid Episcopo in administratione Sacramentorum incumbit? *R. 1mo.* Ut ipse Confirmationem administret. *Can. Presbyteris. 119. de consecrat. dist. 4. cap. quanto. 4. de consuetud.* idque faciat in sua non aliena Diœcesi. 2do. Ut ipse Sacramentum Ordinis conferat. *cap. 1. de ordinat. ab Episcopo, qui renuntiav. Trident. Sess. 23. cap. 4. de Sacram. Ordin.* 310. Ut reliqua Sacramenta cum debita forma, ritu, materia, tempore legitimo, à personis dignis & habilibus, cum reverentia & honore debito ministrentur, Eucharistia honorificè & decenter asservetur. *cap. sanè. 10. de celeb. Miss.* 410. Ut Sacramentorum administratio sit gratuita. *can. placuit. 105. caus. 1. q. 1.* 510. Ut Concil. *Trident. Decretum de matrimoniis celebrandis publicetur. Trident. Sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* 610. Ut Sacramentorum omnium vis & robur à Parochis exponatur. *Trid. sess. 24. de reform. cap. 7.*

Quæres quinto. Quod Episcopi in pascendis ovibus officium? *R. 1mo.* Prædicare Verbum DEI, subditos docere, delinquentes corrigere, &c. *Can. audire. 2. dist. 25. can. sicut vir. 11. caus. 7. q. 1. cap. inter cetera. 15. de officio ordinar. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 4.* 2do. In cura animarum bonos & idoneos ministros & Rectores instituere. *Can. regenda. 4. caus. 10. q. 1. can. illud. 3. dist. 95.* 310. Inter subditos pacem componere. *can. studendum. 7. can. precipimus. 11. dist. 90.* 410. Pauperibus victum largiri, viduarum, orphanorum ac personarum miserabilium paternam curam gerere. *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1.* 510. Subditos monere, ne vanis & superfluis sumptibus bona sua consumant. *Clement. 2. de Magistris. 610.* Diœcesin suam sæpius visitare personaliter. *Can. relata. 9. can. decernimus. 10. can. Episcopum 11. caus. 10. q. 1.* *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 3.* 710. Semel quotannis Synodum totius Cleri convocare. *Can. annis singulis. 16. Et totâ fere dist. 19. 8vo.* Apud Ecclesias suas, quantum possibile, residere. *Trident. Sess. 23. cap. 1.* easque sine legitimis causis non deserere. *cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat.*

Quæres sexto. Quotuplex potestas jurisdictionis Episcopalis? *R.* Jurisdictio Episcopi in lege Diœcesana & lege jurisdictionis consistit. *cap. conquereute. 16. cap. dilectus. 18. de offic. ordinar.* Ad legem Diœcesanam pertinet vocatio ad Synodum, ad sepulturas mortuorum, Cathedralicum, quarta pars decimationum & mortuorum, Hospitalium pro-

procuratio, subsidium charitativum & similia, quæ consistunt in recipiendo. *Gloss. in cit. cap. dilectus. & in can. 1. caus. 10. q. 1.* Ad legem jurisdictionis pertinent commissio curæ animarum, delictorum puniatio, ordinatio Ecclesiarum, Altarium consecratio, quæ consistunt in dando.

Quæres *septimo*. In quas personas Episcopus habet jurisdictionem? *Re.* Habet in omnes & singulas suæ Diocesis, cujuscunque gradûs sint & qualitatis, tam in foro in - quam externo quoad causas & delicta Ecclesiastica, eorumque pœnas & censuras Ecclesiasticas, etiam quoad causas civiles, crimina & omnia genera peccatorum.

Quæres *octavo*. Quotplex Jurisdictio in personas? *Re.* duplex: Voluntaria & involuntaria, inter has jurisdictionis species duæ præcipuæ sunt differentiæ: *1ma.* Quod voluntaria non nisi in volentem exerceatur, sed necessaria, sive contentiosa, ut alii volunt, potest etiam in invitos exerceri. *2da.* Quod voluntaria etiam extra territorium exerceri queat, non tamen contentiosa, nisi Judicis territorialis, & verè etiam partium litigantium consensus accedat. *cap. fin. de constitutionib. in 6.*

Quæres *9no*. Quæ pertinent ad jurisdictionem necessariam & contentiosam? *Re.* *1mo.* Facere & promulgare constitutiones, sacris tamen Canonibus non obviantes. *Can. Catholica. 8. dist. 11. cap. si quis. 2. de major. & obedient. 2do.* Subditos coërcere, corrigere, suspendere, degradare, beneficiis privare, pœnas & censuras imponere, & si sint tam gra-

via delicta, ut per pœnas spirituales sufficienter puniri non possint, cum Ecclesia gladio non utatur, brachium invocare sæculare. *cap. 1. de officio ordinar. 3tio.* Exercere Pontificalia.

Quæres *decimo*. In quo Jurisdictio voluntaria consistit? *Re.* In dispensatione & absolutione. Dispensatio versatur circa quatuor: *1mo.* Episcopus dispensat Sacramenta, in quorum administratione non est usus Pontificalium. *2do.* Dispensat in irregularitate tam pro Ordinibus suscipiendis, quam pro ministrando in susceptis, *3tio.* Dispensat circa habilitatem ad beneficia, dignitates & officia Ecclesiastica suscipienda. *4to.* Dispensat circa facultatem ad contrahendum matrimonium contra impedimenta Canonica dirimentia & impediencia. Absolvit Episcopus *1mo* à votis Pontifici non reservatis, *2do* à juramentis. *3tio* à censuris Pontifici vel alteri non reservatis. *4to* à peccatis Pontifici non reservatis.

Quæres *undecimo*. In quas res & loca Episcopus habet jurisdictionem? *Re.* *1mo.* Omnes Ecclesiæ, Parochiæ, Monasteria, Hospitalia & quælibet pia & religiosa loca in sua Diocesi sub regimine sunt Episcopi. *Can. regenda 4. caus. 10. q. 1.* exceptis exemptis.

2do. Omnes res & bona Ecclesiastica, beneficia, Ecclesiarum jura in Diocesi ad regimen pertinent Episcopi. *Can. nullus. 11. caus. 16. q. 7.*

3tio. Causas ad forum Ecclesiasticum spectantes, etiam si beneficiales sint, Episcopus cognoscit in prima instantia ad minus, & in Diocesi sua terminat, ac executioni demandat. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 20.* C 2 4to.

40. Ecclesias omnes, loca Ecclesiastica omnia, res omnes visitat Episcopus, & in visitando necessaria & opportuna ordinat & disponit jure exemptorum salvo. *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 8. Sess. 24. de reform. cap. 3.*

50. Omnia legata pia & ad pias causas, ut præstentur, curat. *cap. nos quidem. 3. cap. si heredes. 6. cap. Joannes. 19. de testam. Trident. Sess. 22. de reform. cap. 8.*

60. Criminales pœnas ad suum arbitrium locis piis aut pauperibus distribuit.

Quæres duodecimo. Quanam est delegata Episcopi potestas? R. In calibus pluribus, ad quos jurisdictio ordinaria se non extendit, ut in exemptos, vel aliter hæc jurisdictio est limitata, Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus agit. Sunt autem sequentes: 1mo. Supplet in multis Abbatum exemptorum negligentiam. *Clement. unic. de supplend. negligent. Prælator.*

2do. Procedit contra exemptum hæresin docentem. *Trident. Sess. 5. de reform. cap. 2.*

3tio. In Ecclesiis personalem residentiam exigentibus, si beneficiati, quò minus resideant, dispensati, Vicariis de congrua fructuum portione providet. *Trident. Sess. 6. de reform. cap. 2.*

4to. Exemptarum Ecclesiarum Capitula & Canonicos, cum necesse fuerit, visitat & corrigit. *Trident. Sess. cit. cap. 4.*

5to. Cognoscit, utrum ob- vel subreptitiæ sint à sacra Sede obtenta publici criminis absolutio vel pœnæ remissio. *cap. si quando. 5. de rescriptis. cap. ex parte. 5. de officio ordinar. Dispensationes obtentæ. Trident. Sess. 22. de reform. cap. 5.*

6. Constitutio vel consuetudo à Sede Apostolica approbata de conferendis Canonicatibus. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 14.*

60. Corrigit etiam extra visitationem Clericos à sua jurisdictione exemptos. *Trident. Sess. 14. de reform. cap. 4.*

7imo. In Ecclesiis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, separat tertiam partem fructuum quorumcunque beneficiorum, & in distributiones quotidianas convertit. *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 3.*

8vo. Imperitis & illiteratis, honestæ tamen vitæ, Parochis Coadjutores & Vicarios assignatâ eis congruâ parte fructuum deputat. *Trident. Sess. 21. cap. 6.*

9no. Monasteria & beneficia commendata, in quibus non viget regularis observantia, singulis annis visitat. *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 8.*

10mo. Episcopos vicinos visitat, emendat & corrigit Sæculares in Ecclesiis, quæ nullius Diœcesis esse dicuntur. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 9.*

11mo. Ordinat & præhibet, quæ in celebratione observanda & vitanda. *Trident. Sess. 22. in Decreto de observ. in celebrat. Miss.*

12mo. Ecclesiasticorum Judicum Notarios examinat, & in idoneis repertis vel ad tempus vel in perpetuum exercitium sui officii interdicit. *Trident. Sess. 22. de reform. cap. 10.*

13tio. Contra Protonotarios, Comites Palatinos aliosque Privilegiatos procedit. *Trident. Sess. 24. de reformat. cap. 11.*

14to. Clausuram monasteriorum monialium exemptarum visitat, violatam restituit, inobedientes per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas compescit, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. *Trident. Sess. 25. de regular. cap. 5.*

15to. Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, si se in congregationes non redigant, & juxta formam *cap. in singulis de Statu Monachor.* Certos visitatores deputent, Episcopo sunt subjecta. *Trid. ibid. cap. 8.*

16to. De Jure patronatûs quorumcunque beneficiorum & dignitatum minùs legitimè constituto vel acquisito cognoscit.

17mo. Curat, ut omnes dispositiones piæ sortiantur effectum. *Trid. Sess. 22. de reform. cap. 8.*

18vo. Quòd si Delegatus summi Pontificis negligens sit, negligentiam ejus non autoritate delegatâ, sed ordinariâ supplet Episcopus. *cap. significavit. 6. de officio ordinar.*



TITULUS SECUNDUS.

DE

SUMMO PONTIFICE.

DE summo Pontifice sic loquitur *can. Cleros. 1. dist. 21.* "Pontifex
" Princeps Sacerdorum est, quia
" via sequentium, ipse & summus Sacer-
" dos, ipse & Pontifex maximus nuncu-
" patur, ipse enim efficit Sacerdotes atque
" Levitas, ipse omnes Ecclesiasticos Ordi-
" nes disponit, ipse, quid unusquisque
" facere debeat, ostendit. Antea autem
" qui Reges erant, & Pontifices erant;
" nam Majorum erat hæc constitutio, ut
" Rex esset etiam Sacerdos & Pontifex."
Quapropter licet quivis Episcopus dica-
tur Pontifex, hodie tamen Romanum
Antistitem S. Petri in Cathedra Succes-
sorem, & supremum Christi in terris

Vicarium quasi per excellentiam vocamus Pontificem, qui & communi vocabulo Papa appellatur. De quo

Quæres primo. Unde nomen Papa?
R. A Græca voce παππς, qui patrem, vel potius avum & patrum patrem significat, *Gloss. in proœm. Clementinarum. verb. Papa.* Hoc nomine aliquando Patriarchæ & Archiepiscopi sunt nominati, propriè tamen & antonomasticè solus Romanus Pontifex ita solet appellari, quia universalis Ecclesiæ Antistes omnium Fidelium communis Pater, Episcopus Episcoporum, & Ordinarius est Ordinariorum.

Quæres 2do. Quot sunt summi Pontificis potestates. R. Tres. Habet enim

potestatem Pontificis sive Episcopi universalis Ecclesie, 2do. Potestatem Episcopi Romani. 3tio. Potestatem Principis secularis.

Quæres tertio. Qualis prima summi Pontificis potestas? R. Est omnium maxima à DEO immediatè accepta, Christi in terris Vicaria, ordinaria & perpetua, ad omnes baptizatos se extendens. *Can. cuncta per mundum. 17. seqq. & can. 9. q. 3.* Hanc Papa vel per se immediatè, vel mediatè per alios inferiores Prælatos, in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis vocatos, exercet. *Can. quis nesciat. 11. can. 1. & seqq. dist. 22. can. qui se scit. 12. can. 2. q. 6. cap. ad honorem. 4. de authorit. & usu pallii.*

Quæres quarto. Qualis secunda potestas? R. Est jurisdictio ordinaria, quam Papa in Urbe Romana ejusque districtu per Cardinalem Vicarium exercet.

Quæres quinto. Qualis tertia potestas? R. Est potestas politica, quam Papa in patrimonio sancti Petri sive in Provinciis, Civitatibus & Terris ad Ecclesiam Romanam pertinentibus, & Status Ecclesiasticus dicuntur, tanquam supremus Princeps politicus in temporalibus nullum Superiorem agnoscens exercet. Territorium illud summis Pontificibus obvenit vel ex famosa Constantini Magni donatione. *Can. Constantinus. 14. dist. 96. cap. Fundamenta. 17. de elect. in 6.* Vel ex aliorum Imperatorum & Principum liberalitate; aut etiam Jure belli acquisitum est.

Quæres sexto. Habétne summus Pontifex aliquam potestatem in temporalia

Regum & Principum bona? R. Non directam sed indirectam tantum habet in temporalia totius mundi bona potestatem, quando videlicet urget necessitas tuendæ religionis, peccati avertendi, &c. *cap. novis. 13. de Judiciis.*

Ubi Innocent. III. fatetur quidem non esse Pontificis directè & immediatè se causis feudalibus & negotiis Regum immiscere, posse tamen & debere id fieri à Pontifice, dum Ecclesie interest, cum de peccato ac fœdere violato agitur, quia tunc partes Pontificis sunt, Regibus pacem imperare, eorum causas cognoscere, appellationes factas ad ipsos in causis temporalibus recipere, adfert inter cætera exemplum Imperatoris Valentiniani, qui, ut refertur in *can. Valentinianus. 3. dist. 63.* electuros Episcopum ad Ecclesiam Mediolanensem sequentibus adhortatur: *Talem in Pontificali constituite Sede, cui & Nos, qui gubernamur Imperium, sincerè nostra capita submittamus, & ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessariò velut medicamentis curantis suscipiamus.*

Idem Innoc. III. in *cap. licet. 6. de voto &c.* Filium Regis Hungariæ stringit ad persolvendum votum paternum, quod Pater fecerat ad recuperandam Terram sanctam, & Filius in se susceperat, non tantum comminando pœnas spirituales, quas plerumque non magni faciunt Principes, sed adjungendo etiam temporales, regni videlicet & juris ad regnum privationem.

Circa Annum 800. cum Imperatores Orientis sæpiùs interpellati, ut Ecclesiam à persecutionibus Lombardiæ Regum

gum defenderent, Leo III. Imperium Occidentis in Carolum Magnum transtulit, ac illum in Imperatorem Romanorum coronavit. *Gloss. in cap. Venerabilem. 34. de elect.* Carolo autem Magno non ut Gallo, sed ut Germano Germanorumque Regi Romanum Imperium collatum fuit, quia Francorum regnum in Germaniæ parte, videlicet illa, quæ Franconia dicitur, natum est, & hæc causa est, quare Innocent. III. *in cap. Venerabilem. 34. de elect.* dicat Imperium à Græcis in personam magnifici Caroli ad Germanos translatum fuisse, quem tamen Regem Francorum fuisse constat.

Quæres septimo. Quænam summi Pontificis prærogativæ? R. Sequentes: *Primo.* Est supremus controversiarum fidei Judex, & in his definiendis publico iudicio errare non potest, quamvis enim ut privatus errare, imò & in hæresin labi possit, toti tamen Ecclesiæ hæresin credendam proponere nequit. Probat ex illis verbis *Luc. 22. Ego pro te rogavi Petere, ut non deficiat fides tua.* Quæ non de solo Petro, sed etiam ejus Successoribus intelligenda sunt. *cap. majores. 3. de Baptismo.* & *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Quâ promissione B. Petro factâ, omnes ejus Successores tanquam visibilia Ecclesiæ capita in fidei soliditate roborantur. *Can. ita Dominus. 7. dist. 19.*

2do. Est infallibilis morum regula, ut ejus decreta, quibus aliquid Fidelibus totius Ecclesiæ publicè vel præcipiendo vel prohibendo proponit, vera, & nulli errori obnoxia sint; supremus enim Pastor in pascendis ovibus infallibilis sit

necesse est, nam aliàs Christus Ecclesiæ suæ minùs providisset, hæc autem non solius fidei, sed etiam morum doctrinâ pascenda est, & morum decreta ab omnibus servanda sunt. *Can. 1. dist. 12. cap. 1. de constitut.*

3tio. In canonizatione Sanctorum infallibilis est, quia cum Sanctos invocari posse, eorumque Reliquias venerandas esse sana fides doceat, ad Ecclesiam declarare pertinet, quibus talis invocatio & veneratio competat. *cap. 1. de reliq. & vener. Sanctor. cap. unico, eodem. in 6. Trident. Sess. 25. in decreto de invocat. & venerat. Sanct.*

4to. Est infallibilis in approbatione Ordinum vel Religionum, error siquidem circa hujusmodi approbationem errorem circa doctrinam fidei & morum secum trahit. Nec obstat, quod in *Extra. unic. de religiof. domib. Joannis XXII.* Religio Fratricellorum à Cælestino V. instituta reprobetur; quia Religio illa propter impia dogmata primæ institutioni postmodum accedentia reprobata & extirpata fuit.

5to. Habet potestatem leges totam Ecclesiam obligantes condendi, leges Ecclesiasticas quascunque relaxandi, in omnibus Ordinum & matrimonii impedimentis aliisque nullitatibus & inhabilitatibus jure Ecclesiastico introductis dispensandi, &c.

6to. Habet supremam potestatem tam in foro in - quam externo ab omnibus peccatis & censuris absolvendi, omnia vota & juramenta relaxandi.

7imo. Est supremus Judex omnium Christi Fidelium, ita, ut in spiritualibus

cæ-

cæterisque causis ad externum Ecclesiæ forum spectantibus ejus sententiæ & definitioni omnes absque appellationis remedio stare & acquiescere debeant; quia Pontificis & Christi in terris unum tribunal est. *Arg. cap. inter. 2. cap. quanto, 3. de translat. Episcop.*

8vo. Habet potestatem supremam in omnem Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum, Parochias, eas dividendi, uniendi, earum limites constituendi, vel mutandi. *Can. Urbes, 1. dist. 80. cap. pastoralis, 9. de his qua sunt à Prælat. cap. sicut, 8. de excess. Prælat. Extrav. unic. inter com. de officio Delegati, De iisdem Prælaturis cæterisque dignitatibus, beneficiis, officiis & ministeriis Ecclesiasticis liberè disponendi. cap. licet, 2. de præbend. & dignitat. in 6. Clement, 1. ut lite pendente. Omnium inferiorum Prælatorum & Rectorum jurisdictionem tam in foro poli, quam in foro fori extendendi vel restringendi, tollendi vel suspendendi, Ecclesiæ Prælatorum Concilia congregandi, congregata dissolvendi. *Can. regula, 2. dist. 17. can. dudum, 9. caus. 3. q. 6.**

9no demum habet supremam potestatem disponendi de Ecclesiis, monasteriis aliisque sacris & religiosis locis, de rebus seu juribus & bonis ad ea pertinentibus, prout vel ad ipsorum privatas vel publicas universalis Ecclesiæ necessitates sublevandas & utilitates promovendas expedire judicaverit.

Quæres 8vo. Quomodo probatur, quod summus Pontifex extra Concilium generale infallibilis fidei morumque sit regula? *1. mo. Ex Scriptura. Luc. 22.*

dicit Christus Petro, & sub ejus personæ Successoribus, de quibus ex communi Catholicorum sensu omnes aliæ promissiones Petro factæ intelliguntur: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quibus Petro promittitur speciale privilegium à fide non deficiendi, idque independentè à Concilio, aliàs non tam Petrus confirmaret fratres, quam fratres confirmarent Petrum. *Matth. 16.* Petro dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & pasce oves meas.* *Joan. ultimo.* Si autem Petrus ejusque Successores, dum Ecclesiam publicè docent, errare possent, non tam petra, quam arena esset, nec majorem infallibilitatem summus Pontifex haberet, quam quilibet Episcopus, qui extra Concilium publicè docendo errare potest, cum Concilio & tota Ecclesia docens est infallibilis.

2do. Ex sacris Canonibus. *Can. non decet, 1. can. præceptis, 2. dist. 12. can. si Romanorum, 1. can. sic omnes, 2. can. ita Dominus, 7. dist. 19. can. si decreta, 2. dist. 20. can. à rector. 9. can. memor. 10. can. quories, 12. can. hæc est fides, 14. can. quoniam, 25. can. quicumque, 27. can. schisma, 34. caus. 24. q. 1. cap. significasti, 4. de election. cap. ad abolendam, 9. de hæreticis.* In quibus apertè innuitur concessa summo Pontifici potestas definiendi extra Concilium, cujus definitioni omnes acquiescere tenentur.

3tio. Ex Conciliis, quæ Romanum Pontificem Pastorem, Doctorem & Magistrum universalis Ecclesiæ agnoscunt. Concil. Lateran. sub Innoc. III. *in cap. dam-*

damnamus. 2. de Sum. Trinit. Concil. Lugdunenſe in cap. unico. eod. in 6

4to. Ex praxi Eccleſiæ, plurimæ enim hæreſes à ſummo Pontifice extra Concilium ſunt condemnatæ, ſic Innoc. I. hæreſin Pelagianam damnavit, teſte S. Auguſtino lib. 2. contra duas Epistoſas Pelag. cap. 3. Leo X. errores Lutheri Anno 1579. Innocent. X. errores Janſenii, Innocentius XI. errores Michaëlis Molinos.

Quæres nono. Quibus argumentis Pontifices aliquando in materia fidei errâſſe probatur? 3. Sequentibus, 1mo. Zephyrinus Papa communicavit cum Montanis Hæreticis, teſte Tertulliano. lib. adverſus Prifcian.

2do. Liberius Papa ſubſcripſit formulæ fidei, quam Ariani Syrmii ediderant, & in damnationem S. Athanaſii conſenſit.

3tio. Felix II, per Arianos expulſo Liberio ad Cathedram Pontificatûs evectus cum Arianis communicavit.

4to. Vigilius Papa per potentiam Theodoræ Imperatricis hæreticæ hæreſis Eutychiænæ author fuit.

5to. Honorius I. Monothelitarum hæreſin docuit in duabus Epistoſis ad Sergium, ob quod tanquam hæreticus damnatus eſt in 6ta Synodo generali ſub Agathone Papa.

Quæres decimo. Qualiter ad hæc fundamenta respondendum?

3. ad 1mum. Zephyrinus Papa à Montaniſtis Hæreticis deceptus & circumventus, nihil quod fidei adverſum docuit, ſed hæreticos ſe fingentes Catholicos ſuſcepit.

R. D. Schnorrenberg Inſtit. 7. Can.

Ad 2dum. Liberius formulæ ſubſcripſit, quæ nihil continebat hæreticum, quamvis particula: *Conſubſtantialis*, quâ Catholicus ab Arianis diſtinguebatur, fraudulentè eſſet omiſſa.

Ad 3tium. Felix Papa, poſtquam ab Eccleſia pro Capite & Papa agnitus, nihil contrarium fidei docuit, ſed pro fide ut Martyr occubuit.

Ad 4tum. Vigilius mortuo Liberio pro Papa ab Eccleſia receptus fidem Catholicam defendit, & ex hoc ab Hæreticis in exilium actus in confeſſione fidei conſtans perſtitit.

Ad 5tum. Literæ Honorii ad Sergium privatæ fuerunt, idè etiam conſeſſo, quòd hæreſin continerint, non probatur, quòd Pontifex ex Cathedra hæreſin docuerit.

Quæres undecimo. Quibus argumentis Pontifices in doctrina morum quandoque errâſſe probatur? 3. Sequentibus: 1mo. Gregorius III. maritum uxore infirmâ, ſi ſe continere non poſſit, aliam ducere permisit. *Can. quod propoſuiſti. 18. cauſ. 32. q. 7.*

2do. Gelafius Papa docuit communionem ſub utraque ſpecie neceſſariò eſſe ſumendam. *Can. comperimus. 12. de conſecrat. diſt. 2.*

3tio. Nicolaus Papa pro valido agnovit Baptiſmum in Chriſti tantum nomine, aut ſine trium perſonarum explicatione collatum. *Can. à quodam. 24. de conſecrat. diſt. 4.*

4to. Alexander III. docet leges civiles ad valorem teſtamenti plures quàm tres teſtes requirentes eſſe injuſtas. *Cap. cum eſſes. 10. de teſtamentis.*

D

5to.

5to. Idem Alexander docuit à Romanis Pontificibus iudicatum esse, quòd matrimonium cum una in initum dissolvatur per matrimonium cum altera contractum & consummatum. *Cap. licet. 3. de sponsa duor.*

6to. Quidam Cœlestinus Papa docuit matrimonium fidelium uno conjugum in hæresin lapsò dissolvi, ut refert Innoc. III. in *cap. quanto. 6. de divortis, junctâ glossâ verb. predecessor.*

7mo. Nicolaus Tertius docuit perfectam paupertatem consistere in abdicatione omnis domini tam in communi, quam in particulari, ut videre est in *cap. exiit. 3. de verb. signif. in 6. quod Joannes XXII. in Extrav. ad conditorem. de verb. signif. damnavit.*

Quæres duodecimo. Quomodo ad hæc respondendum? *re. ad 1mum. Cap. quod proposuisti.* Intelligendum est de matrimonio cum muliere infirma per dispensationem dissoluto, vel ob impotentiam perpetuam invalido. Videatur *Gloss. in cit. cap. verbo mulier.*

Ad 2dum. *Canon. comperimus.* Vel loquitur de communione Sacerdotum, vel de Hæreticis, qui tempore, quo ab Ecclesia Laicis calix dabatur, ex superstitione Manichæorum calicem sumere non volebant.

Ad 3tium. In *Can. à quodam.* Papa refert ibi, quòd Baptismus debitâ materiâ & formâ adhibitâ à Judæo collatus non sit repetendus, quia ejus minister non fuit Christianus. De omiſſa expressione

Smæ Trinitatis, ut Doctor privatus respondet.

Ad 4tium. In *cap. cum esses.* deciditur, quòd leges requirentes plures testes, quàm tres, sint præter legem Divinam, juxta quam sufficiunt duo vel tres testes.

Ad 5tium. *Cap. licet.* intelligi potest, interveniente dispensatione in matrimonio rato.

Ad 6tium. Cœlestinus dicitur ita censuisse, non definivisse.

Ad 7timum. Nicolaus III. & Joannes XXII. sibi contrarii non sunt, si dicatur duos esse paupertatis gradus, quos Christus verbo & exemplo docuit; aliquando enim rigidam illam paupertatem, quæ omne dominium tam in particulari, quam in communi excludit, docuit. Ut *Matth. 10. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Luc. 9. Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Aliquando paupertatem minùs rigidam, dominium in communi non excludentem est professus, ut *Joannis 13. ubi permisit oculos sive pecuniam in communi.* Jungatur *can. exemplum. 12. can. habebat. 17. caus. 12. q. 1.* Generaliter etiam responderi potest tunc Pontificem ex Cathedra docere, quando doctrinam fidei & morum ad totam Ecclesiam dirigit, omnesque fideles obligat, non quando particularibus respondet,

ut factum in testibus
allegatis.

TITULUS TERTIUS.

DE

CARDINALIBUS.

Quæres primo. Unde nomen Cardinalis? *R.* A cardine, quia Cardinales sunt quasi Ecclesiæ cardines, aut quia Apostolicæ Sedi, quæ est aliarum Ecclesiarum axis, deserviunt, *Gloss. in Extrav. execrabilis. de præbend. verb. Cardinalibus.* Sicut mundus regitur à cardine, ita Ecclesia Cardinalium roboratur consilio. *Arg. can. pastoralis. 42. caus. 7. q. 1.* Nomen hoc primus dedit S. Sylvester in Synodo Romæ celebrata Anno 324. relata *in can. à Subdiacono. 5. dist. 93.* Dein à Gelasio, Gregorio aliisque Pontificibus in usum est deductum. *Ut. can. pastoralis. can. relatio 5. caus. 21. q. 1.*

Quæres 2do. Quanta dignitas Cardinalium? *R.* Sunt Senatores Pontificis seu Senatus Ecclesiæ. *Can. Ecclesia. 7. caus. 16. q. 1.* ac gremium constituunt, quod vocatur Ecclesiæ Romanæ gremium. *Can. in nomine Domini. 1. dist. 23.* Summo Pontifici in executione officii Sacerdotis Coadjutores assistunt. *Cap. fundamenta. 17. de election. in 6. junctâ Glossâ verb. decet.* Consiliis & consistorio Pontificis intersunt Senatores & pars corporis Papæ. *Can. si quis. 22. caus. 6. q. 1.* Unde tanquam membra cum capite suo, scilicet summo Pontifice, unum corpus

& consistorium facere dicuntur, & cùm legationis munere funguntur, Legati de Latere appellantur. *Can. si quis Episcopus. 36. caus. 2. q. 6.*

Quæres tertio. Unde origo officii? *R.* Ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, Apostoli post Ascensionem Christi S. Petro assistebant, eumq; consilio & auxilio adjuvabant, iis verò per universum Orbem dispersis à B. Petro ex Clero electi sunt 24. Coadjutores, quos inter præcipui Linus, Cletus, Clemens. *Can. si Petrus. 1. caus. 8. q. 1.* Postea sub Annum 304. à S. Marcello instituti sunt in Urbe quindecim tituli pro Presbyteris & Diaconis, quibus baptizandorum & pœnitentium cura, & Martyrum sepultura fuit demandata.

Quæres quarto. Unde origo præeminentiæ? *R.* Tempore Alexand. III. Cardinales gradu minores erant Episcopis, ut colligitur *ex cap. cum Apostolus. 6. de censib.* Ubi post Episcopos referuntur, & minor quàm his comitatus in visitatione conceditur. Sed à temporibus Clement. V. supra gradum Episcoporum sunt elevati, & titulum Eminentiæ vel Eminentissimi obtinuerunt, qui à nemine alio, quàm Cardinalibus S. R. I. Ecclesiasticis Electoribus, & à supre-

D 2

mo

mo Magistro Equitum Melitensium usurpatur.

Quæres quinto. Quot Ordines Cardinalium? *R.* Tres. *1mus* Episcoporum. Hodie sex sunt tituli Episcopales Cardinalium. *2dus* Presbyterorum, quorum tituli 51. *3tus* Diaconorum, quorum tituli 15. In potestate tamen Pontificis est etiam Laicos non conjugatos in Cardinales assumere, qui postea Clerici ordinentur, ac juxta constitutionem Sixti V. quatuor minoribus sunt initiati.

Quæres sexto. A quo Cardinales creandi? *R.* A solo summo Pontifice, ita ut eos nec Cardinale Collegium, nec, ut veriùs apparet, Generale Concilium, creare possit. Creandi autem sunt idonei ex omnibus Orbis nationibus, quantum fieri potest, & omnia, quæ de Episcoporum præficiendorum vitâ, ætate, doctrinâ & reliquis qualitatibus constituta sunt, in Cardinalium creatione sunt observanda, ut monet *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 1.* Ac ita concludit: Postremò eadem sancta Synodus tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota non potest non commemorare, nil magis Ecclesiæ DEI esse necessarium, quàm ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ & muneris sui officio debet, eam potissimum hinc impendat, ut lectissimos sibi tantùm Cardinales asciscat, & bonos maximè atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eò magis, quòd ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium, & sui officii immemorum Pastorum regimine peribunt, D. N. J. C. de manibus ejus sit requisiturus.

Quæres septimo. Quotuplex Cardinalium potestas? *R.* Duplex. *1ma* potestas particularis in Ecclesiam titularem, cui libet à summo Pontifice designatam. *2da* potestas universalis in totam Ecclesiam.

Quæres octavo. Qualis potestas in titulos? *R.* Omnes Cardinales sive Presbyteri, sive Diaconi in suos titulos jurisdictionem habent quasi Episcopalem. *Cap. his quæ de majorit. & obedient.* Ideòque omnia jura, quæ respectu suarum Ecclesiarum, Clericorum & aliorum subditorum Episcopi, etiam ipsi in Ecclesia sui tituli & in istius Clericos & fideles Laicos exercere valent, etiam ante coeptam possessionem, & literarum exhibitionem, non obstante *Extrav. injuncta. de election. 2do.* Cardinales Presbyteri in propriis titulorum suorum Ecclesiis subditis & familiaribus suis in iam Tonsuram & minores Ordines conferre possunt.

Quæres nono. Quam potestatem habent in totam Ecclesiam? *R.* Habent iterùm duplicem: *1mam* Sede vacante. *2dam* Sede plenâ seu non vacante. Sede vacante vel Pontifice mortuo Collegium *1mo* regit Ecclesiam, nihil tamen potestatis & jurisdictionis ad Romanum Pontificem pertinentis, nisi urgente necessitate, aut imminente gravi periculo exercere potest. *Clem. ne Romani. 2. de election.* Ideò constitutiones Pontificias corrigere, mutare, creare Cardinales, Episcopos transferre, Legatos mittere, & à Papa missos revocare nequit. *2do.* Jus eligendi summum Pontificem est penes Collegium Cardinalium. *Cap. licet. 6. de election. cap. ubi peri-*

periculum. 3. eod. in 6. Clement. ne Romani. cit. Duobus in discordia electis & de Pontificatu contendentibus Cardinales Concilium cogere possunt, cujus autoritate de certo capite Ecclesiæ provideatur.

Plenâ Sede 1mo Cardinales in arduis negotiis expediendis, legibus Ecclesiasticis promulgandis, authenticè interpretandis, Apostolicis rescriptis expediendis, in morum reformatione &c. Papæ consilio & auxilio assistunt. 2do. Necessitatis & magnæ utilitatis causâ, ut ad dirigenda Concilia Generalia, pacem inter Principes Christianos stabiliendam, susceptas contra Infideles expeditiones promovendas, Civitates & Provincias gubernandas à Pontifice extra Curiam & Civitatem emittuntur. 3tio. In Conciliis autoritate Papæ congregatis Cardinales, etiam non Episcopi, vocem sive suffragium non consultivum duntaxat, sed & decisivum, ut alii Episcopi, habent.

Quæres decimo. Quænam Cardinalium privilegia? *Re. 1mo.* Cardinalis à solo summo Pontifice condemnari potest. *Gloss. in cap. 2. de Clericis non resident.* Cardinalis Episcopus non condemnabitur, nisi cum 72. testibus, Presbyter Cardinalis nonnisi cum 44. testibus, Diaconus verò Cardinalis nonnisi cum 27. testibus. *Can. Prasul. 2. caus. 2. q. 5. 2do.* A sententia ex Cardinalium voto seu consensu lata non datur appellatio. 3tio. Regulariter Cancellariæ regulis ac aliis constitutionibus generalibus odiosis & pœnalibus non tenentur. *Juxta Regulam Cancellaria 67mam. 4to.* Sireo

ad ultimum supplicium ducto occurrant, eumque veste aut pileo tegant, immunis dimittitur, nisi reus sit læsæ Majestatis. 5to. Cardinali afferenti se esse Legatum creditur, etiam si suæ legationis literas non exhibeat. *Can. nobilissimus. fin. dist. 97. 6to.* Habent partem reddituum Cameræ Apostolicæ, ideoque inopes à Pontifice aluntur. 7mo. Sententiâ suspensionis vel interdicti non afficiuntur, nisi specialis fiat illorum mentio. *Cap. quia periculosum. 4. de sentent. excommunicat. in 6. 8vo.* Electus in Cardinalem eo ipso à patriâ potestate liber est. 9no. In testamentis condendis gaudent militum privilegio. 10mo. Cardinali aliquid factum esse afferenti in præsentia Papæ creditur. 11mo. Lites & causæ inter Cardinales à Pontifice deciduntur. 12mo. Qui in Curia Roman. Pontifici assistunt, in beneficiis suis, nisi illis adjuncta animarum cura, residere non tenentur. 13tio. Omnia privilegia Episcopis ob statûs dignitatem concessa ad Cardinales extenduntur.

Quæres undecimo. Quænam Familiæ Cardinalitæ privilegia? *Re. 1mo.* Familiæ Cardinalium possunt sibi eligere Confessarium de licentia sui Cardinalis, quia ubicunque reperiuntur, suo Cardinali tanquam Ordinario familiæ suæ curam habenti subditi sunt.

2do. Beneficium illius, qui Cardinalis familiaris est, per Papam sine consensu Cardinalis patroni conferri nequit.

3tio. Sunt idonei testes in causis suorum Dominorum.

4to. In absentia gaudent suorum beneficiorum fructibus, sicut ipsi Cardinales

nales absentes suorum beneficiorum fructus percipiunt.

510. Offendentes Cardinalium familiarum excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt.

Quæres duodecimo. Quanam Cardinalem hostiliter insequentium, percipientium, capientium, aut in hoc crimine participantium pœnæ? æ. Eas enumerat cap. felicis. 5. de pœnis. his formulis: " Sit reus criminis læsæ Majestatis, " perpetuò infamis, diffidatus, nihilominus & bannitus, sit intestabilis, ut " nec testamenti liberam habeat actionem, nec ad alicujus bona ex testamento vel ab intestato vocetur: Fiant " habitationes ejus desertæ, & ut non " sit, qui eas inhabitet, dentur cuncta " ejus ædificia in ruinam, & ut perpetuè " noram infamiae perpetua ruina testetur, " nullo tempore reparentur, nullus ei " debita reddere, nullus respondere in " judicio teneatur: quidquid etiam in " bonis invenitur ipsius, Fisci vel Reipublicæ dominio applicetur, ut ex illis " nil transmittat ad posteros, sed potius " cum ipso damnentur & sua, Si quæ verò feuda, locationes, officium vel

" beneficium spirituale vel temporale ab " aliquibus Ecclesiis obtinet, sit eis ipso " jure privatus, quæ sic liberè ad Ecclesias revertantur. Quod si quis præditorum filium vel filios habeat, nepotem vel nepotes per lineam rectam descendentes, Beneficiatum vel Beneficiatos quovis beneficio, etiamsi Pontificalem adeptus vel adepti fuerint dignitatem, sint eis ipso jure privati, spe promotionis omninò sublata, nulli præterea talium filiorum atque nepotum ex virili sexu descendantium ab eisdem alicujus aperiatur janua dignitatis aut honoris Ecclesiastici vel mundani, vel ad alicujus loci regimen sit ascensus: sit eis postulandi negata facultas, sit notoriè judicatus, & quodlibet aliud officium seu ministerium publicum interdictum: in judiciis eorum assertio contra quenquam nihil fidei, nihil credulitatis inveniat, & ut magis famosa sit eorum infamia, ad actus legitimos nullus eis pateat aditus: Denique ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, &c. "



TITULUS QUARTUS.

DE

ELECTIONE.

Materiam præsentem copiosam Juris Candidati, quorum instructioni, simul ac difficilem, ut eam sicut scribimus, sic quoque eorum captui,

captui, quantum possibile, nos accom-
damus, facilius assequantur, in septem
paragraphos dividendam duximus, §. 1.
agitur de Electionis Essentia, 2do. De For-
ma Electionis, 3tio. Qui eligere possint,

4to. Qui eligere & eligi prohibentur.
5to. De Actu Electionis, 6to. De Ele-
ctione per scrutinium, 7imo. De iis,
quæ sunt post Electionem.

§. Primus.

DE

Electionis Essentia & Divisione.

Quæres primo. Quotupliciter sumi-
tur electio? *¶* Quandoque sumi-
tur latissimè pro quacunq; vocatione
ad beneficium, sic collatio Canonici, vel
creatio Canonici dicitur electio. *Cap. cum Ecclesia. 31. de election.* Item
præsentatio populi ad beneficium voca-
tur electio. *Cap. querelam. 24. ibid.*
Quandoque sumitur latè pro vocatione
alicujus personæ ad beneficium Ecclesia-
sticum canonicè facta per suffragia & al-
terius confirmationem, *Cap. dudum. 22. ibid.* Sic in quibusdam Ecclesiis Colle-
giatis fit electio Capituli ad inferiores di-
gnitates, ut Decanatus, Scholasteria,
Choriepiscopatus, &c. In quibusdam
monasteriis fit electio Prioris, &c. De-
nique sumitur electio strictè ac propriè.

Quæres secundo. Quid est electio pro-
priè dicta? *¶* Est personæ idoneæ ad Ec-
clesiæ vacantis pastoralem dignitatem
per eos, quibus competit, canonica
vocatio. Sumitur *ex cap. cum in cunctis. 7. cap. quia propter. 42. de election.* Dici-
tur *1mo*: Ad Ecclesiæ vacantis digni-
tatem pastoralem; quia electio propriè
dicta solum fit ad Ecclesias sive regulares
sive sæculares Pastore suo viduatas. Di-

citur secundo: Per eos, quibus jure conti-
petit; ut electionis causa efficiens signi-
ficetur. *Dicitur 3tio*: Canonica, id est
solemnis & servatâ formâ à Canonibus
præscriptâ facta vocatio. *Dicitur 4to*:
Vocatio; ut distinguatur ab institutione
& collatione, per quæ acquiritur jus in
beneficio, per electionem verò accepta-
tam jus tantum ad beneficium. Quare
electo ante confirmationem mortuo,
beneficium non per mortem novi electi,
sed per Prælati prioris obitum vacat, be-
neficia electi ante ejus confirmationem
non vacant, electus ante confirmatio-
nem sine consensu superioris juri suo ee-
dere potest.

Quæres tertio. Quot modis Prælati ad
dignitates & beneficia assumuntur? *¶*
Tribus modis: *1mo*. Per Superioris in-
stitutionem, præcedente præsentatione
vel nominatione. *2do*. Per Superioris
confirmationem præcedente canonicâ
electione. *3tio*. Per liberam collatio-
nem, & simplicem provisionem. Unde
tria beneficiorum generâ, patronata,
electiva, & libera seu collativa, oriuntur.

Quæres quarto. Quomodo electio
propriè dicta distinguitur à præsentatio-
ne?

ne? *Re.* Modis sequentibus: *1mo.* Jus præsentandi, quantumvis spirituale sit, ex gratuita tamen Ecclesiæ concessione datur etiam Laicis, si sint patroni, hoc est: Fundatores, Constructores aut Dotatores alicujus Ecclesiæ, *Gloss. in can. pia mentis. 26. caus. 16. q. 7. Trident. Sess. 14. de reform. cap. 12.* Jus autem eligendi solis personis Ecclesiasticis & non Laicis competit. *2do.* Factâ præsentatione ad aliquod beneficium, præsentato nondum jus acquisitum est, si enim patronus sit Laicus, qui superiori Ecclesiastico aliquod subjectum etiam idoneum ad beneficium præsentavit, variare & alterum addere potest, ita ut in optione collatoris sit, quem illorum malit instituere. *Cap. cum autem. 24. de jure patronatus.* Si sit patronus Ecclesiasticus, quamvis factâ semel præsentatione variare non possit, sed ille institui debeat, qui prior est præsentatus, dummodò sit idoneus, attamen si Capitulum v. g. habens jus præsentandi capitulariter consentiat in præsentationem tertii re integrâ, & præsentatione nondum Superiori oblatâ, resilire potest, & alium præsentandi habet facultatem, ast postquam electionis scrutinium est publicatum, variare non licet. *Cap. publicato. 58. de election.* Sed per publicatam electionem Electus saltem remotè jus acquisivit, ut Electi consensus necessariò sit requirendus. *3tio.* Electio facta antequam Superiori confirmanda præsentetur, Electo intimanda est, ut con- vel dissentiat. *Cap. quam sit. 6. de election. in 6.* At præsentatio, quæ directè ad Superiorem dirigitur, præsentato, ut consentiat, non neces-

fariò intimatur, cùm per talem consensum præsentatus nullum jus acquirat.

Quæres quinto. Quomodo electio à collatione vel simplici provisione differt? *Re.* Per collationem seu provisionem de Prælatura quasi dominium & jus reale in beneficio acquiritur, ut si alicui à Pontifice de Episcopatu propter reservationem in *Extrav. ad regimen. de præbend. inter com.* aut propter devolutionem, *cap. quanquam. 18. de election. in 6.* provideatur, habet jus in re, per electionem verò solùm jus ad rem acquiritur. Unde *1mo.* Si electus ante confirmationem moriatur, prælatura vacat, non per mortem electi, sed per mortem antecessoris. *2do.* Electus ante obtentam confirmationem liberè renuntiare potest; cui autem per collationem vel quamcunque institutionem provisum, validè renuntiare non potest, nisi in manus superioris aut ordinarii Collatoris. *Cap. admonet. 4. de renuntiatis. can. non oportet. 19. caus. 7. q. 1. 3tio.* Electus ante confirmationem beneficium administrare nequit, benè tamen provisus.

Quæres sexto. Quomodo electio à nominatione differt? *Re.* Per nominationem nominato nullum jus acquiritur, per electionem, maximè acceptatam, acquiritur jus electo. 2plex est autem nominatio: *1ma.* Si ante electionis scrutinium unus vel plures capitulo tanquam viri boni & ad prælaturam idonei proponantur, quâ tamen nominatione non obstante, Electores alium eligere possunt. *Cap. quod sicut. 28. de election. 2da* nominatio similis est præsentationi, si duo vel tres alicui Superiori proponantur:

tur, ex quibus unum eligere debeat. Consuetudo taliter nominandi in Laicis reprobatur *per cit. cap. quod sicut.* Ex specialibus tamen privilegiis Reges & Principes jus nominandi ad Prælaturas suarum ditionum habere noscuntur, sic in Hispania, Gallia, Belgio Episcopatus & Abbatia ad Regis pertinent nominationem.

Quæres *septimo.* Ubi hodie dum jus eligendi viget? *Re.* In plerisque Regnis & Provinciis exiguus est eligendi usus; in Italia enim Episcopatus aliæque beneficia tam regularia quam sæcularia electiva, utpote excedentia communiter 200. per regulas Cancellariæ sunt Papæ reservata, extra Italiam in Hispania, Gallia, Belgio Episcopatus & Abbatia ex specialibus privilegiis ad Regum & Principum spectant nominationem, in Germania tamen ob concordata inter inclytam Germanorum nationem & Sedem Apostolicam tempore Nicolai V. inita, in Ecclesiis tam Regularibus quam sæcularibus jus & consuetudo viget electionis, tanquam perpetuum libertatis Ecclesiasticæ insigne & monumentum.

Quæres *octavo.* Quo tempore de electione tractandum? *Re.* Quamdiu vivit Ecclesiæ Prælatus, licet ejus vita sit desperata, tractatus de electione non tantum illicitus, sed & invalidus est, sed Ecclesia, de cujus eligendo Pastore agitur, vel per mortem naturalem vel civilem, ut depositionem, vel renuntiationem acceptatam. *cap. fin. de election.* vel per translationem ad aliam Ecclesiam vacare debet. *Can. Episcopus. 37. caus. 7. q. 1.* Ratio, quare electio Sede non-

R.D. Schnorrenberg Instit. 7. Can.

dum vacante fieri prohibeatur, est: "Ne desiderare quis mortem proximi videatur: in cujus locum seu beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam Gentilium legibus inveniatur inibitum, turpe est & Divini plenum animadversione iudicii, si locum in Ecclesia DEI futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt." *Cap. nulla. 2. de concess. præbend. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 19. Arg. l. fin. C. de pactis. L. pactum dotale. 3. C. de collation.*

Quæres *nono.* An ante sepulturam defuncti Prælati electio fieri possit? *Re.* Decens est, ut corpus Prælati defuncti prius sepulturæ tradatur, quam de successoris electione agatur. *Cap. bona. 36. de election.* Electio tamen ante tumulatum funus facta de jure valet, quia mortuo viro soluta est uxor à lege matrimonii, *ut inquit Gloss. in cit. cap. bona. verb. tractatum.*

Quæres *decimo.* Intra quod tempus Ecclesiâ vacante faciendâ electio? *Re.* In Ecclesiis Cathedralibus & Regularibus, electio intra tres menses, nisi justum obftet impedimentum, celebranda est. *Cap. ne pro defectu. 41. de electione.* In minoribus dignitatibus & beneficiis dantur sex menses. *Cap. nulla. 2. de concess. præbend.* Quo tempore elapso jus eligendi amittitur, & eâ vice ad Superiorem devolvitur. *cit. cap. ne pro defectu.* "Is verò, ad quem devoluta fuerit potestas, DEUM præ oculis habens, non differat ultra tres menses viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa,

E

„ ca-

“canonicè ordinare.” *Cir. cap. pro defectu.* Eo autem negligente jus eligendi ad alium Superiorem, & sic gradatim usque ad ipsum summum Pontificem devolvitur.

Quæres *undecimo.* A quo termino tempus trimestris currere incipit? *R.* Menses faciendæ electioni concessi currunt à die mortis Pastoris. *Gloss. in can. postquam. 11. dist. 50.* Vel potius ab horâ mortis, & vacationis scientia; tempus enim electioni definitum non continuum, sed utile esse debet, unde dies, in quibus fuit impedimentum, numerandi non sunt. *Cap. quia diversitatem. 5. de concess. prebend.*

Quæres *12mo.* An præviè ad electionem capitulationes, ut vocant, fieri possint, hoc est, an electores, antequam eligant, de certis articulis, quos omnes promittunt sub juramento se servaturos, si in Prælato eligantur, convenire valeant? *R.* *1mo.* Si in articulis illis eligendo Prælato solummodò injungatur observantia illorum, ad quæ ex pastoralis suo officio aliàs tenetur, similes capitulationes illicitæ non sunt, sed ju-

ramentum adjectum validum est & servandum. *Arg. cap. 1. de jurejur. in 6.*

2do. Si illi articuli sint in præjudicium liberæ administrationis, dignitatis, bonorum ad mensam Prælati spectantium, omnes tales capitulationes sunt invalidæ, & juramenta iisdem adjecta neque in foro externo neque in foro conscientie obligantia. *Cir. cap. 1. de jurejurand. in 6. cap. sicut nostris. 27. de jurejurand. junct. gloss. verb. reducas.* Et constitutiones speciales S. Pii V. & Gregor. XIII. similes capitulationes sub gravissimis pœnis prohibuerunt & irritarunt. At nostris temporibus Innoc. XII. in constitutione, quæ incipit: *Ecclesia. 1695. 22. 7bris* promulgata præcedentium Pontificum constitutiones innovando ejusmodi capitulationes, pactiones, concordata, sub gravissimis pœnis, earum reservatione & actorum irritatione prohibuit. Post electionem factam similes capitulationes cum electo inire non prohibuit, illas tamen post electionem initas Pontifex judicio Sedis Apostolicæ submitti, eorumq; executionem ante Pontificis confirmationem suspensam esse præcepit.

§. Secundus.

DE

Forma Electionis.

Quæres *primo.* A quibus instituenda dies electionis? *R.* Mortuo Prælato Capitulares, qui præsentés, in Capitulo convenire, diem electionis capitulariter constituere, eumq; Electoribus absentibus per literas vel nuntium

specialiter intimare debent. *Cap. cum inter. 18. de election.* Quòd si non sciat, ubi Capitulares absentes morentur, citatio per edictum generale ad valvas Ecclesiæ faciendâ est. Etsi autem Capitulares præsentés absentibus etiam coar-

stando

Stando tempus à jure concessum terminum præfigere possint, ad hoc tamen duo requiruntur, imprimis ut duæ partes Capituli conveniant; tota enim vis Capituli vel Collegii penes duas partes consistit, quamvis, postquam Capitulum congregatum, sufficiat, quòd major pars congregatorum consentiat. Deinde ut justa adsit causa, quare terminus à jure concessus restringatur; sicut autem ob utilitatem Ecclesiæ tempus, intra quod electio celebranda, restringi, ita & prorogari potest, si aliquis ex Electoribus ob justum impedimentum tam citò ad electionem accedere non possit.

Arg. cit. cap. ne pro defectu, 41. de election.

Quæres secundo. Quinam absentes citandi? *R.* Omnes Capitulares, qui debent, volunt, & interesse possunt. *cap. quia propter, 42. de election.* Si modò absque Ecclesiæ periculo vocari & expectari possint. *Cap. quod sicut, 28. de election.* Longa enim mora est in electionibus valdè suspecta, imò sæpè damnosa. *Cap. cum inter, cit.*

Quæres tertio. Quòd si aliqui contempti, hoc est, ad electionem non vocati? *R.* Si unus vel plures contempti, cum potuerint & debuerint vocari, vel non ita vocati, ut commodè accedere possent, facultatem habent contemptum prosequendi, sive apud Superiorem agendi, ut electio rescindatur. *Cap. quod sicut, cit.* Licet contemptus unus solus extiterit, cum plus in talibus consuevit contemptus unius obesse, quàm multorum contradictio in præsentem. *Cap. bona, de election.* Electio tamen non est ipso jure irrita, si duæ partes Capitula-

rium non abfuerint. *Cap. Ecclesia, 57. de election.* Quare contemptus vel non vocatus ob bonum pacis electionem ratam habere potest. *Cit. cap. quod sicut, & cap. Ecclesia.*

Quæres quarto. An evolutò termino electioni præfixo præsentibus non expectatis ulterius absentibus ad electionem procedere possint? *R.* Affirm. Quamvis sint numero pauciores; ii enim, qui jus eligendi habent, sed electioni interesse vel possunt & nolunt, vel volunt & non possunt, non censentur de numero Electorum, sed tota potestas Capituli in aliis præsentibus residet. *cit. cap. quod sicut.* Licet unus solùm esset præsens, qui quidem ob notam ambitionis seipsum eligere non possèt, alium tamen habilem nominare vel in alium compromittere valeret, à quo compromissario in Prælatum validè nominaretur.

Quæres quinto. An si exortà dissensione aliqui ex Capitulo egrediantur, alii pergere, & electionem perficere possint? *R.* 1^{mo}. Si duæ partes Capitularium maneat, isti sine aliis exeuntibus electionem perficere possunt. 2^{do}. Si major pars Capituli maneat, aliis absque necessitate recedentibus, probabiliter ulterius procedere potest. *Gloss. in cit. cap. cum inter. de electione. Verbo Capituli.* Cujus ratio est, quia ibi Capitulum est, ubi est major ejus pars, & major pars potest constituere procuratorem, qui dicitur Capituli Procurator. Deinde postquam Capitulum legitime congregatum, majoris partis judicium prævalet. *Cap. 1. de his que fiunt à major. part. Capituli.* Si major pars exeat, reli-

qui pergere non possunt, quia si inter Capitulares dissensio, ibi est Capitulum, ubi major pars juxta *Gloss. cit.* nisi terminus à jure præfixus instaret, aut speciale in mora periculum esset; in his enim casibus pars minor in Capitulo manens eligere potest.

Quæres *sexto*. An infirmus, qui ad locum electionis venire nequit, suum votum dare possit? *ꝛ.* Si aliquis in civitate vel monasterio, ubi electio peragitur, infirmitate detentus sit, ut ipsemet accedere nequeat, & interim in propria persona suffragium dare velit, scrutatores, si fieri potest, ad illum accedere debent.

Quæres *septimo*. An absens vel infirmus suffragium ad Capitulum mittere possit? *ꝛ.* Negat. quia non ante electionem, sed in electione singulorum vota sunt inquirenda. *Cap. si quis justo. 46. de elect. in 6.* Cæterum in electione v. g. Regularium, in quibus forma scrutini exactè non servatur, sed schedæ subsignatæ in urnam vel calicem mittuntur, non obstat suffragium scriptum ab absente vel infirmitate detento mitti ad Capitulum.

Quæres *octavo*. An absens vel infirmus Procuratorem constituere valeat? *ꝛ.* Capitularis absens vel infirmus vices suas uni de ipso Collegio committere potest. *Cap. quia propter. 42. de election.* Debet autem Procurator, si opus fuerit, & impedimentum absentis incognitum, jurare in animam committentis. *Cit. cap. quia propter.* Adeoque ad taliter jurandum speciale mandatum habere debet. *Gloss. in cap. penult. de election. in 6. verb.*

detentus. Capitulum tamen etiam Procuratorem extraneum admittere potest, quia quod unus de Collegio constitui debeat in Procuratorem, favor est Capituli, cui renunciari potest.

Quæres *nono*. An plures Procuratores constitui possint? *ꝛ.* Affirm. Dummodò constituatur quilibet in solidum, qui si simul ad votum præstandum concurrunt, melior est conditio præoccupantis, “ si “ ambo concurrant, & postulent se ad- “ mitti, audire eos non expedit, quia “ possent vota sua dirigere in diversos, “ & quod ab eis hoc in casu fieret, non “ valeret, sed is admittendus duntaxat, “ quem Capitulum vel pars major ele- “ gerit, vel si concordare nequeant, “ is qui primò in instrumento velliteris “ procurationis extiterit nominatus “ *Cit. cap. si quis justo. de election. in 6.*

Quæres *decimo*. Quæ Procuratoris potestas? *ꝛ.* 1^{mo}. Cùm unus est Procurator simpliciter constitutus, si is unum suo, & alium domini sui nomine in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit: nisi de certa eligenda persona sibi dominus dederit speciale mandatum, tunc enim in illam ejus, & in aliam suo nomine licitè poterit consentire. *Cit. cap. si quis justo. §. porro.*

2^{do}. Si mandatario sit nominata certa persona, quam eligere debeat, potest alium substituere, si autem certa persona non sit nominata, subdelegare nequit, quia industria personæ electa censetur.

Quæres *undecimo*. Quo loco & tempore Capitulum electionis servandum? *ꝛ.* 1^{mo}. Intra ambitum Ecclesiæ viduatæ, vel in Choro, vel in loco capitulari, vel
in

in alio conclavi honesto. *Cap. cum nobis. 19. cap. quod sicut 28. cap. in causis. 30. de elect.* At si Capitulares in loco Ecclesie convenire nequeant, in alio loco conventionaliter convenire non prohibentur.

2do. Extra casum necessitatis tempore diurno facienda est electio. Colligitur ex *cap. quia propter. 42. de elect.* Ubi electiones clandestinæ reprobantur. *Argum. cap. consuluit. 24. de officio deleg.* Ubi iudicia in tenebris exerceri prohibentur; quia juxta testimonium Veritatis: Qui malè agit, odit lucem.

Quæres duodecimo. Quænam immediate præcedunt electionem? R. 1mo. Vacante maximè Ecclesiâ Cathedrali an-

te electionem à Clero & populo supplicationes precesque fiunt, quibus bonum à DEO Pastorem valeant impetrare. Juxta præscriptum *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 1. 2do.* Die electionis legitur Missa de Spiritu Sancto, sub qua juxta aliquarum Ecclesiarum consuetudinem omnes Electores, etiam Clerici, communicant. 3tio. Datur signum campanæ ad congregationem Capitularem. 4to. In Capitulo recitatur Hymnus: Veni Creator. *Cap. cum terra. 14. de election.* 5to. Demùm à Præside de non admittenda persona inhabili, & de non excludenda persona habili publica fit protestatio.

§. Tertius.

Qui eligere possint?

Quæres primo. Ad quem pertinet jus eligendi? R. Ad congregationem sive Collegium Ecclesiasticum, cui Pastor quaritur. *Can. Congregatio. fin. caus. 16. 9. 7. can. Abbatem. 3. & 4. caus. 18. 9. 2. cap. cum terra. 14. de election.*

Quæres secundo. Quid est Collegium? R. Interdum in una Ecclesia plures sunt Clerici, ut personæ singulares, diversis officiis & ministeriis destinati, quamvis uni Rectori subjecti, sic in Ecclesia aliqua parochiali Sacellani & Chori-Socii sub uno paroco sunt, & hi corpus unum seu Collegium non faciunt, ideoque nec commune sigillum habere possunt. *Cap. dilecta. 14. de excessib. Prælator. junct. gloss.* Nec sunt unum corpus, nec communem Procuratorem constituere valent. Inter-

dum sunt plures ut fratres, facientes unam congregationem seu Collegium, quæ dicitur Ecclesia collegiata, cujus caput Prælatum est, qui à congregatione seu Collegio eligi debet.

Quæres tertio. Quot personæ ad Collegii constitutionem requiruntur? R. 1mo. Ut Collegium vel congregatio constituatur, ad minus tres personæ requiruntur. *L. Neratius. 85. ff. de verb. signif.* 2do. Si Collegium ex personis minimum tribus constitutum sit, & unus moriatur, vel de societate abeat, manet Collegium, sed quodammodo imperfectum, & potest tunc unus alterum in Prælatum eligere, si is consentiat, si autem unus solus maneat, non erit Collegium actu, jus tamen Collegii in ipso persistet, do-

E 3 nec

nec alii accesserint. *Gloss. in cit. L. Nera-tius. 3tio.* Si omnes ex Collegio vel universitate mortui sunt, jus eligendi ac jura similia pereunt, si per se sunt certæ congregationi concessa, v. g. cohorti militum, non autem si concessa sint in ordine ad locum, talia sunt privilegia civitati, monasterio, Academia concessa, & tunc omnibus mortuis aut fugâ dilapsis jura in solo & fundo confervantur.

Quæres quarto. Si duo sint Collegia vel monasteria subordinata, ad quos pertinet electio? *R. 1mo.* Si Abbas superior vel Principalis pro arbitrato suo Monachum ex monasterio seu Prioratu sibi subiecto revocet, tunc signum est, quod Prioratus ille inferior proprium & stabilem conventum non habeat, idem est, si inferior Prioratus cum dependentia à monasterio majore administrationem honorum exercet, in his circumstantiis tam Monachi, quam Prior conventualis vocem in capitulo monasterii principalis habent, & ad electionem Abbatis vocari debent. *2do.* Si autem inferius monasterium bona discreta, conventumque proprium habeat, à quo Prælatus eligatur, licet fortè à Prælato superiore confirmandus esset, tunc Monachi inferioris monasterii ad actus capitulares superioris monasterii non concurrunt. *3tio.* Ex consuetudine, institutione vel fundatione fieri potest, ut superius monasterium Prælatum in inferiori monasterio constituat, & tamen Monachi ejus ad electionem Abbatis non pertineant.

Quæres quinto. Ex quo capite extraneo jus suffragii in electione Prælati

competere potest? *R.* Ex tribus capitibus: *1mo.* Ex consuetudine legitime præscripta obtineri potest, ut jus eligendi ad alios, qui de Capitulo aut corpore Ecclesiæ non sunt, pertineat. *Arg. cap. cum dilectus. 8. de consuetud. cap. cum Ecclesia. 3. de caus. possess. & propriet.* Requiritur autem præscriptio 40. annorum. *Cap. de quarta. 4. cap. ad aures. 6. de præscript.* Intra quod tempus aliqua saltem electio vel postulatio facta, vel saltem nulla propter defectum potestatis in eligentibus rejecta. *Cap. cum venissent. 2. de integr. restitut.* Et quidem si extranei privativè ad Capitulares præscripserint, ipsos Capitulares excludendo, requiritur præterea titulus coloratus, aut immemorialis præscriptio propter juris resistantiam. *cap. 1. de præscript. in 6.* Si cumulativè, loco tituli scientia & patientia Capitularium, contra quos præscribitur, habetur. *Arg. L. si aquam. 2. C. de servitut. Gloss. in cap. cum Ecclesia. 3. de caus. possess. & propriet. Verbo: Brevitatem.*

2do. Ex voluntate sive unanimi consensu Capitularium jus suum in extraneum derivantium. *cap. causam. 8. de election.*

3tio. Ex fundatione Ecclesiæ Collegiatæ, etiam Regularis, electio vel nominatio Prælati ad Ecclesiæ alterius Prælatum, aut Capitulum, aut Patronum Ecclesiasticum pertinere potest. *cap. præterea. 23. de jure patronat.*

Quæres sexto. Quot modis Capitulares unanimi consensu votum in electione Prælati extraneis concedere possunt? *R.* Tribus modis: *1mo.* Pro una vice in ali-

aliquem extraneum compromittere, & in cum jus totum eligendi pro illa vice transferre possunt. *cit. cap. causam. 8. de election.*

2do. Pro una vice Clericum extraneum ad electionem unanimiter admitttere possunt, ut tenet communis contra Passerinum, *Can. obeuntibus. 35. dist. 63. cap. bona. 4. de postulat. Pralat. arg. cit. cap. causam.*

3tio. Ex justa causa accedente Superioris consensu Capitulares jus suffragii in electione Prælati in perpetuum concedere possunt; quia cum hujusmodi concessio Ecclesiæ statum mutet, & jus Capituli in extraneum conferat, species alienationis est, quæ sine justa causa & solemnitatibus permilla non est. *Can. hoc jus. 2. caus. 10. q. 2. can. Abbatibus. 41. can. sine exceptione. 52. caus. 12. q. 2. cap. tua nuper. 8. de his, qua sunt à Pralat.*

Quæres septimo. An Titius professus monasterii A electus in Coadjutorem vel Abbatem monasterii B acceptando electionem jus filiationis & consequenter suffragii in monasterio A sibi reservare possit? *Re. Negat. ex cap. constitutis. 47. de election.* Monachus enim in duobus monasteriis locum tenere nequit, ut dissolutionis, evagationis ac ambitionis materia, quæ ex tali pluralitate officiorum sequeretur, præcipuè in religiosis amputetur. *cap. fin. de religios. domib.* Cum autem ista prohibitio propter favorem Ecclesiarum sit, jus publicum introductum pacto privatorum tolli non potest. *cap. si diligenti. 12. de foro competent.*

Quæres octavo. Qualiter Laici in ele-

ctione Prælati intervenire possunt? *Re.*

1mo. Laici nec ex concessione Capituli, nec ex consuetudine ulla vorum in electione Prælati habere possunt. *cap. Sacrosancta. 51. cap. Massana. 56. de election.*

Quia jus eligendi est aliquid spirituale, ad quod nullus Prælati citra Papam habilitare potest. *can. benè. 1. dist. 96. cap. decernimus. 2. de judiciis.* Cui non obstat, quòd Laicus jus patronatûs habere possit, quia jus patronatûs non est spirituale, sed annexum spirituali, cum per præsentationem patroni ad institutionem, quæ quid spirituale est, perveniatur: econtrà electio est spirituale, cum per illam matrimonium spirituale contrahatur. *cap. cum inter. 21. de election. cap. fin. de translat. Episcoporum.* Et per electionem electo jus spirituale acquiritur. Laicus autem juris spiritualis capax non est. *cap. causam. 7. de prescript.* Ideoque per electionem jus spirituale in alium transferre nequit, quod ipse possidere non potest, quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare. *cap. quod autem. 5. de jure patronat.* 2do. Non permittitur, ut Laici cum Clericis tractatui electionis sese immisceant. *cap. quod sicut. 28. de election.* 3tio. Valet consuetudo, ut Princeps vel Patronus laicus ad electionem vocetur eo fine, ut suâ auctoritate & præsentia ab omni tumultu & impressione Laicorum Electores defendat. 4to. Consuetudo etiam est honesta, ex qua electio à Clericis peracta Patroni vel Principis auribus intimatur, ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum, quem tamen negare non potest,

nisi

nisi canonicum ostendat subesse impedimentum, *cap. Sacrosancta. 51. de election. 510.* Probabiliter consuetudine vel fundatione introduci potest, quod mors Prælati Patrono laico nuntiari debeat, ut consensu, vel potius patrocinium ejus ac defensio ad novam electionem celebrandam petatur. Colligitur *ex cap. quod sicut. 28. de elect.*

Quæres nono. Quæ pœnæ electionis factæ per abusum sæcularis potestatis, hoc est: si Laici cum potestate electioni sese immisceant, ita ut libertatem Clericorum, ad quos electio pertinet, quomodocunque impediunt? *Re. 1mo.* Si eligentes Laicum vel Laicos ad electionem admittant, electio ipso jure irrita est. *cap. quisquis. 43. cap. Massana. 56. de election.* Cum enim electio unus actus inseparabilis sit, pro parte non valere nequit, sed contra communem regulam: inutile vitiat utile, & quod eligentes per se potuerunt, noluerunt, & quod voluerunt, adimplere nequiverunt. Si tamen Laici per vim sese ingerant, ita ut Clerici eos prohibere nequeant, electio ex votis Laicorum subsistit, quia utile per inutile non vitatur. *Regul. 37. de reg. juris in 6.* Clerici tamen non valitura Laicorum suffragia protestari debent, ne si postea violentiam gravem non fuisset probetur, voluntariè cessasse censentur.

2do. Electio per vim & abusum sæcularis potestatis, quamvis non consentientibus Clericis Electoribus celebrata in odium præsumptionis Laicorum casari potest.

3tio. Electio per abusum potestatis

sæcularis celebrata ex alio capite irrita est, si videlicet electus consensum dederit, vel electionem, quatenus à Laicis factam, acceptare præsumpserit. *cit. cap. quisquis. 43. de election.*

4to. Electus consentiens tali electioni ineligibilis ad quamcunque dignitatem redditur, nisi cum illo dispensetur. *cit. cap. quisquis.* Puta, nisi dispensetur ab Episcopo, quia regula generalis est, quandocunque in Canone dispensatio permittitur, hæc ad Episcopum refertur, alioquin talis facultas frustra concederetur, cum summum Pontificem in quocunque defectu dispensare posse satis constet.

5to. Electores consentientes seu admittentes abusum potestatis sæcularis per triennium ab officii & beneficiis penitus sunt suspendendi, eligendi tunc potestate privati. *cit. cap. quisquis. junct. Gloss. verb. suspendantur.*

Quæres decimo. An Prælati vivus sibi Successorem eligere possit? *Re. Negat. Can. Episcopo non licere. 3. can. Episcopo non liceat. 4. can. plerique. 5. caus. 8. q. 1.* quia Ecclesiastica beneficia hæreditario jure concedi non debent. Non tamen prohibetur tractare de Successore cum Collegio, eique aliquem ad Prælaturam commendare, Papa quoque cum Successore nominato dispensare, & sibi viventi Coadjutorem eligendi, aut dignitatem Episcopalem deponendi licentiam indulgere potest. *cap. nisi cum pridem. 10. cap. fin. de renuntiat.*

Quæres undecimo. An quis se ipsum eligere valeat? *Re. Negat.* Quia nec se ipsum instituere, aut sibi suffragium dare potest,

potest, cum inter dantem & acceptantem differentia intercedere debeat personalis. *cap. fin. de institut.* Ex eadem ratione se ipsum ad beneficium sui patronatus presentare nequit.

Quæres *duodecimo*. Quænam potissima Electorum obligatio? *R.* Quia Electorum est bono viduatæ Ecclesiæ omni meliori modo providere, allaborare debent, ut non tantum dignum, hoc est: cui ætatis maturitas, morum gravitas, & literarum scientia suffragantur. *cap. cum in cunctis. 7. de election.* Et qui nullam canonicam constitutionem reprobatus. *can. obitum. 16. dist. 61.* Sed præterea inter dignos meliorem & optimum ad Prælaturam culmen promoveant. *cap. constitutis. 46. de appellat.* Ubi electionis Præses per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum in virtute obedientiæ ac sub animæ periculo Canonicos adjuravit, ut secundum DEUM & juxta conscientiam eligerent Præpositum, quem Ecclesiæ magis utilem & idoneum reputarent. *Can. vilissimus. 45. caus. 1. q. 1.* Ubi vilissimus computandus, nisi præ-

cellat scientiâ & sanctitate, qui est honore præstantior. *Can. Metropolitano. 19. dist. 63.* Ubi Electores convenire jubentur, ut optimus eligatur. *Can. licet ergo. 15. caus. 8. q. 1.* Ibi: "Qui præstantior est ex
"omni populo, qui doctior, qui sanctior,
"qui in omni virtute eminentior, ille eli-
"gitur." *Can. unum. 3. §. nunc autem. dist. 25.* *Talis eligatur, cujus comparatione ceteri grex dicantur.* Interim toleratur, modò sufficiens eligatur. *Gloss. in cap. cum inter. 21. de election. verb. alia.* In Prælato enim toleratur scientia sufficiens. *Cap. cum nobis. 19. de election.* Neque enim idè est removendus, quòd non sit ita doctus, ut Salomon, sed primam faciem idoneus præsumitur, nisi aliud in contrarium ostendatur. *Cap. dudum. fin. de presumpt.* Rationem dat *S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3.* "Quantum ad
"hoc, quòd electio impugnari non
"possit in foro judiciali, sufficit eligere
"bonum, nec oportet eligere meliorem;
"quia sic omnis electio posset habere
"calumniam."

§. Quartus.

Qui eligere, & eligi prohibeantur.

Quæres *primo*. Ex quibus Capitibus ii, qui sunt de gremio, à dando voto in electione excluduntur? *R.* Ex tribus: Lege, natura & moribus. *Leg. cum Prætor. 12. §. non autem. ff. de iudiciis.*

Quæres *secundo*. Quinam lege prohibentur? *R.* *1mo.* Qui sacris Ordinibus non sunt initiati, votum in electione

R. D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.

non habent, etiamsi hoc eis ab aliis liberè concedatur. *Clement. ut ii. de atar. & qual. presciend. Trident. Sess. 22. de reform. cap. 4.* Si quis vacationis tempore Subdiaconatum non habeat, sit tamen Subdiaconus tempore electionis, votum habet; sufficit enim, quòd sit habilis tempore electionis. *Gloss. in*

F *cit.*

*cit. Clement. Ut ii. Verb. constitu-
tus.*

2do. Regularis non professus, vel Laicus conversus in electione Pralatorum regularium voto carent. *Cap. ex eo. 32. §. in Ecclesiis. de election. in 6.* Nisi ex privilegio, statuto, aut consuetudine conversos votum habere contingat. *Gloss. in cit. cap. ex eo. verb. electionibus.*

3tio. Qui ex Ordine Mendicantium ad alium Ordinem non mendicantem etiam auctoritate Apostolicâ transfierunt, quamvis beneficium & administrationem habeant, sicut v. g. Priores, Cellarii in Ordine, ad quem transfierunt, in eo tamen votum in electionibus non habent, etiam si hoc eis ab aliis liberè concedatur. *Clement. 1. de Regular.*

4to. Suspensi suspensione Ecclesiasticâ. *cap. cum inter. 16. in fine de election. cap. cum dilectus. 8. de consuetud. junct. gloss.* Sive suspensio sit ab homine, hoc est, per sententiam Judicis, *Arg. cap. cum bona. 8. de atat. & qualit. præficiend. cap. quia diversitatem. 5. de concess. præbend. sive sit à jure lata. Cap. 1. de sentent. & re judicat. in 6. cap. 1. de sentent. excomm. in 6.* Sive suspensio sit ab officio tantum, sive ab officio & beneficio simul, sive simpliciter lata. *Fit exceptio.* Si suspensus non est denunciatus, eligere potest, nisi per exceptionem repellatur, juxta constitutionem Martini V. *Ad evitanda.* Probabile tamen est, quòd suspensus à beneficio tantum eligere possit, quia licet electio competat ratione beneficii, non est tamen fructus beneficii, sed actus officii spiritualis. Quæ ratio etiam in interdictione tenet. Demum Regularis sus-

spensus à Divinis eligere potest; electio enim non ab Ordine, sed à Regularitate dependet.

5to. Excommunicati excommunicatione majori, utpote quibus cum aliis communicare non licet, non tamen excommunicationi minori innodati, *cap. illa. 39. de elect. cap. si celebrat. 10. de Cleric. excommunicat.*

6to. Hæretici; Ecclesia enim in hominem, qui non à Catholicis eligitur, nullum præbet consensum. *Can. fin. caus. 9. q. 1.*

7imo. Qui scienter elegerunt vel postulârunt indignum, illâ vice jure eligendi privantur, & eorum electio ipso jure cassatur. *Cap. cum in cunctis. 7. cap. cum Wintonensis. 25. de election.* Non tamen scienter indignum in scrutinio nominantes, si electio non sequatur, eligendi potestate sunt privati, quia per consensum præstitum non dicitur facta electio, si illa non sequatur. *cit. cap. perpetuo. de elect. in 6.*

8vo. Recipientes ad Ecclesiam Postulatum tanquam Institutum & Administratorem, antequam postulatio sit acceptata. *cap. bona. 23. de elect.*

9no. Qui propter delictum voce activâ privati sunt, nam quoad eam pro mortuis habentur, eaque ad non delinquentes est devoluta. *cit. cap. bona.* Nisi & illi deliquissent, tunc enim electio ad Superiorem devolvitur.

10mo. Voto suo renuntiantes, postquam renuntiatio à Superiore acceptata; interim pœnitere & eligere possunt.

11mo. Eligendi potestate privantur, qui intra tempus ad eligendum statutum non

non

non eligunt. *cap. pro defectu. 41. de elect. cap. quinquam. 18. eod. in 6.* Idem est de Compromissariis. *cap. Compromissarius. 37. eod. in 6.*

12mo. Simoniacè eligentes potestate eligendi & omnibus beneficiis privantur. *cap. per inquisitionem. 26. de elect.*

13tio. Canonici supernumerarii non eligunt, nisi fortè ex consuetudine vel ab aliis spontè admittantur. *Gloss. in cap. cum Martinus. 9. de constitut. verb. ultra numerum.*

Quærestertio. Qui à natura à dando voto in electione impediuntur? *Re. Impuberes, cum discretionem careant, ad præstandum in electione suffragium nullatenus admittendi sunt. cap. ex eo. 22. de elect. in 6. 2do. Mente capti & furiosi. Gloss. in cit. cap. ex eo. verb. discretionem.*

Quæresquarto. Quinam moribus excluduntur? *Re. Qui per præscriptionem sunt exclusi, vel de facto in eligendi possessione non sunt; potestas enim eligendi possessionem bonæ fidei, & non proprietatem juris requirit. Unde electio, præsentatio, collatio facta ab eo, qui bonâ fide in possessione juris eligendi est, valida habetur, tamen postea jus eligendi & præsentandi ad alium pertinere dignoscatur. cap. consultationibus. 19. de jure patronatus. Gloss. in cap. ex literis. 7. eod. tit. Verbo: Antequam. Ratio est: quia præsentare est quasi fructus juris patronatus, & eligere juris eligendi, possessor autem bonæ fidei fructus ex re possessa percipere non prohibetur, donec illi lis contestata. *L. bona fidei. 48. ff. de acquirend. domin.* Porro ex admissione*

ad stallum in Choro, per lectionem & cantum cum aliis Canonice probatur possessio. *cap. in Genesi. 55. de election.* Et ex admissione ad actus Capitulares juris Capitularis probatur possessio. *ibid.*

Quæresquinto. An electio nulla sit, si cum cæteris habilibus unus vel plures non habiles v. g. excommunicati in electione concurrant? *Re. 1mo. Si ab habilibus inhabiles ignorantè admittantur, electio valida est, dummodò ab una parte sufficiens sit eligentium numerus, ita ut demptis inhabilibus v. g. excommunicatis major Capituli pars in unam partem consenserit. Ex regul. juris. Utile per inutile non viciatur.*

2do. Quamvis exclusis excommunicatis pro una parte non sit sufficiens eligentium numerus, si tamen excommunicati illi tolerati, nec per exceptionem repulsi, sed scienter admissi sint, electio valida est. Ratio est: quia post constitutionem Martini V. licet communicare cum excommunicatis specialiter non denuntiatis, nec publicis Clericorum percussoribus: frustra autem Fidelibus talis communicatio permessa foret, si actus cum illis celebrati ob excommunicationem nulli essent, ideoque quamvis excommunicati sese ingerendo & suffragium dando peccent, cum permissio illa in favorem excommunicatorum facta non sit, nihil tamen hoc electioni nocet, quamdiu excommunicatus non rejicitur, sed toleratur; licet enim jurisdictione privatus sit, Ecclesia tamen supplet, & ad talem actum jurisdictionem confert, & quòd hic actus electionis sustineatur, non tam est in favorem

excommunicati, quàm Fidelium communicantium.

3tio. Si non computato excommunicati denuntiati vel notorii Clerici percussoris voto sufficiens eligentium & consentientium numerus pro una parte deficiat, & talis excommunicatus denuntiatus occultus sit, nihilominus electio valida est. Ratio est: quia quando aliquis munus publicum exercet, ad cuius exercitium ob defectum occultum inhabilis est, Respublica ob communem utilitatem defectum supplet, actusque valorem habet. *Arg. L. Barbarius. 3. ff. de offic. Prasor.* Ubi acta servi gerentis officium Proconsulis ratificantur. Hæc lex in foro quoque Canonico recepta est, ideoque quamvis in præsentī casu excommunicatus denuntiatus vel publicus Clerici percussor ad ferendum votum, adeoque ad constituendam majorem pro electo partem de se habilis non sit, cum tamen in loco exercitii pro excommunicato non habeatur, necessitate & utilitate publicâ illud exigente, ejus acta sunt sustinenda.

4to. Si sufficientia vota sint pro una parte, etiam excommunicati scienter admissi voto non numerato, gravis est quæstio, an habiles admittendo inhabilem electionem faciant nullam, sicut ex hoc, quod Clerici in electione scienter Laicum admittant, quamvis major pars Clericorum in electum consenserit, nullam faciunt electionem? *q. Layman cum pluribus aliis electionem validam & à Superiore tantum irritabilem esse sustinet: verum validam negat communior, quæ probatur ex cap. fin. de Procu-*

rator. Ubi ex eo, quod communitas cum majoribus ac juratis, quos sciebat excommunicatos, Procuratorem constituisset, irrita dicitur constitutio: ergo à pari irrita etiam erit electio, cum sit omnimoda paritas. Ratio est; quia habiles inhabiles & prohibitos favore juris publici ad actum individuum, uti est electio, admittendo, quod volunt, non possunt, & quod possunt, nolunt. Dixi: *Prohibitos favore juris publici:* quia validus est actus, si prohibitus vel inhabilis favore ipsorum habilium admittatur; tunc enim proprio favori renuntiare, eosque habilitare possunt.

Quæres sexto. Ex quibus Capitibus quis est indignus, ut eligatur? *q. Ex tribus: Ex lege, natura, moribus sive delicto.*

Quæres septimo. Qui ex lege indigni? *q. 1mo.* Bigami, qui duxerunt viduam, vel corruptam, vel secundam uxorem, eligi non possunt. *Can. si quis viduam. 8. dist. 50. cap. de bigamis. 3. de bigam. non ordinand.*

2do. Uni alligatus Ecclesiæ ad alteram eligi non potest; quia qui plura beneficia curata habet, bigamo comparatur. *Can. sicut vir. 10. caus. 7. q. 1. cap. bona. 4. de postulat. Pralat. Extrav. execrabilis. de prebend.* Ideoque uni Episcopo, nisi ex justa necessitatis causa, plures Ecclesiæ committi non possunt. *Can. 15. & 16. caus. 21. q. 1.* Dispensatio quoque intervenire debet.

3tio. Laici, *Cap. in Ecclesia. 2. de institut. cap. ex literis. 4. de transact. cap. 2. de judiciis.*

4to. Qui publicam fecerunt poenitentiam.

tiam. *Can. ex poenitentialibus. 55. can. quicumque. 56. can. si ille. 58. can. non confidat. 59. can. Canones. 60. dist. 50.* Quia hi non nisi cum dispensatione Pontificia ad majores Ordines, cum dispensatione Episcopi ad minores promoveri possunt.

510. Novitius, qui Regulam monasterii, cui Abbas vel Prior quaeritur, nondum est professus, nullâ obstante consuetudine contrariâ, eligi nequit. *cap. cum causam. 27. cap. officii tui. 38. cap. cum in Magistrum. 49. de election. cap. nullus Religiosus. 28. eod. in 6.* Ratio est: quia miserum est eum fieri Magistrum, qui nondum fuit discipulus. *Can. miserum. 4. dist. 61.*

610. Alterius Religionis, quam cui Abbas vel Prior quaeritur, Cùm rationi non congruat, ut homines disparis Professionis vel habitus simul in iisdem monasteriis locentur. *Clement. 1. de electione.*

710. Qui non scientiâ commendabilis. *cap. cum in cunctis. 7. cap. qualiter. 17. cap. nihil. 44. de election. cap. si forte. 11. eod. in 6.* Exigitur autem in Prælato scientia eminens, toleratur conveniens, censetur melior mediocris cum probitate, quàm sine probitate eminens. *cap. cum nobis. 19. de election. Præter literaturam requiritur in Prælato sæcularium negotiorum discretio, & cum prudentia cognitio, ut commissa indemnis servetur Ecclesia. can. unic. dist. 39.*

Quæres octavo. Qui naturâ sunt indigni? *1. 1mo. Ex illegitimo thoro nati. can. Presbyterorum. 1. dist. 56. cap. cum in cunctis. 7. cap. innotuit. 20. de elect. cap. no filii. 1. cap. nimis. fin. de Filiis Presbyt.*

2do. Servi. *can. 1. & totâ dist. 54. cap. consuluit. 5. de servis non ordinand. 3tio. Qui non sunt ætatis legitimæ. cit. cap. cum in cunctis.* Ubi in Episcopum eligi prohibetur, nisi qui jam tricesimum annum ætatis exegerit. Ad Dignitates Episcopatu inferiores & beneficia curam animarum habentia requiritur annus vigesimus quintus inchoatus. *cit. cap. cum in cunctis. §. inferiora. cap. licet. 14. de election. in 6. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* In quibus Textibus requiritur, ut provîsus de beneficio curato annum ætatis 25 tum attigerit, attigisse autem incepisse est. 4to. Affecti defectibus corporalibus, ob quos sunt inhabiles, ut vel absolutè, vel decenter officium, ad quod eligendi, exercere possint. Ut constat ex titulis: *De corpore vitiat. De Clerico agrotante, & ex cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat. Trid. Sess. 22. de reformat. cap. 4.* In specie cæcitas, surditas, privatio loquelæ. *can. hinc etenim. 1. dist. 49. cap. constitutionem. 2. de verbor. significat.* Paralysis continua vel quasi continua. *cap. fin. de Clerico. agrotant.* Quò podagra continua vel quasi continua reducitur.

Quæres nono. Qui ob mores & delicta sunt indigni? *2. Quia oportet electum "in Prælatum, juxta Apostolum, sine crimine esse & irreprehensibilem, nullâ "peccati conscientia remorderi debet; "Quomodo enim potest Præses Ecclesiæ "malum auferre de medio ejus, qui in "delicto simili corruerit, aut quâ liber- "tate corripere peccantem potest, cùm "tacitus sibi ipsi respondeat, eadem ad- "misisse, quæ corripit?" can. fin. dist. 25.*

Ideo Canones crimina quædam specialiter definiverunt, quibus obnoxii indigni sunt, ut eligantur, Sunt autem sequentia:

1^{um}. Ambitio, hoc est: "Inordinata Honorum & Dignitatum Ecclesiasticarum cupiditas, quia sicut locus regiminis desiderantibus est negandus, ita fugientibus est offerendus., *can. in scripturis. 9. caus. 8. q. 1.* "Et, sicut is, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est Altaribus admovendus, sic qui ultrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus." *can. sicut. 3. caus. 1. q. 6.* "Tantum ab ambitu sepositus debet esse Prælatus, aut in Prælatum eligendus, ut quærat cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi; profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitatus." *L. si quæquam. 31. C. de Episcop. & Cleric.* Imò Canones etiam umbram & suspensionem ambitionis damnant; ideo enim in *cap. cum post petitam. 46. de elect.* cassatur electio illius, qui ante electionem factam modò consenserat, si eligeretur. *Gloss. ibid. verb. requisitum. In cap. per inquisitionem. 26. eod. tit.* Cassatur electio ex hoc, quòd electus & amici ipsius ante electionem cum quibusdam Canonicis sive Electoribus colloquium habuerint, eosque, ut ipsum in Episcopum eligerent, sollicitaverint. *In cap. officii tui. 38. de elect.* Reprobatur electio illius in Abbatem, qui Monachus factus fuerat cum promissione, quòd Abbas futurus esset. *In Clement. fin. de election.* Invalida declaratur licentia,

& nullius dicitur esse roboris, quod Religioso generaliter à Prælato suo concessa fuerit, ut electioni vel provisioni, si quam de ipso fieri contigerit, suum dare possit assensum. Ratio additur: quia ambitionis vitio viam parat. Hoc ambitionis scelus maxime in Regularibus detestatur *cap. quorundam. 24. de election. in 6.* "Conquerendo, quòd quorundam oculos sic vitium ambitionis exæcet, ut quasi suæ Professionis immemores, quæ contemptis honoribus, abjectis divitiis, spreteisque deliciis arbitrium proprium subjugarunt alterius ditioni, retrospiciant ad aratrum manu missa, dum præcipitanter ruunt in litigiorum anfractus, & causarum strepitibus se involvunt, & extra administrationes proprii Ordinis solum Prælaturæ conscendere moliantur, electionibus, postulationibus, seu provisionibus de se in discordiâ celebratis improvidè præstando consensum, præbendi assensum à suo Superiore nonnunquam extorâ licentiâ potiùs quàm obtentâ: ex quo animarum & Ecclesiarum dispendia noscimus provenisse, & proventura majora quàm antea verisimiliter formidamus." Ita Bonif. VIII. *in cit. cap. quorundam.*

2^{um} est Simonia, sive datio rei spiritualis pro temporali, vel econtrâ. "Nemo per simoniacam hæresin regiminis locum obtineat, quâcunque factione, calliditate, promissione, seu commo-ditate aut datione per se aut per submissam personam." *can. cavendum. 3. caus. 1. q. 7.* Audiatur Imperator ita loquens *cit. L. si quæquam. C. de Episcopis & Sc.*

pis Ec. "Nemo gradum Sacerdotii pre-
 "tium venalitate mercetur, quantum quis-
 "que meretur, non quantum dare suf-
 "ficiat, aestimetur. Profectò quis locus
 "tutus, & quæ causa poterit esse excu-
 "sata, si veneranda DEI templa pecu-
 "niis expugnentur? Quem murum inte-
 "gritatis, aut vallum fidei providebi-
 "mus, si auri sacra fames in penetralia
 "veneranda proserpat? Quid denique
 "cautum poterit esse aut securum, si
 "sanctitas incorrupta corrumpatur? Cef-
 "set Altaribus imminere profanus ardor
 "avaritiæ, & à sacris Aris repellatur
 "piaculare flagitium. Nec pretio sed
 "precibus ordinetur Antistes. Cum sanè
 "si quis hanc sanctam & venerandam
 "Anustitis Sedem pecuniæ interventu
 "subiisse, aut si quis ut alterum ordi-
 "naret, aut eligeret, aliquid accepisse
 "detegitur, admittat publici criminis
 "& lætæ Majestatis, accusatione propo-
 "sitâ, à gradu Sacerdotii retrahatur, nec
 "hoc solum deinceps honore privari,
 "sed perpetuæ quoque infamiæ damnari
 "decernimus." Circa simoniacè ele-
 "ctum notanda sunt sequentia:

1mo. Ut electio ipso facto irrita sit,
 simoniam opere, hoc est: datione
 & receptione completam esse requiritur,
 alioquin non ab ipso jure irrita, sed à
 superiore tantum irritanda est.

2do. Irrita est electio, confirmatio,
 institutio, si simonia etiam ignorante
 electo, confirmato, instituto interces-
 serit. *cap. si alicujus. 59. de election. cap.
 nobis. 27. de simonia.* Præterquam si is
 expressè contradixerit, vel nisi aliquis
 per fraudem in dispendium illius, qui

eligendus erat, ut eum ita ad electionem
 inhabilem redderet, id malitiosè fecis-
 set. *cit. cap. nobis. cap. sicut tuis. 33. de
 simon.*

3tio. Simoniacè electus vel provisus
 inhabilis redditur, quò minus idem
 beneficium etiam novâ electione aut
 provisione obtinere possit. Si tamen
 ignorante, nec postmodum ratificante
 electo simonia commissâ, & beneficium
 simplex est, Episcopus dispensare potest,
 ut post liberam resignationem idem be-
 neficium obtineat; si verò beneficium
 curatum, idem beneficium obtinere
 non potest, nisi vitium per interpositam
 personam sit purgatum, hoc est: si cas-
 satâ electione simoniacâ alius eligatur
 vel promoveatur, isque resignet vel
 moriatur, nihil obstat, quò minus is,
 qui propter simoniam absque sua culpa
 repulsus fuit, denuò eligatur, quamvis
 si ipse electus vel provisus simoniam
 commiserit, ad aliud etiam beneficium
 promoveri nequeat. *Extrav. 2. de simon.
 inter com.*

*3tium. Sacrilegium. can. miror. 8.
 caus. 17. q. 4. cap. Venerabilem. 34. de
 election.*

4tum. Avaritia. Exemplum est in
can. Archidiaconum. dist. 85. Ubi cum
 contra electum obmotum fuisset, illum
 ita tenacem existere, ut in domo ejus
 amicus ad charitatem nunquam introeat,
 Pontifex inquiri jubet, si ita veritas se
 habeat, ut nunquam ejus amicus do-
 mum ingressus sit, & utrum ex neces-
 sitate, an ex tenacitate talis sit.

5tum. Quodlibet crimen, ob quod
 quis infamis redditur. *can. infames. 17.
 caus. 6.*

caus. 6. q. 1. cap. inter dilectos. 11. de excessibus Pralatorum. L. neque famosis. 2. C. de Dignitat. L. unic. C. de infamib. Est autem 2plex infamia, juris videlicet & facti, infamia juris est, quæ per legem aut Judicis sententiam infligta; & ad hanc tollendam Superioris dispensatione & restitutione opus est. Infamia facti est: quæ oritur ex publica notitia alicujus criminis; hæc per factum contrarium, id est: per publicam & constantem emendationem, aboletur.

6tum. Quodlibet crimen, ob quod irregularitatis incurritur impedimentum; beneficium enim datur propter officium, per irregularitatem autem ad officia Ecclesiastica quis incapax redditur, ergo etiam ad Ecclesiastica beneficia. *cap. fin. de Cleric. excommunicat.*

7imum. Quodlibet crimen, ob quod censura incurritur. Nam imprimis electio excommunicati ipso jure irrita est. *cap. postulastis. 7. de Cleric. excom.* Sive excommunicatus vitandus, sive non vitandus sit; quia per constitutionem Martini V. *Adevitanda.* Nullus excommunicato, sed potius Fidelibus cum excommunicato communicantibus favor factus est: imò excommunicatus excommunicatione minori indignus est, qui eligatur. *cap. si celebrat. 10. de Cleric. excommunicat.* Ideoque qui excommunicatum excommunicatione minori scienter eligunt, mortaliter peccant, ac pœnas Juris incurunt; ipse verò electus si inhabilitatis suæ habuerit scientiam, electio est irritanda; si eam ignoraverit, absolvendus est, ac ita titulus electionis vel collationis revalidabitur.

Deinde suspensus à beneficio vel officio eligi non potest. *cap. cum dilectus. 8. de consuetud. junctâ gloss. verb. suspensis.* Demùm personali affectus interdictio ineligibilis existit.

8vum. Quodlibet vitium, propter quod electio alicujus personæ aliquando cassata fuit, impedit, ne eadem persona eligi possit. *cap. super eo. 12. de elect.* cum hac tamen distinctione: Aliquando cassatur electio vitio personæ, seu propter crimen electi verè probatum, & tunc repulsus propter idem, erit quoque ab alia electione repellendus; nam vitium concernens personam sigillat & notat ubique personam, illamque sequitur sicut lepra leprosum. *can. citò. 16. caus. 1. q. 1.* Quandoque cassatur propter crimen præsumptum, & tunc secunda promotio non impeditur, si de crimine præsumpto se purgare valet. Quandoque propter infirmitatem electi cassatur, ut est exemplum in *cap. cum inter. 21. de elect.* Et tunc si probare potest, quòd ab illa infirmitate convaluerit, non impeditur nova promotio. Demùm cassatur quoque electio vitio electionis, quo casu promotionem electi etiam in eadem Ecclesia, si nihil aliud obstat, impedire non debet cassatio. *cit. cap. super eo. 12. de election.*

Quæres decimo. Si electio ob aliquem defectum electi sit irrita, an electus Prælaturam dimittere, etiam ante sententiam Judicis in conscientia obligatus existat? R. Distinguendo: Aliquando Jura electionem vel provisionem ita infirmant, ut electus vel provisus nullum omninò jus in beneficium acquirat.

& tunc illud retinere non potest, sed etiam in foro conscientiae dimittere obligatur, nisi dispensationem & tituli revalidationem impetierit. Exempla sunt 1^{mo}. Si quis in excommunicatione majore electus. *Cit. cap. postulasti. 7. de Cleric. excomm. 2do*. Si Electores fuerint excommunicati non tolerati. 3^{to}. Si intervenerit simonia. Ita in *cap. Mathaus. 23. de simonia*. Pontifex electo Episcopo, cujus amici de conscientia electi pecuniam sese electioni opponentibus dederant, ut ab oppositione desisterent, consulit, ut administrationem celeriter ac sponte dimittat, illius verbi memor: *Nihil prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur. 4to*. Si facta electio infamis infamia juris, aliquando jura electionem quidem irritant, eam tamen in foro conscientiae irritam esse non exprimunt, & tunc electus, si nemo se opponat, & is defectum brevi tempore tollere posse existimet, v. g. aetatem requisitam, scientiam competentem brevi assequetur, improbos mores emendabit, dispensationem super irregularitate, absolutionem à suspensione, interdicto, minori excommunicatione impetrabit, tutus esse potest, nec aliâ tituli revalidatione indiget, quamvis electio aut provisio in foro externo irrita sit, ita ut Judex officio vel ad petitionem opponentis electionem irritam declarare obligetur.

Quæres undecimo. Quenam pœnæ indignum scienter eligentium? R. 1^{mo}. Eligentes vel postulantes in Episcopum scienter indignum pro ea vice privati

R. D. Schnorrenberg Instit. §. Can.

sunt jure eligendi, & à beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinent, per triennium suspensi. *Cap. cum in cunctis. 7. §. Clerici. de electione. cap. si compromissarius. 37. eod. in 6. 2do*. Eligentes indignum ad aliam Prælaturam Episcopatu inferiori, eâ vice jure eligendi privati sunt. *Cap. quanquam. 18. de electione. in 6.*

Quæres duodecimo. Quomodo intelligendum, quod scienter eligentes indignum illâ vice potestate eligendi privati sint? R. Formetur casus: sint 20. eligentes, quorum 15. votum dant indigno, quem v. g. illegitimo thoro natum esse sciunt, 5. dant votum digno, tunc 1^{mo} illi 15. pœnam privationis non incurrunt, nisi electionis decretum publicè fuerit formatum; pœna enim intelligenda est cum effectu. *Cap. relatum. 4. de Cleric. non residentib.* Electio autem facta non censetur, nisi post scrutiniî publicationem, & capitulare Decretum formatum; ideoque si publicato scrutiniî illi quinque advertant, quod alii indignum elegerint, ut illi ad publicam electionem procedant, permittere debent. 2^{do}. Post factam indigni electionem illi quinque vel eodem contextu electionem suam promulgare, aut si malint, exclusis illis 15. ad novum scrutiniî procedere possunt. 3^{to}. Postquam illi 5. electionem suam promulgant, illorum 15. cessat privatio; ideoque si electio horum 5. effectum non habeat: ut quia electus electionem acceptare noluit, vel statim mortuus est, vel occulto laborat defectu, illi 15. à nova electione excludi nequeunt. 4^{to}. Si illi 5. etiam in nova electione scienter indignum eligant,

G

gant,

gant, totum Capitulum jure eligendi privatum est, & electio ad Superiorem devolvitur. *5to.* Quamvis illi quinque excludere velint, possunt tamen vel omnes vel aliquos ad electionem admittere, dummodò omnes s. consentiant, quia unus solus Capitularium se opponere potest, ne privatus admittatur;

licet enim, si de necessitate vel utilitate Ecclesiæ agatur, sufficiat, si major pars Capituli consentiat, dum autem de jure singulorum agitur, omnes consentire debent. *Juxta Regul. Juris. 29. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Et Regul. 56. In re communi melior est conditio prohibentis. De Reg. Juris. in 4.*

G. Quintus.

DE

Actu Electionis.

Quæres primo. Quot modis electio fieri potest? *R.* Post Concilium Lateranense sub Innocentio III. relato in famoso illo *Capitulo, quia propter 42. de elect.* tres electionis formæ sunt: *1ma* per inspirationem. *2da* per compromissum. *3tia* per scrutinium. Sed si Electores alio novo modo eligant, electio nulla est, & Electores formas præscriptas non servantes per sententiam Judicis pro illa vice potestate eligendi privantur, quæ est differentia inter eligentes indignum, & in forma electionis errantes, quòd errantes per sententiam Judicis sint privandi, eligentes verò scienter indignum ipso facto sint privati, ut antè dictum.

Quæres secundo. Quid est electio per inspirationem? *R.* Illa fit, cum simul omnes Electores, quasi Divino commoti impulsu, nullo præcedente Tractatu in unius electionem consentiunt. *sic. cap. quia propter.*

Quæres tertio. Quotplex electio per inspirationem? *R.* 2plex: alia est verè per inspirationem, quando quis à DEO

per signum aliquod designatus communi consensu ad Prælaturam potiùs rapitur, quàm eligitur. Taliter electus est S. Nicolaus ex Laico in Episcopum, taliter S. Severus ex Lanifice factus Archiepiscopus, S. Ambrosius ex Catechumeno nondum baptizatus proclamatus est Episcopus. Ut refertur in *can. statuumus. 8. dist. 61. §. econtra.* Hæc electio cum sit immediatè à DEO, nullis humanis subjacet legibus, vix tamen hodie reperitur, postquam, ut jocantur Interpretes, columbam, quæ Episcopos demonstrare solebat, corvus devoravit. Electio per quasi inspirationem est; quando nullo præcedente Tractatu omnes Electores communiter quasi uno ore in eundem consentiunt, hæc ut valeat, absque vitio simoniæ, conspirationis, requisitionis vel consensûs extra Capitulum habiti debet processisse.

Quæres quarto. Quæ forma eligendi per compromissum? *R.* Electio per compromissum fit, quando potestas eligendi uni, *cap. causam. 8. de elect.* vel duobus
aut

aut pluribus Clericis & viris idoneis. *cap. in causis. 30. cap. cum in jure. 33. cap. cum in veteri. 52. de elect.* sive de Collegio. *cit. cap. in causis.* sive extra Collegium. *cit. cap. causam.* ab omnibus, qui jus eligendi habent, committitur, ut vice omnium vel loco vacanti prospiciant, vel alios, qui hoc faciant, eligant. *cit. cap. in causis.* Ne compromissum fiat, unus solus Capitularium se opponens impedire potest; nam cum compromissum sit voluntarium, & juri præjudicet singulorum, ab omnibus recipi necesse est. *juxta cit. reg. juris. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*

Quæres quinto. Quot modis compromissum fieri potest? *re.* Duobus: Vel absolute vel limitate: si absolute data eligendi potestas: quemcunque idoneum, etiamsi de gremio non sit, postulare possunt, juxta Regulam communiter receptam: Qui potest eligere, potest & postulare. *Gloss. in cap. cum dilectus. 32. de election. Verb. de gremio.*

Quæres sexto. Quando compromissum sit limitate? *re.* Quando compromissariorum potestas restringitur, ut ex Capitularibus unum eligant. *Cap. in causis. 30. cit. cap. cum dilectus. 32. de elect.* Vel aliquem requisito certarum personarum consilio. *cap. cum in veteri. 52. de election.* Vel ut eligant eum, quem requisitis secretò singulorum Capitularium votis à majore parte Capituli invenerint nominatum. *cit. cap. cum dilectus.* Quo modo posteriori factum compromissum non purum, sed ex scrutinio mixtum est, adeoque ex 2plici electionis forma aliquid participat. Hic modus

eligendi optimus est. *Gloss. in cap. cum expediat. 29. de elect. in 6. Verb. inquisitio.* quia & evitantur difficultates & subtilitates. *cap. quia propter.* Et quilibet eligentium votum retinet, dum Compromissarii illum, quem major pars respectu totius Capituli, non respectu aliorum nominatorum designaverit, eligere obligantur. *cap. si cui. 23. & cit. cap. cum expediat. 29. de election. in 6.*

Quæres septimo. Quam formam in eligendo Compromissarii servare tenentur? *re.* Non tenentur in facienda electione ullam scrutini formam observare, nisi plures fuerint Compromissarii; tunc enim illum, in quem major Compromissariorum pars consenserit, eligere debent. Nec compromissum valeret hæc formâ datum: ut is eligeretur, in quem plures ex Compromissariis consenserint, ut si septem Compromissarii, & duo in Petrum, duo in Paulum, & tres in Joannem consentirent, electio Joannis invalida foret, quia major pars Compromissariorum in illum non consensit. Deinde concordante majore Compromissariorum parte, ab uno nomine omnium electio promulgari debet: Ego nomine meo & aliorum consentientium eligo &c. *cap. sicut. 21. de election. in 6.*

Quæres octavo. An Compromissarii se ipsos eligere possint? *re. 1mo.* Compromissarii unum ex ipsis eligere possunt, non solum quando id ab eligentibus est concessum. *cap. cum in jure. 33. de election.* Sed etiam quando absoluta eligendi potestas data est; quia nemini officium suum damnosum esse debet. Compromissariis autem damnosum foret, si

jure electionis passivo privarentur, 2do. Nullus sibi ipsi ex Compromissariis primo votum dare, & ita electionem inchoare potest, quia qui se ipsum eligit, ambitiosus judicatur. *Can. in scripturis. 9. caus. 8. q. 1. 3tio.* Compromissarius aliorum suffragiis in se directis consentiendo accedere potest: ut si ex septem Compromissariis tres Titium Compromissarium, & tres Cajum ex Capitulo eligerent, Titius priorum votis accedendo numerum augere & sui electionem ita perficere valet. Ut decisum est in *cit. cap. cum in jure.* Ubi tria notanda: 1^{um}. Si Compromissarius unum nominarit, & ipse ab uno vel duobus sequentibus nominatur, potest revocato, quod prius dederat, suffragio se eligentibus accedere, & numerum eligentium supplere. *Gloss. in cit. cap. cum in jure. Verb. consentiat. 2dum.* Idem in aliis electionibus aut nominationibus, in quibus unus à pluribus non secretò, sed per vota manifesta eligitur, fieri potest. 3^{ium}. Quando in Ecclesia consuetudo, ut dum publicato scrutinio in neminem majora vota respectu totius Capituli consentire apparet, minora vota ad majora vota accedere possint, Elector se eligentibus accedere non prohibetur.

Quæres nono. An eligentes compromissum revocare possint? R. 1^{mo}. Si potestas eligendi ad certum tempus, intra quod eligere debeat, Compromissario restricta fuerit, eo evoluta, si electio nondum peracta, de se cessat compromissum. *Cap. cum in veteri. 52. de election. 2do.* Re non amplius integrâ, hoc est: si in negotio compromissi ad

substantialia est processum, compromissum revocari nequit. 3^{tio}. Si Capitulum in gratiam Compromissariorum in compromissum consentit, etiam re integrâ compromissum revocari non potest, cum sit quædam donatio. *L. si ve eman- cipatis. 17. C. de donation.* Aliàs compromissum re integrâ revocari potest, si factum in favorem Ecclesiæ, ut eidem provideretur; tunc enim compromissum rationem mandati aut commissionis habere censetur. In dubio non in favorem Compromissariorum, sed in favorem Ecclesiæ factum præsumitur compromissum.

Quæres decimo. Ad quem electio devolvitur, si à Compromissariis eligatur indignus? R. Si Compromissarii scienter vel ignoranter indignum elegerunt, potestas eligendi ad Compromittentes revertitur, etiam si plures sint Compromissarii, & major pars indignum elegerit. Ratio est: quia postquam Compromissarii officio suo functi sunt, sive bene sive malè, ut loquitur *Gloss. in cap. causam. 8. de election. Verb. recipi.* Eorum potestas & officium expirat, ut sine nova commissione eligere amplius non valeant, neque minori parti fit injuria, quæ indignum ignoranter, vel dignum nominavit: quia eligendi potestas, quam habent, ultra Compromittentium intentionem non extenditur. Idem est, quando Electus à Compromissariis dignus electioni consentire recusat.

Quæres undecimo. Si Compromissarii intra terminum Juris non eligant, an electio ad Capitulum devolvitur? R. Neg. Sed providendi potestas ad Superiorem de-

deolvitur, & Compromittentes sibi imputare debent, quòd in Compromissarios tam negligentes potestatem eligendi transtulerint, & ita valet Regula, quòd Procurator Domino noceat negligendo, non tamen in committendo. *Cap. si Compromissarius. 37. de election. in 6.*

Quæres duodecimo. Quid est electio per scrutinium? *32.* Forma scrutini in his formalibus. *cap. quia propter. 42. de election. consistit, "ut præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt*

"commodè interesse, assumantur tres
"de Collegio fide digni, qui secretè &
"sigillatim vota cunctorum diligenter
"exquirant, & in scriptis redacta mox
"in communi publicent, nullo prorsùs
"appellationis obstaculo interjecto, ut
"is collatione votorum inter se habitâ
"eligatur, in quem omnes, vel major
"& sanior pars Capituli consentit." *Idem*
hac forma, cùm omnia ferè sint substantialia, plurimæ sunt difficultates, pro quibus expediendis specialem §. duximus exponendum,

§. Sextus.

DE

Electione per Scrutinium.

Quæres primo. Quot sunt partes scrutini? *32.* Quinque. *1mo.* Electio scrutatorum. *2do.* Ipsum scrutinium, seu secreta suffragiorum collectio per scrutatores facta. *3tio.* Scrutini publicatio. *4to.* Suffragiorum collatio. *5to.* Decretum capitularis & communis electionis.

Quæres secundo. Quæ ad electionem scrutatorum requiruntur substantialia? *32.* Sequentia: *Primum substantiale.* Scrutatores, uti vocantur *in cap. Cumana. 50. de election.* ab Electoribus capitulariter congregatis vel per publicum scrutinium, vel per compromissum assumi, nequaquam autem sese ingerere debent. Attamen Abbas Panormitan. quem sequitur Laym. electionem valere putat, si tres de Capitulo, aliis videntibus & tacentibus, aliorum vota scrutari incipiant: quia cùm agatur de re meritoria

& concupiscibili, tacentes habentur pro consentientibus. *2dum substantiale.* Numero tres, nec plures, nec pauciores esse debent, quamvis *Gloss. in cit. cap. quia propter. Verb. sanior.* velit ternarium numerum non esse de substantia, dummodò tot sint Inquisitores, ut fraus fieri non possit. *3tium.* De Collegio, non præcisè viduatæ Ecclesiæ, sed de Collegio eligentium esse debent. Quamvis Canonistæ Germani sustineant, quòd in Germania per consuetudinem extranei in scrutatores assumi valeant.

Quæres tertio. Quæ essentialiter requiruntur ad scrutinium? *32.* Sequentia: Substantiale primum est, ut à scrutatoribus cunctorum votum exquiratur, uno igitur eligentium præterito non valet electio. *2dum.* Ut exquirantur secretè, hoc est, seorsim ab aliis de Collegio, ut

G 3

quisque

quisque liberiùs votum suum dicere possit. *3^{ium}*, ut exquirantur *sigillatim*; non enim bini vel terni, sed seorsim & separatim audiendi sunt singuli. *4^{um}*. Ut vota cunctorum secretè & sigillatim à tribus scrutatoribus exquisita redigantur in scriptis sive per scrutatores singulos, sive ex aliorum consensu, per unum ex ipsis, sive per tabellionem cum ipsis adhibitum, qui extraneus, etiam Laicus esse potest. In praxi scrutatores vota daturis adjurant, ut secundùm DEUM & conscientiam suam in eum vota dirigant, quem Ecclesiæ utilem & magis idoneum existimant. Postquam singulorum vota exceperunt, interrogant, quare consentiant in eum, quem nominant, quo zelo, ob quæ merita & qualitates denominati. Ad evitandas fraudes scrutatores à propriis personis incipiunt, & ex tribus duo scrutantur votum tertii, dein is, à quo votum datum, cum alio inquit in votum secundi, postea duo inquisiti votum tertii exquirunt. Post exquisita vota scrutatorum, ab eo, qui Capitulo præsidet, votum exigitur. Deinde ab aliis secundùm dignitatis vel antiquitatis prærogativam.

Quæres *quarto*. In quo consistit scrutini publicatio? *ꝛ*. Postquam vota in scriptum sunt redacta, mox, hoc est: in continenti, nullo actu extraneo interposito, vota in communi publicari debent. Hæc publicatio in communi juxta aliquos in hoc consistit, quòd integer eorum numerus publicè quoad congregationem totam Capituli proferatur, non exprimendo, in quorum favorem vota data fuerint, vel quot ex Electoribus

ad hanc vel illam personam descenderint, sed tantùm numerum personarum, quæ suffragium tulerunt, explicando, v. g. dicendo: Vota, quæ à Dominis exquisitis exquisivimus, sunt universatim v. g. 20. Ita *Tambur. de jure Abbat. tom. 1. disput. 5. q. 6. n. 15. Barbof. lib. 1. jur. Ecclesiast. cap. 19. n. 216.* Alii publicationem scrutini in hoc consistere volunt, quòd Scrutatores palàm coram Capitulo Electum, vel si plures sint, Electos nominent, & quot vota quilibet habuerit, enuntient. Ita *Passerin. de election. cap. 19. n. 1. § 4. Lud. Engel. h. t. n. 36.*

Quæres *quinto*. Quis publicati scrutini effectus? *ꝛ*. Publicato ita scrutinio Electores variare nequeunt; quia officio suo functi sunt. *cap. publicato. 58. de election. junct. Glossa. verb. variare.* Et res desit esse integra, *cap. in causis 30. cap. Ecclesia vestra. 48. de election.*

Quæres *sexto*. In quo consistit collatio? *ꝛ*. Post publicationem scrutini à Scrutatoribus statim votorum collatio fieri debet, utrumque de substantia est, ut videlicet fiat, & statim fiat. *cap. Cummana. 50. cap. publicato. 58. de election.* Collatio autem numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum facienda est, ut si voces Electorum in diversos esse dispersas contingat, quis à majori & saniori eligentium parte electus fuerit, appareat. *cap. in Genesi. 55. de election.*

Quæres *septimo*. In quo consistit electionis decretum? *ꝛ*. Si facta collatione pro uno majorem & saniozem Capituli partem esse inveniatur, decretum formari debet, hoc est: ab uno ex Scrutatoribus,

toribus, vel Electoribus, vel electionis Præfide clarâ & distinctâ voce dici debet: Ego nomine meo & mihi consentientium in Prælaturum hujus Ecclesiæ eligo, & electum promulgo N. N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Hoc decretum de substantia electionis est, nec ante promulgatum hoc decretum electio perfecta est. Cujus ratio: quia in forma scrutini sunt quasi duæ electiones, una singulorum optio & suffragatio est, quæ fit in Scrutinio, altera communis, capitularis, & solemnis electio est, & hæc per præfatum decretum fit, quod in continenti formandum est, juxta *cap. cum post petitam. 46. de election.*

Quæres octavo. Quid requiritur, ut pro uno major sit & sanior pars eligentium? R. Imprimis non sufficit unum habere plura vota respectu aliorum, qui pauciora habuerunt. *Cap. Ecclesia vestra. 48. de elect.* Sed debet habere plura vota respectu totius Capituli præsentis, ita ut si sint 12. vocales, saltem septem habeat vota. *Cap. Cumana. 5. de election. cap. feci. 23. eod. in 6.* Quicumque autem excessus ultra medietatem sufficit, etsi foret unius medii voti, v. g. si essent 13. vocales, sufficeret, quod haberet septem vota; de illo enim verificaretur, quod in illum major pars Capituli consensisset. *Passerin. cap. 19. de election. n. 18.* Præterea pro uno major & sanior pars Capituli stare debet, ideoque si altera pars eligentium numero, altera autoritate & Electi meritis excellat, neutra valet electio; conjunctim enim & à majori & saniori parte esse debet, *cit. cap. Ecclesia vestra.* Si tamen alterius partis numerus sit

duplò major, electio indistinctè valet. *cap. si quando. de elect. in 6.* Excipiuntur electiones Regularium, in quibus, ut loquuntur Interpretes, non attenditur, quænam pars sit sanior, cum omnes bono zelo, & ex consideratione meritum ad electionem processisse præsumantur. *Arg. Clement. Exiui. de verbor. signif. 5. demum.*

Quæres nono. Quibus electionibus forma scrutini præscripta? R. Illis electionibus forma scrutini præscripta est, in quibus Prælatus generalem & ordinariam jurisdictionem, & Ecclesiam in perpetuum titulum obtinens eligitur; Consilium enim Lateranense in *cap. quia propter.* electioni Prælatorum in Ecclesiis viduatis formam præscribit, Ecclesiæ autem viduatae sunt, quæ Pastorem veluti sponsum suum amiserunt. Quavis igitur soli Episcopi proprio vinculo spiritualis matrimonii suis Ecclesiis sint conjuncti, *can. sicut. 39. caus. 7. q. 1.* Attamen vinculum spiritualis matrimonii latius accipiendo, alii Ecclesiarum Collegiatarum Prælati & Sponsuarum Ecclesiarum & Pastores, ac per obitum eorum Ecclesiæ viduatae appellantur, *cap. ne pro defectu. 41. de election.* Ac proinde in eorum Electionibus forma *cap. quia propter.* servanda est, nisi fortè tempore immemoriali alia eligendi consuetudo alicubi fuerit observata, vel Privilegium Apostolicum habeatur. Sic in plerisque Abbatibus Abbates perpetui per vota secreta in scripturam redacta & in calicem missa eliguntur, ita ut eligens nec ipsis Scrutatoribus innotescat, quod à rigore *cap. quia propter.* deviare dignoscitur.

Quæ-

Quæres decimo. An in electione Prælatorum Regularium non perpetuorum forma scrutini servari possit? R. Affirm. contra Fagnan, & alios; quamvis enim *Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 6.* ita disponat: "In electione Superiorum (intellige Regularium) quorumcunque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quæ omnia rectè & sine ullâ fraude fiant, imprimis sancta Synodus districtè præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum electorum nomina nunquam publicentur; si verò contra hujus Decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit." Non obstante hoc Decreto, sive Electores sua vota dent in scriptis, sive ea coram Scrutatoribus vivâ voce proferant, vota adhuc secreta dari censentur, eò quòd in secreto & seorsim ab aliis, qui sunt de Collegio, dentur, quod per declarationem S. Congregationis confirmatur. Si electi fuerint à Superioribus aliqui, qui vota omnium recipiant, electio secreta & canonica reputabitur. Ita *Tamburin. tom. 1. disp. 5. q. 6. n. 10. Garzias. p. 5. de benef. c. 4. n. 187. Passerin. & alii.*

Quæres undecimo. An quando ex scrutinio peracto communis & canonice electio sequi non potest, eò quòd vota in duos sit æqualia, vel inter plures nominatos nullus majora respectu totius Capituli habeat, necessariò ad novum scrutinium procedi debeat, vel locus detur accessui minoris partis ad majorem? Casus obvius esse scitur. R. 1mo. Quando

electio juxta rigorem *cap. quia propter.* celebranda est, accessus minoris partis ad majorem locum non habet. Ratio est: quia de substantialibus hujus formæ est: quòd vota in ipso scrutinio secretè dentur ac sigillatim, ideoque consensus postmodum superveniens nihil operatur, juxta *cap. auditis. 29. de election.* Quando autem majori vel æquali parti accedit minor, illa consensum suum palàm extra scrutinium, imò scrutinio jam perfecto declarat, ac ita publicato scrutinio variat, contra *cap. publicato.*

2do. Quando rigor *cap. quia propter.* non servatur, quamvis tunc Electores variare non possint, si quis in scrutinio majora vota reportavit, cum talis variatio in nominati, qui per sufficientia vota jus acquirere cœpit, præjudicium cederet; si tamen nullus nominatus vota sufficientia habeat, publicato scrutinio ante factum commune Decretum electionis minoris partis ad majorem valet accessus. Cui non obstat *cap. publicato.* Illud enim de publicato loquitur scrutinio, ex quo solennis electio sequi potest. Nec est. *cap. auditis.* quia ibidem votorum post promulgatum commune electionis Decretum factus fuerat accessus. Nec *cap. in electionibus. 2. de election. in 6.* Ubi vota conditionata, alternativa & incerta reprobantur; nam accedentes seu eligentes illum, quem jam plures nominarunt, nec dant votum conditionatum, nec incertum, cum absolute illam eligant personam, quæ in scrutinio plura vota reportavit, & quam utpote à pluribus nominatam dignam & habilem rationabiliter præsumunt.

3tio. Specialiter in electione summi Pontificis valet accessus; si enim nullus Cardinalium duas tertias in scrutinio habuerit, per accessum alium in Pontificem nominare possunt, quem prius in scrutinio non nominarunt, dummodò hic unum saltem votum in prævio scrutinio habuerit; in electionibus quoque Abbatissarum, quando aliqua à majori parte Capituli, sed non à duabus partibus electa est, aliæ Moniales ad eam accedere, & sic post publicatum etiam scrutinium variare possunt. *cap. indemnitatibus. 43. §. sanè. de elect. in 6.*

Quæres duodecimo. Si in aliqua electione forma scrutinii, ut facillè fieri po-

test, exactè non fuerit observata, an electio ipso jure irrita? R. Electionem ipso jure irritam esse, ita ut à Superiore per sententiam rescindi valeat, ac si ab initio irrita fuisset; si tamen non rescindatur, eò quòd nemo se opponat, electio firma manet, & electus in conscientia tutus est, cum naturalis obligatio ex eligentium consensu orta subsistat, & postquam per triennium electus & confirmatus non impugnatus, seu in quietà possessione fuit, etiam in foro externo amplius molestari nequit, per Regulam Cancellaria 33. de triennali possessione.

J. Septimus.

De iis, quæ fiunt post Electionem.

Quæres primo. Quid peractâ electione faciendum? R. 1mo. Formandum est electionis decretum in scripto continens eligentium nomina, assensum & subscriptiones singulorum, Electi nomen & dignitatis titulum, cum scrutinio, votorum publicatione, collatione, electione, & Capituli sigillo. 2do. Electio Electo, ut consensum det, præsentanda. 3tio. Habito consensu Electi sequitur confirmatio. 4to. Habita confirmatione sumenda consecratio.

Quæres secundo. Qualiter consensus in electionem ab Electo præstandus? R. Post canonicè factam & publicatam electionem electio Electo quamprimùm intimari debet, *cap. quam sit. 6. de election. in 6.* & quidem intra octo dies ab eo tempore, quo commodè potuerunt, com-

R. D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.

putandos. *cap. cupientes. 16. §. eaterum. de election. in 6.* quod si non fiat, non electus, sed Electores triennali suspensione ab omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, puniuntur. *ibid.*

Quæres tertio. Qualiter Religiosus electus electioni consentire potest? R. Si Electus sit persona non sui juris, uti Religiosus, qui velle & nolle non habet, absque licentia Superioris sui electioni extra suam Ecclesiam vel Ordinem de se factæ consentire non potest, & si consentiat, consensus præstitus non tenet, & in pœnam præsumptionis electio eadem ipso facto viribus evacuat omnino, quamvis postea Superioris accedat consensus. *Cap. si Religiosus. 27. de election. in 6.* Ideo Electus, vel potius Ele-

H Electores

ctores ad vitandam ambitionis notam à Superiore quantociùs licentiam petere debent, quòd si Electus nec per se nec per alium faciat, jus per electionem quæsitum perdit, ita ut Electores ad aliam electionem procedendi liberam habeant facultatem. *Cit. cap. quam sit. 6. de election. in 6.* Et si ad aliam electionem non procedant, eâ vice jure eligendi sunt privati. *Cap. ne pro defectu. 41. de election.*

Quæres quarto. Intra quod tempus præstandus ab Electo consensus? R. Post licentiam à Superiore obtentam, vel si persona libera, post intimatam electionem consensum præstare intra mensem à tempore præsentationis hujusmodi tenetur. *Cit. cap. quam sit.* Electus, qui sui juris est, consentire non obligatur, quin etiam post consensum datum electioni acceptatæ liberè renuntiare potest, quo casu Electores, quia jam fecerant, quod spectabat ad ipsos, intra juris terminum eligendo, habent tempus integrum, ac si vacatio nova esset, ad electionem aliam celebrandam, dummodò nil fraudulenter egerint in præmissis. *Cap. si electio. 26. de election. in 6.*

Quæres quinto. Quid operatur acceptatio electionis? R. Electo per acceptationem jus ad rem perfectè acquiritur. Quia ante acceptationem jus Electo ad Prælaturam competens perfectum non est, sed per acceptationem, quâ spirituale conjugium inter Electum & Ecclesiam initiatur, perficitur & completur, ad imitationem matrimonii carnalis, quod per sponsalia de futuro mutuo consensu inita est initiatum & inchoatum, per mutuum consensum de præ-

fenti in facie Ecclesiæ præstitum est ratum, & per copulam carnalem est consummatum: ita spirituale conjugium Prælati cum Ecclesia per acceptationem electionis est initiatum, per confirmationem fit ratum, & per consecrationem consummatum. *cap. fin. de translat. Episc.*

Quæres sexto. Quando Electus confirmandus? R. "Electus quivis intra tres
"mensēs post consensum electioni de se
"celebratæ præstitum confirmationem
"electionis ipsius petere non omittat.
"Quod si, justo impedimento cessante,
"intra hujusmodi trimestre tempus omi-
"serit, electio eadem eo ipso viribus va-
"cuetur." *Cit. cap. quam sit. 6. de elect. in 6.*

Quæres septimo. An Electus non confirmatus Prælaturam administrare possit? R. Ante confirmationem administratio tam in spiritualibus quàm temporalibus sub pœna perdendi jus acquisitum est interdicta. *Cap. nostri. 9. cap. qualiter. 17. de election. cap. avaritie. 5. eod. in 6. Extrav. injuncta. 1. de election. inter com. Fit exceptio.* Electus in concordia extra Alpes, si ad summum Pontificem spectet confirmatio, ante eam obtentam, sed sine alienatione, administrare potest. *Cap. nihil est. 44. §. Episcopi. de elect.* Dicitur autem in concordia Electus, cujus electioni à majori & saniori Capituli parte factæ nemo sese opponit.

Quæres octavo. Quis Electum confirmare debet? R. Confirmatio ab immediato Superiore petenda est. Hodie potestas confirmandi Episcopos summo Pontifici per Regulas Cancellariæ & Concordata Germaniæ reservata est: ideoque in petitione confirmationis forma

Cap.

possessionem, vel steterit per eum, quò hoc Capite non vacant titularium bene-
minùs possessionem habere valeat. Ex ficia Episcoporum.



TITULUS QUINTUS.

DE

POSTULATIONE PRÆLATORUM.

Postulatio jure civili idem est, quod advocatio, per quam desiderium suum unusquisque apud eum, qui juri præest, exponit, vel alterius desiderio contradicit. Jure Canonico postulatio est modus providendi Ecclesiæ in subsidium electionis introductus, quo is, qui per Canones eligi prohibetur, postulationis subsidio & mediante dispensatione ad Prælaturam admittitur, de postulatione hoc modo sumpta præsens Titulus procedit.

Quæres primo. Quid & quotuplex postulatio? *Re. 1mo.* Postulatio est concursus Capituli petitio Superiori facta, ut persona canonicè impedita aut Superiori subjecta vel dispensativè vel permissivè ad vacantem Ecclesiæ dignitatem admittatur. *2do.* Dividitur in *Solemne*, quâ pro Prælato petitur persona canonicè ineligibilis, & *non Solemne*, quâ pro Prælato petitur persona non potens præstare consensum in promotionem absque prævia Superioris licentia. *Causa efficiens* est Capitulum postulans, & Superior postulationem admittens. *Objectum* est persona impedita, ut promoveatur, vel in promotionem consentiat. *Causa formalis*, Canonica scruti-

nii vel compromissi forma. *Causa finalis* promotio impediti. *Effectus.* Ante admissionem nullum jus tribuit, post admissionem æquivaleret juri per electionem firmatam acquisito.

Quæres secundo. Quomodo postulatio differt ab electione? *Re. 1mo.* Postulatio simplex sive non solemnis in hoc solùm ab electione differt, quòd per illam eligentes ante & post electionem canonicam de persona, quæ consensum in electionem præstare nequit, à Superiore petant, ut subdito electioni jam de se factæ assentiendi det licentiam, vel ante electionem eligi permittat. *Exempla* sunt in *cap. si religiosus. 27. & cap. nullus. 28. de election. in 6. 2do.* Postulatio solemnis ab electione differt in sequentibus. *1mo.* Electio est de persona capaci, postulatio de incapaci, quæ ob impedimentum Canonicum, v. g. ob defectum ætatis, Ordinis, natalium, irregularitatis &c. sine dispensatione eligi non potest. *cap. innotuit. 20. de election. 2do.* Postulatio gratiæ innititur, electio juri. *3tio.* Postulatio à Superiore gratiosè admittitur, cum absque injuria postulati rejici potuisset. *cap. postulationem. 5. de postulat. cap. bona. 23. de election.* Electio non

Cap. cupientes. 16. de elect. in 6. exactè est observanda.

Quæres nono. Quænam obligatio confirmantis? R. 1mo. Antequam Superior confirmet, debet imprimis vocare volentes contradicere, aut nominatim, si aliquis coelectus, aut contradicens, vel generaliter per edictum ad valvas Ecclesiæ affigendum, in quo omnes peremptoriè citantur, qui electioni contradicere nituntur. Hoc omisso nulla est confirmatio. Cap. fin. de elect. in 6. Deinde in Electi qualitates, morum honestatem, ætatem, scientiam &c. inquirere debet. Trid. Sess. 22. de reformat. cap. 2. & Sess. 24. de reform. cap. 1. Demùm formam & processum electionis per Decretum authenticè ab Electo vel Electoribus exhibitum examinare tenetur. 2do. Confirmans indignum v. g. insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ non solum confirmandi primum Successorem caret potestate, verùm etiam à perceptione proprii beneficii suspenditur. cap. nihil est. 44. de elect. Porrò confirmatio plenam administrationem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, & omnium illorum, quæ ad jurisdictionem pertinent, tribuit executionem. cap. transmissam. 15. de elect. Nec post confirmationem renuntiatio Prælaturæ fieri potest, quàm cum consensu, & in manus confirmantis.

Quæres decimo. Quænam obligatio suscipiendi consecrationem? R. Adeptâ confirmatione consecratio petenda est, quæ ultra tres menses à die confirmationis, cessante legitimo impedimento, differri non debet, & jure novo Trid.

Sess. 23. cap. 2. "Si Episcopus munus consecrationis intra tres menses non susceperit, ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur: si intra totidem menses postea id facere neglexerit, Ecclesiâ ipso jure est privatus."

Quæres undecimo. Ad quem spectat consecratio? R. Ad illum consecrare vel consecrationem demandare pertinet, ad quem confirmare spectat. Episcopus autem à tribus Episcopis consecrari debet. Can. Comprovinciales. 4. dist. 64. can. porro. 2. dist. 66. cap. si Archiepiscopus. 6. de tempor. ordinat. Tum propter rationem, tum propter exemplum: Ex ratione, ne tantum beneficium videatur furtivè præstitum, & pro eo pariter preces ad Deum effundant: Ab exemplo, quia etiam Jacobus Frater Domini à tribus Apostolis, S. Petro, S. Jacobo & S. Joanne est ordinatus, ut refertur in cit. can. porro. Ex dispensatione tamen Ecclesiæ Episcopus ab uno Episcopo consecrari potest: ita ex indulto S. Pii V. pro duobus Episcopis duo Abbates vel alii in dignitate constituti Presbyteri sufficiunt, quod hodie passim in usu esse videtur.

Quæres duodecimo. Quis effectus consecrationis? R. Per consecrationem Episcopus plenitudinem officii pastoralis consequitur, ut omnia, quæ sunt Jurisdictionis & Ordinis, exercere valeat. cit. cap. transmissum. 15. de election. Post consecrationem Episcopi aut termino consecrationis elapso, omnia beneficia Ecclesiastica, si quæ habet, ipso jure vacant, ita ut liberè ab eo, ad quem collatio spectat, conferri possint. cap. cum in cunctis. 7. de elect. Si modò non habuerit

non admittitur, sed ex obligatione iustitiæ confirmatur. 4to. Electus in electionem de sua persona factam absolute consentire potest, cum per illam jus sit acquisitum, non tamen postulatus, ne videatur ambitiosus. 5to. Demum Eligentes publicato scrutinio variare, aut ab Electo suis votis recedere nequeunt. *cap. publicato. 58. de election.* At postulantem publicatam & Superiori nondum presentatam postulatione ab eadem recedere possunt; secus si postulatio Superiori presentata; ne Superiori illudatur, & ejus iudicium ex postulantium arbitrio pendere videatur. *cap. bona. 4. de postulat.*

Quæres tertio. Quinam postulare possunt? 3o. Omnes qui eligere possunt. *Cap. 1. cit. cap. bona. 4. de postulat. cap. innotuit. 20. de election.* Ratio est: quia postulatio in electionis subsidium, & jus postulandi juri eligendi accessorium est. Ex quo sequitur 1mo. Extraneus, qui à Capitulo admittitur ad eligendum, etiam admittitur ad postulandum; Procurator datus ad eligendum, etiam datur ad postulandum. 2do. In quem compromittitur ad eligendum, in eum etiam compromittitur ad postulandum, nisi aliud exprimitur. *Cap. in causis. 30. de election. junct. gloss. verb. postulatio.* Demum qui præscripsit jus eligendi, etiam acquisivit jus postulandi.

Quæres quarto. Quinam postulari possunt? 3o. Ut quis postulabilis sit, requiruntur duo: 1mo, ut Canonicum, propter quod eligi nequit, habeat impedimentum, ut si eligibilis postuletur, vel postulatus, etsi postulabilis, eligatur, postulatio & electio sunt nulla. *juxta cap.*

unic. de postulat. in 6. Tunc enim valet illud vulgatum: Quod potuit, noluit, & quod voluit, non potuit. 2do. Tale debet esse impedimentum, in quo Superior dispensare valet & solet, ut defectus ætatis, Ordinis, natalium. Impedimentum, in quo dispensare non solet, habent criminosus, excommunicatus, non servans interdictum. *Cap. 1. de postulat.* illiteratus, bigamus, ad Episcopatum qui minor est 27. annis, ad Ecclesiam inferiorem Cathedrali Religiosus ex Ordine Mendicantium, item ad monasteria extra suos Ordines. *Extrav. unic. de postulat. inter com.* In supplicatione autem postulantium omnes defectus postulati sunt exprimendi.

Quæres quinto. An Episcopus ad alium Episcopatum eligi vel postulari possit? 3o. 1mo. Nullus Episcopus confirmatus, sive sit consecratus, sive non, ad alium Episcopatum eligi potest, bene tamen postulari. *Cap. fin. de postulat.* Ratio est: quia Episcopus velut sponsus sponsæ suæ Ecclesiæ alligatus est. *Cap. inter corporalia. 2. cap. fin. de translat. Episcopi.* quod spiritualis matrimonii vinculum solum Papa dissolvere potest. 2do. Episcopus electus ante confirmationem sicut electioni renuntiare, ita etiam ad aliam Ecclesiam eligi potest. *Arg. cap. si electio. de elect. in 6.* uti etiam Episcopus, qui Episcopatu renuntiavit, si renuntiatio à summo Pontifice acceptata: quod ad Episcopos titulares minimè extendendum, qui & ipsi verè matrimonium spirituale cum Ecclesia, ad quam ordinati, habent; hæc enim licet in manibus sit Infidelium, est tamen vera Ecclesia

Cathedralis. *Clement. in plerisque. 5. de election.* ideoque & tales Episcopi veri & Ordine & dignitate sunt Episcopi, quod agnovit *Trid. Sess. 14. de reform. cap. 2. 3tio.* Cardinales non Episcopi: quamvis hodie Episcopis dignitate sint majores. *Arg. Extrav. si fratrum. ne Sede vacante.* tamen eligi possunt; nulli enim Ecclesie matrimonialiter sunt copulati, quamvis minus solemniter postulari debeant, hoc est: à summo Pontifice licentia petenda, ut ex Curia Romana ad Ecclesiam transeant Cathedrali. *Cap. bona. 3. de postulat.*

Quæres sexto. Quæ indignos postulantium pœnæ? *R.* Qui laborantem vitio indispensabili, v. g. illum, cujus postulatio jam semel rejecta, postulaverint, pro illa vice potestate eligendi vel postulandi ipso facto sunt privati. *Cap. 1. § 2. de postulat. cap. scriptum. 40. §. si vero. de elect. Extrav. unic. eod. inter com.* Insuper qui minorem 27. annis ad Cathedrali, aut Religiosum Mendicantem ad Ecclesiam inferiorem Cathedrali postulaverint, à beneficiis, quæ in Ecclesia illa obtinent, per triennium sunt suspensi. *Cit. Extrav. unic.*

Quæres septimo. Quæ forma in postulatione observanda? *R.* Quamvis tutius fit, ut in postulatione à forma in *cap. quia propter. de election.* præscripta non recedatur, cum electio & postulatio tanquam duo ad eundem finem tendentia in jure æquiparentur, nec ullam specialem pro postulatione formam habeamus: attamen haud dubium est, quin Papa postulationem non servatâ formâ Capituli. *quia propter.* celebratam ex potestatis

plenitudine admittere valeat, quantumvis sic factam non admittendi habeat consuetudinem.

Quæres octavo. Quæ formæ postulationis in jure specialiter prohibentur? *R.* Sequentes: Eligo postulando, & postulo eligendo. Eligo postulandum, & postulo eligendum. Eligo & postulo, prout potest melius de jure valere. *Cap. un. de postulat. in 6.* Ratio est: quia tales formulæ continent incertitudinem, vel contrarietatem, & rem imperfectam significant. Quòd si probabiliter dubitetur, an persona eligenda vel postulanda sit, similibus formis eligentes uti possunt, dummodò taliter electus vel postulatus, quando consentit, unam viam vel electionis vel postulationis necessariò eligere teneatur, redeundi ad aliam viam, postquam unam elegerit, sibi licentiâ penitus interdictâ. *cap. unic. cit.*

Quæres nono. Quo tempore à postulantiibus præsentanda est postulatio postulationis? *R.* Postulantes quamprimum postulationem præsentare tenentur, & intra tempus debitum non præsentantes puniuntur, sicut eligentes. *cap. quam sit Ecclesis. 6. cap. cupientes. 16. de elect. in 6.*

Quæres decimo. Intra quod tempus à postulato præstandus consensus postulationi? *R.* Postulatus post factam postulationis præsentationem intra mensem mentem suam explicare, & consentire, vel saltem exprimere tenetur, quòd non consentiat, sed sese dispositioni Superioris vel ad - vel non admittentis submittat. *cit. cap. quam sit. de elect. in 6.*

Quæres undecimo. Quando Superior postulationem admittere tenetur? *R.* Si postu-

postulatio concorditer celebrata, ejusque admissionem necessitas, vel magna Ecclesiæ exigat utilitas, Superior postulationem absque injuria postulantium, vel Ecclesiæ, pro qua postulatio facta, rejicere nequit: & si Prælati Papæ inferior habens postulandi & postulationem admittendi potestatem talem postulationem rejecerit, officium Judicis superioris, ut inferiorem ad postulationem admittendam compellat, potest implorari.

Quæres *duodecimo*. Si postulatio cum electione concurrat, quænam præferenda? *Re. 1^{mo}*. Ut electioni tunc præferatur postulatio, numerus postulantium numero eligentium duplò major esse debet: ideoque duæ tertiæ, aut duæ Capituli partes in postulationem consensisse

debent, eò quòd electio ordinaria, & postulatio via sit extraordinaria in subsidium electionis à jure introducta. *cap. scriptum. 40. de elect. 2do*. Si major Capituli pars in postulationem, & minor in electionem consenserit, & utraque pars Superiori electionem taliter factam præsentarit, vel postulationem, vel electionem, dummodò à 3^{tia} parte Capituli facta sit, confirmare in Superioris est arbitrio. Ratio est: in tali enim casu nec postulantes jus habent, ut postulatio à duabus partibus facta admittatur, nec eligentes, nec electo jus competit ad confirmationem, cum electio à majori parte Capituli facta non sit. Et hic. *cap. scriptum.* verior est intellectus.

TITULUS SEXTUS.

DE

TRANSLATIONE EPISCOPI.

Translatio definitur: Personæ Ecclesiasticæ de una Ecclesia ad aliam autoritate Superioris ex legitima causa facta transpositio. *Causa efficiens remota* est jus translationem permittens vel approbans. *Proxima Superior Ecclesiasticus*, per quem fit translatio. *Objectum* persona, quæ transfertur. *Forma* in tribus consistit: consensu Superioris vel licentiâ, causâ legitimâ, & ut de minore ad majorem Ecclesiam fiat. *Effectus* est, quòd per translationem ma-

trimonium spirituale cum priore Ecclesia dissolvatur, & novum cum posteriore contrahatur, priorque vacare incipiat.

Quæres *1^{mo}*. Cujus autoritate fit translatio? *Re.* "Dubitari non debet, "quin Omnipotens DEUS spirituale "conjugium, quod est inter Episcopum " & Ecclesiam, suo tantum judicio re- "servaverit dissolvendum, qui dissolu- "tionem etiam carnalis conjugii, quod "est inter virum & fœminam, suo tan- "tum judicio reservavit: præcipiens, ut "quod

" quod DEUS conjunxit , homo non
 " separet. Non enim humanâ, sed potius
 " Divinâ potestate conjugium spirituale
 " dissolvitur , cùm per translationem,
 " depositionem, aut cessionem authori-
 " tate Rom. Pontificis , quem constat
 " esse Vicarium JESU Christi, Episcopus
 " ab Ecclesia removetur : & ideo tria
 " hæc non tam constitutione Canonicâ,
 " quàm institutione Divinâ soli sunt
 " Rom. Pontifici reservata. Sicut autem
 " Episcopus consecratus sine licentia
 " Rom. Pontificis suam non debet Eccle-
 " siam relinquere , sic & electus & con-
 " firmatus : cùm non debeat in dubium
 " revocari, quin post electionem & con-
 " firmationem Canonicam inter perso-
 " nas eligentium & electi conjugium sit
 " spirituale contractum , cui profectò
 " Episcopalis dignitas nihil addit , cùm
 " quis Episcopali præditus dignitate,
 " nullius tamen Ecclesiæ possit esse Epi-
 " scopus. Unde, cùm non sit majus vin-
 " culum Episcopi ad Ecclesiam , quàm
 " electi , maximè cùm fuerit confirma-
 " tus , imò idem penitus & non aliud,
 " idem juris obtinet in utroque. " *Cap.*
inter corporalia. 2. de translat. Episcopi.

Quæres secundo. Quæ similitudo ma-
 trimoniū spiritualis inter Episcopum &
 Ecclesiam cum matrimonio carnali? R.
 Sicut matrimonium carnale aliud in-
 choatum , ut sponsalia de futuro, aliud
 ratum , ut sponsalia de præsentī , aliud
 consummatum per copulam , ita quo-
 que spirituale sædus conjugii , quod est
 inter Episcopum & Ecclesiam , in ele-
 ctione inchoatum , ratum in confirma-
 tione , & in consecratione intelligitur

consummatum. *Cap. licet. fin. de translat. Episc.*

Quæres tertio. Cur magis matrimo-
 nium spirituale ab Ecclesia solvi potest,
 quàm carnale , cùm tamen spirituale sit
 magis eo indissolubile : ut enim dicitur
 in *cit. cap. inter corporalia & spiritualia*
 eam novimus esse differentiam , quòd
 corporalia facilius destruantur , quàm
 construantur , spiritualia verò facilius
 construantur , quàm destruantur : Est
 ergo fortius spirituale vinculum , quàm
 carnale? R. Matrimonium spirituale non
 est in omnibus fortius , quàm carnale,
 sed respectu plurium : ut *imo* matrimo-
 nium carnale ratum per spirituale pro-
 fessionis religiosæ dissolvitur. *cap. ex pu-
 blico. 7. de conversion. conjug.* non tamen
 matrimonium spirituale inter Episco-
 pum & Ecclesiam , quod per confirma-
 tionem estratum. *cit. cap. fin. de translat.*
Episcopi. 2do. Post matrimonium car-
 nale consummatum conjuges de mutuo
 consensu ingredi & Religionem profi-
 teri possunt. *cap. cum sis. 4. cap. dudum.*
20. de convers. conjug. non tamen pro-
 fessus Religionem matrimonium inire
 potest. *Clement. unic. de consanguinit. &
 affinit. 3tio.* Dum alter Infidelium ad
 fidem convertitur , conversus matri-
 monium cum alia inire potest , si Infide-
 lis manens absque periculo perversionis
 eidem cohabitare nolit. *cap. gaudemus.*
8. de divortis. non tamen ita spirituale
 dissolvitur matrimonium.

Quæres quarto. Cujus autoritate
 Prælati inferiores transferri possunt? R.
 Autoritate sui immediati Superioris vel
 proprii Episcopi. *Can. si quis. 3. & sequen-
 tibus.*

tibus. dist. 71. can. Abbas. 8. caus. 18. q. 2. nisi immediatè subiecti sint summo Pontifici. Si Ecclesia à qua non sit subiecta Superioris illius Ecclesiæ, ad quam fit translatio, utriusque Superioris consensus requiritur. *cap. fin. de Clericis peregrin.*

Quæres quinto. Quæ pœnæ Episcopi se ipsum transferentis? *R.* Episcopus propriâ autoritate transiens de uno Episcopatu ad alium, non tantum posteriorem obtinere non potest, sed etiam priori per sententiam Judicis est privandus, cum secundum Traditiones Canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, à Cathedra depelli debeat aliena, & carere propriâ: ut nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit. *cap. quanto. 3. de translat. Episcop.*

Quæres sexto. Quæ pœnæ Beneficiorum inferiorum ab una Ecclesia ad aliam absque autoritate Superioris transeuntium? *R.* Communionem privantur, donec ad priorem redeant, & si interim in eorum locum alii substituti sunt, tandem ab officio vel beneficio in prima Ecclesia vacare debent, quamdiu substituti vivant. *Can. si quis Presbyter. 24. can. eos Sacerdotes. 43. caus. 7. q. 1.*

Quæres septimo. An summus Pontifex Episcopum invitum à vinculo Ecclesiæ suæ absolvere, & ad aliam Ecclesiam transferre possit? *R.* 1mo. Episcopus confirmatus necdum consecratus invitus transferri nequit, quia nemo invitus in Episcopum consecrari potest: sed Episcopus confirmatus non consecratus dignitati, allegando se nunquam velle *R. D. Schnorrenberg Instit. 7. Can.*

consecrari, cedere valet. Ita *Trid. Sess. 23. cap. 2. de reform.* declarat Episcopos confirmatos suis Ecclesiis ipso jure privatos esse, si intra sex menses munus consecrationis non susceperint.

2do. Pontifex Episcopum consecratum per subtractionem prioris Ecclesiæ ob utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ ad consentiendum translationi compellere potest. *Can. placuit. 4. dist. 74. can. displicet. 38. caus. 23. q. 4. Gloss. in can. omnis. 36. caus. 7. q. 1. Verbo: coactè.*

3tio. Si adhibitis mediis compellentibus adhuc consentire nolit, non consentiens transferri non potest; Episcopus enim translatus cum Ecclesia, ad quam transfertur, novum conjugium spirituale contrahit: ad validitatem autem conjugii spiritualis sicut & carnalis contrahentium necessarius est consensus, ut probatur *ex cap. cum inter. 21. de election. ibi: Ut per mutuum consensum eligentium & electi quasi conjugale vinculum spiritualiter sit contractum.*

Quæres octavo. Ad quam Ecclesiam fieri possit translatio? *R.* Regulariter à minori ad majorem dignitatem translatio fieri debet; qui enim promovetur, gradatim de minori ad majus est promovendus, & si quis à majori Ecclesia ad minorem transire appeteret, id utique majoris commoditatis vel interesse gratiâ faceret, cum tamen hujusmodi translationis unica causa major Ecclesiæ utilitas, major, qui ex translatione speratur, fructus esse debeat. *Cap. 1. de translat. Episcop.*

Quæres nono. Qui effectus translationis Episcopi? *R.* Sequentes: 1mo. Translatio

latio Episcopi canonicè facta conjugii spiritualis sc̄dus, quod est inter Episcopum translatum & Ecclesiam, à qua transfertur, dissolvit. *Cap. bona. de postulat. 2do.* Factâ translatione translatus in priore Ecclesia nihil juris sibi retinet. *Can. si quis jam translatus. 3. caus. 21. q. 2.* & prioris Ecclesiæ Episcopus esse desinit. *Can. in apibus. 41. caus. 7. q. 1.* *Limitatur:* nisi ob hostilitatem vel captivitatis periculum facta translatio, tunc enim cessante hostilitate Episcopus translatus ad priorem redit Ecclesiam. *Can. pastoralis. 42. caus. 7. q. 1. 3tio.* Translatione factâ prior vacat Ecclesia, & quando translatio fit ad instantiam translatis, vel de ejusdem præscitu, statim à die, quâ à Papa à vinculo Ecclesiæ, à qua absoluitur, hæc vacat Ecclesia, ut declaravit S. Congregatio: si autem translato ignorante fiat translatio, Ecclesia primum post scientiam & consensum à translato præstitum vacat, nisi aliter exprimitur; quia Papa Episcopum absentem & ignorantem non aliter quam sub conditione: si consentiat, transferre solet; per consensum enim mutuum spirituale initiatur matrimonium.

Quæres decimo. Quæ causæ translationis? *R.* "Mutationes Episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non propriâ cujusquam voluntate aut dominatione. Petrus sanctus Magister noster & Princeps Apostolorum de Antiochia utilitatis causâ translatus est Romam, ut ibidem potiùs proficere posset. Alia etenim est causa utilitatis & necessitatis, alia avaritiæ ac presumptionis aut pro-

"priæ voluntatis." *Can. mutationes. 34. caus. 7. q. 1.* "Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causâ avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis vel suæ delectationis migrat de civitate ad civitatem, sed causâ utilitatis vel necessitatis mutatur; nam plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati præferenda est." *Can. scias frater. 35. ibid.*

Quæres undecimo. An cui data facultas transeundi ad Ecclesiam majorem, eâdem facultate ad minorem vel parem transire valeat? *R.* Quòd ad dignitatem possit transire majorem, ad parem tamen, multò minùs minorem transire non licet: cum in majori dignitate propter majorem utilitatem faciliùs soleat dispensari. *Cap. fin. de translat. Episcop.*

Quæres duodecimo. Quos fructus Episcopus translatus secum transferre potest? *R. 1mo.* Fructus jam perceptos secum deferre potest; quia reditus vel fructus beneficiorum ob ministerium, quod in Ecclesiarum exhibitur regimine, dantur beneficiatis. *Cap. cum secundum. 16. de præbend.* Ideoque translatus Episcopus bona mobilia in priori Ecclesia acquisita vel fructibus comparata licitè sibi retinet, dummodò hæc priori Ecclesiæ nondum donasset: quia si talia bona semel Ecclesiæ donasset, in Ecclesiæ dominio remanebunt, nec ab Episcopo translato ampliùs auferri poterunt. *Can. indignè. 21. caus. 12. q. 2.*

2do. Fructus pendentes & nondum exactos Episcopus translatus tempore translationis pro rata temporis petere non potest, quia usufructuarius solùm

fructu-

fructus ante mortem collectos non verò pendentes accipit. *L. si fructuarius. ff. quibus modis ususfruct. amitt. §. Is verò. 36. institut. de rerum division.* Beneficiarius autem est usufructuarius, & Episcopus translatus per translationem priori

civiliter moritur Ecclesiæ: ergo fructus pendentes & nondum percepti ad Ecclesiam vel Successorem in Episcopatu pertinent, ut etiam in particulari Bulla Julius III. ordinavit, quam Urbanus VIII. innovavit.



TITULUS SEPTIMUS.

DE

AUTHORITATE ET USU PALLII.

IN Superioribus dictum est, quòd Episcopi per consecrationem tam quoad ea, quæ jurisdictionis, quàm quæ sunt Ordinis, accipiant plenitudinem potestatis, attamen Patriarchæ, Archiepiscopi, & quidam Episcopi non habent plenissimam, nisi pallium receperint, officii & dignitatis administrationem. De quo

Quæres primo. Quid est pallium? *R.* Est ornamentum quoddam de Corpore S. Petri sumptum, Pontificalis Officii conferens aut designans plenitudinem. *Cap. nisi specialis. 3. de authoritate & usu pallii.* Dicitur 1^{mo}. Ornamentum, quod Romæ conficitur à Monialibus turris speculi ex lana de agnis albis ab istis Monialibus enutritis, & ante Dominicam in Albis ad circumeundum Altare Divi Petri missis. Figura est Stola alba, circularis & rotunda, in pectore dependens, habens quatuor nigras cruces: unam in pectore, alteram in tergo, 3^{iam} in dextro, 4^{am} in sinistro humero. Dici-

tur *pallium*: quia aliis ornamentis & paramentis superimponitur. Dicitur 2^{do}. *De Corpore Sancti Petri sumptum.* Vel quia super Altare sancti Petri est benedictum, vel quia à Sede Romana mediatè vel immediatè obtinetur. Dicitur 3^{io}. *Pontificalis Officii conferens aut designans plenitudinem, juxta cap. 3. & 4. de authorit. & usu pallii*: quia ante obtentum pallium Patriarchæ & Archiepiscopi ea, quæ sunt muneris Archiepiscopalis, exercere nequeunt. Mystica hujus ornamentis significatio est: 1^{mo}. Est de vellere ovium, ut Pontifices se Pastores ovium esse intelligant. 2^{do}. Eo circa humeros circumcinguntur, ut circumspiciant, ne quæ erret ovis, errantemque in humeris ad carlam Domini reportent. 3^{io}. Est insignitum quatuor crucibus nigris, ut Pontifices habeant præ oculis illud Apostoli: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Cruces enim vitiorum indicant mortificationem, quæ in Prælato esse debet: & quia quatuor sunt ani-

mi passiones, quatuor cruces intexuntur.

Quæres secundo. Quis confert pallium? *ꝛ. 1. mo.* Solus summus Pontifex, juxta cap. significasti. 4. de elect. vel mediâtè vel immediâtè pallium concedit, quod additur: quia antiquitus quatuor Patriarchæ principales, Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus, postquam à summo Pontifice præstito fidelitatis & obedientiæ juramento pallium recepissent, subjectis Archiepiscopis, recipiendo ab eis nomine Romanæ Ecclesiæ obedientiæ juramentum, illud conferre poterant. Cujus ratio est: quia omnis potestas Pontificalis juxta hierarchicum à Christo institutum ordinem à supremo Capite in alios Prælatos derivatur.

Quæres tertio. Quâ formâ petitur & confertur pallium? *ꝛ. 1. mo.* Petitur hoc modo: Ego N. electus Ecclesiæ N. instantèr, instantiùs, instantissimè peto mihi tradi & assignari pallium de corpore sancti Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii. *2do.* Post consecrationem hâc formâ traditur: Ad honorem DEI Omnipotentis, & B.M.V. & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, & Domini Papæ & Ecclesiæ Romanæ, & Ecclesiæ talis tibi commissæ tradimus tibi pallium de corpore B. Petri desumptum, in plenitudinem Pontificalis dignitatis, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimentur in privilegiis Ecclesiæ tuæ concessis à Romana Ecclesia.

Quæres quarto. Intra quod tempus pallium petendum? *ꝛ.* Intra tres menses

à die consecrationis, aut si jam consecratus à die confirmationis per se vel per alium ad hoc speciale mandatum habentem peti debet: "Quisquis autem Metropolitanus ultra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam palliumque suscipiendum ad Apostolicam Sedem non miserit, commissam sibi careat dignitate, sitque Metropolitanis aliis licentia post 2dam & 3tiam commonitionem viduatis Ecclesiis cum consilio Rom. Pontificis, ordinando Episcopos subvenire." *Can. quoniam. 1. dist. 100.* Nullo quoque obiecto crimine vel defectu retardatur pallii traditio, nisi obijciens corporali juramento contestetur, se id malitiosè non agere, sed obiecta vera esse se credere, ac promptam de obiectis offerat facere fidem, & nihilominus ad pœnam talionis, si in probatione deficiat, sese obliget. *Extrav. unic. de authorit. & usu pallii. inter com.*

Quæres quinto. Quam potestatem Archiepiscopus per pallium accipit? *ꝛ. 1. mo.* Post impetratum pallium vocatur Archiepiscopus, cum antea solum nuncupetur Metropolitanus. *Cap. quod sicut. 28. de election. cap. nisi specialis. 3. de authorit. & usu pallii. 2do.* Post collatum pallium potest Concilium convocare, conficere Chrysm, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare, *cit. cap. quod sicut.* & cætera exercere, quæ sine Missæ Sacrificio non fiunt. Potest tamen antè Episcopis concedere facultatem, ut Suffraganeum suum consecrent, Ecclesias dedificent &c. & ipsemet alia facere, quæ Stola indutus Pontifex

titex exercet. *Cap. Suffraganeis. 11. de elect.*

Quæres sexto. An Archiepiscopus ante impetratum pallium in aliena Diœcesi requisitus ordinare possit? *ꝛ. Affirm.* Quamvis in propria Provinciâ ordinare nequeat, requisitus tamen ab alio Episcopo in ejus Diœcesi omnia Pontificalia exercere potest: tunc enim actus illos non ut Archiepiscopus, sed ut simplex Episcopus ab alio Ordinario invitatus exercet.

Quæres septimo. Quando & ubi pallio utendum? *ꝛ. 1mo.* Summus Pontifex in omnibus Missarum Solemniis semper & ubique locorum pallio utitur, quia assumptus est in plenitudinem Ecclesiastica potestatis, & totius Ecclesiæ curam gerit. *Can. per principalem. 21. caus. 9. q. 3. cap. ad honorem. 4. de author. & usu pallii.*

2do. Archiepiscopus pallio utitur non tantum in Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in omnibus aliis suæ Provinciæ intra Missarum Solemnia, non extra, certis & determinatis diebus solemnibus. *Cit. cap. ad honorem. cap. cum sis. 6. & cap. fin. de author. & usu pallii. 3no.* In aliena Diœcesi, & in sua Diœcesi in Missa Defunctorum Archiepiscopo non licet uti pallio. *Arg. cap. ex truarum. 5. & cap. fin. de author. & usu pallii.*

Quæres octavo. An consuetudine introduci possit, ut Archiepiscopus extra Provinciam suam pallium portet? *ꝛ. Neg.* Quia talis consuetudo foret contra substantiam, quâ pallium datur, ideoque *in cit. cap. ex truarum.* talis consuetudo corruptela appellatur, per privile-

gium tamen concedi potest, ut quando Archiepiscopus extra suam Provinciam Suffraganeos consecrare, & Clericos ordinare obligatur, de consensu Metropolitanæ, in cujus Provincia, & Diœcesani, in cujus Diœcesi fit ordinatio, pallio utatur. Est casus expressus *in cit. cap. ex truarum.*

Quæres nono. Quæ sunt isti certi dies, quibus Archiepiscopo uti licet pallio? *ꝛ. Eos enumerat Glossa in cap. ad honorem. de author. & usu pallii. verb. ad honorem.* Nativitas Domini, Festivitates S. Joannis & S. Stephani, in Circumcisione, in Epiphania, in Ramis Palmarum, in Cœna Domini, in Sabbatho sancto, tribus diebus Resurrectionis & Pentecostes, in Festivitate S. Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, in tribus Festivitatibus B. M. in Commemoratione omnium Sanctorum, in Dedicatione Ecclesiarum, in principalibus Festivitatibus Ecclesiæ Metropolitanæ, in Ordinationibus Clericorum, in Consecrationibus Episcoporum, in die anniversaria suæ consecrationis.

Quæres decimo. An Archiepiscopus pallio extra Ecclesiam uti possit? *ꝛ. Neg.* Sed in Ecclesia tantum, nec si exeat processionaliter extra eam. *Juxta cap. 1. de author. & usu pallii.* Sic miles post finitam militiam cum cingulo non ibit, & Proconsul non utitur insigniis suis, priusquam intret Provinciam. *Gloss. in cit. cap. ad honorem. verb. Ecclesiam.*

Quæres undecimo. An pallium ad alium transferri possit? *ꝛ. Neg.* Quia pallium est personale privilegium, quod personam inseparabiliter sequitur, cum

illa extinguitur, & sepelitur cum eadem.
Cap. ad hęc. 2. de auctorit. & usu pallii.

Quæres duodecimo. An Archiepiscopus translatus ad aliam Ecclesiam Metropolitanam novum pallium petere debeat?
R. Affirmat. Cap. bonæ. 4. de postulat. Prælatorum. Ratio est: quia prius pallium datum personæ cum restrictione ad cer-

tum locum, ideo si loco renuntiet, etiam usum pallii perdit. *Cap. ad supplicat. 9. de renuntiat.* Ideoque translatus pallium intuitu prioris Ecclesiæ datum secum ferre debet, quamvis eo in secunda Ecclesia uti nequeat, sed novum petere, & mortuus cum utroque pallio debet sepeliri.



TITULUS OCTAVUS.

DE

VITA ET HONESTATE PRÆLATORUM.

Vita 3plex est: Naturæ, gratiæ & disciplinæ. In præsentia agit de vita disciplinæ, sive de modo & ordine, secundum quem vivere debent Prælati. Nomen autem Prælati largius sumptum etiam simplicem curatum comprehendit. *Cap. tuanos. 4. de Cleric. egrotant.* Strictè sumptum solum eum, qui contentiosam habet jurisdictionem: in utroque autem magna requiritur vitæ disciplina, quam ad omnium instructionem Discipulos suos Timotheum & Titum erudiendo his complectitur Apostolus. *1. Tim. 3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, non vinulentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed domui suæ bene præpositum. Ad Titum. 1. Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, non vinulentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, sanctum, &c.* Hæ

qualitates cur, qualiter in Prælati & animarum Curatoribus requirantur, juxta institutum nostrum in præsentia Titulo paucis perstringemus.

Quæres primo. Qualiter Prælati sine crimine & irreprehensibilis esse debent?
R. 1mo. Sine crimine esse debet, id est, sine notabili defectu & integræ famæ. Non ait Apostolus: "Si quis sine peccato; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur, sed ait: Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi. Crimen autem est peccatum grave accusatione & damnatione dignissimum." *Cap. Apostolus. 1. dist. 81.*

2do. Sit irreprehensibilis, ut in omnibus præbeat se ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum sanum & irreprehensibile; ut qui ex adverso est, vereatur, nihil

nihil habens dicere de nobis. Tit. 2. "Quia
 " nihil est, quod alios magis ad pietatem
 " & Dei cultum assidue instruat, quam eo-
 " rum vita & exemplum, qui se divino mi-
 " nisterio dedicârunt. Cum enim à rebus
 " sæculi in altiore sublati locum con-
 " spiciantur, in eos tanquam speculum
 " reliqui oculos conjiciunt, ex iisque su-
 " munt, quòd imitentur." *Trid. Sess.*
22. de reform. cap. 1. "Quomodo enim
 " potest Præles Ecclesiæ aufferre malum
 " de medio ejus, qui in delicto simili
 " corruerit? Aut quâ libertate corrivere
 " peccantem potest, cum tacitus sibi ipse
 " respondeat, eadem admisisse, quæ
 " corripit." *Can. fin. dist. 25.* "Unde
 " nemo rectè monitoris personam susci-
 " pit, nisi qui actibus suis errata con-
 " demnat, & amorem innocentiae con-
 " versatione demonstrat." *can. 2. dist. 81.*

Quæres secundo. Quare non superbus?
 ꝛ. "Quia boni Rectores ex sua infirmi-
 " tate aliorum infirmitates pensantes,
 " magis per lenitatis & mansuetudinis
 " levamentum student peccantes ab er-
 " roris laqueo eruere, quam per auste-
 " ritatem in foveam perditionis nutantes
 " propellere. Unde Doctor Gentium:
 " factus sum, inquit, infirmus infirmis." *Can. recedite. 16. dist. 45.* "Sed hi, qui,
 " quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu
 " Christi, facile ab hac lege discernuntur,
 " & dum dominari magis, quam consu-
 " lere subditis quærunt, placet honor,
 " inflat superbia, & quod provisum est
 " ad concordiam, tendit ad noxam." *Can. licet. 6. dist. 45.* "Et hoc habet pro-
 " prium doctrina arrogantium, ut hu-
 " militer nesciant inferre, quod docent,

& recta, quæ sapiunt, rectè ministrare
 " non possint." *Can. 1. dist. 46.*

Quæres tertio. Quare non vinolentus?
 ꝛ. Vinolentus dicitur, qui non semel,
 sed frequenter vino repletur: Et talis
 non debet esse Prælati, quia vinolen-
 tum Sacerdotem & Apostolus damnat,
 & vetus Lex prohibet, "Sacerdotes, qui
 " ministrant in templo Dei, prohibentur
 " vinum & ficeram bibere, ne in crapula
 " & ebrietate aggraventur corda eo-
 " rum." *Can. Vinolentum. 5. dist. 35.*
Luxuriosa enim res vinum, & tumultuosa
ebrietas, quicumque his delectatur, non
erit sapiens. Prov. 20. v. 1. Nolite ine-
 briari vino, in quo est luxuria, quoniam
 ex frequenti & immoderata vini portione
 luxuria generatur. *Cap. etsi Christus. 26. de*
jurejurand. Ante omnia Clericis vitetur
 ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes &
 nutrix est. *can. fin. dist. 35.* "A crapula &
 " ebrietate omnes Clerici diligenter ab-
 " stineant, unde vinum sibi temperent, &
 " se vino: nec ad bibendum quispiam in-
 " citeur, cum ebrietas & mentis inducat
 " exilium, & libidinis provocet incentivum.
 " Unde illum abusum (præcipuè Germa-
 " norum) decernimus abolendum, quo
 " in quibusdam partibus ad potus æqua-
 " les suo modo se obligant potatores, &
 " ille iudicio talium plus laudatur, qui
 " plures inebriat, & calices fecundio-
 " res exhaurit. Si quis autem super his se
 " culpabilem exhibuerit, nisi à Superiore
 " commonitus satisfecerit, ab officio vel
 " beneficio suspendatur." *Cap. à crapula.*
14. de vita & honest. Clericor. "Gravior
 " est pœna in *cit. can. fin. dist. 35.* eum,
 " quem ebrium fuisse constiterit, ut Or-
 " do

“do patitur, aut triginta dierum spatio
 “à Communionem statuimus submoven-
 “dum, aut corporali subdendum sup-
 “plicio.”

Quæres quarto, Quare Prælati debet
 esse sobrius? R. Quia Ecclesiæ Principes,
 qui deliciis affluunt, & inter epulas
 atque delicias pudicitiam servare se cre-
 dunt, Propheticus Sermo describit, quod
 ejiciendi sint de spatiosis domibus, lau-
 tisque conviviis, & multo labore epulis
 conquisitis, & ejiciendi propter malas
 cogitationes & opera sua, & si vis scire,
 quo ejiciendi sunt, Evangelium lege:
*In tenebras scilicet exteriores, ubi erit fle-
 tus & stridor dentium.* Annon confusio
 & ignominia est Jesum Crucifixum, Ma-
 gistrum pauperum & esurientem fartis
 prædicare corporibus? *Can. Ecclesiæ. 4.
 dist. 35. Concil. Trid. Sess. 25. de reform.
 cap. 1.* monet Episcopos, ut modesto sup-
 pellectili & mensâ, ac frugali victu con-
 tenti sint; at in reliquo vitæ genere ac
 tota domo caveant, ne quid appareat,
 quod à sancto hoc instituto sit alienum,
 quodque non simplicitatem, Dei zelum,
 ac vanitatum contemptum præ se ferat.
In can. pro reverentia. 11. dist. 44. sine
 ulla exceptione dicitur: “In omni Sa-
 “cerdotali convivio lectio Divinarum
 “Scripturarum misceatur; per hoc enim
 “& animæ ædificantur ad bonum, &
 “fabulæ non necessariae prohibentur.”
 S. Pater Augustinus conversus est ex
 lectione Apostoli *ad Rom. 13.* *Non in
 commensationibus & ebrietatibus, non in
 cubilibus & impudiciis, sed induimini
 Dominum nostrum JESUM Christum.*
 Concludimus hanc quætionem verbis

Concili Trident. Sess. 2. cap. unico. “Quo-
 “niam oportet Episcopos esse irrepre-
 “hensibiles, sobrios, castos, domui
 “sue benè præpositos, debet quilibet
 “ante omnia in mensa servare sobrieta-
 “tem moderationemque ciborum, dein-
 “de cum in eo loco sæpè otiosi sermones
 “oriri soleant, in ipsorum Episcoporum
 “mensis Divinarum Scripturarum lectio
 “admisceatur.”

Quæres quinto, Quare Prælati non
 debet esse iracundus? R. Ira est pertur-
 batio concitati animi. *Can. productior. 7.
 de pœnit. dist. 3.* Iracundia est habitus vel
 inclinatio ad iram. “Prohibetur in Præ-
 “latis iracundia, quia dum justò am-
 “plius irascimur, & volumus alienum
 “coercere peccatum, graviora peccata
 “committimus: ideo Apostolus ait: non
 “vos ipsos vindicantes Charissimi, sed
 “date locum iræ, hoc est, declinemus
 “eam, ne nos illa corripiat.” *Can. ira.
 68. caus. 11. q. 3.* “Ideo illa Præposito-
 “rum sollicitudo utilis, illa est cautela
 “laudabilis, in qua totum ratio agit, &
 “furor nihil sibi vindicat. Restringenda
 “sub ratione potestas est, nec quidquam
 “agendum prius, quam concitata ad
 “tranquillitatem mens redeat; nam com-
 “motionis tempore justum omne putat,
 “quod fecerit.” *Can. illa. 67. caus. 11.
 q. 3.*

Quæres sexto, Quare non percussor?
 R. Quia Pastores facti sunt Episcopi, non
 percussores, & egregius Prædicator ait:
*Argue, obsecra, increpa, in omni pa-
 tientia & doctrina:* “Nova verò & inau-
 “dita est ista prædicatio, quæ verber-
 “bus exigit fidem.” *Can. quid autem: 1.
 dist. 45.*

dist. 45. "Et quamvis accidant, quæ sunt
"reprehendenda, plus tamen erga cor-
"rigendos agat benevolentia, quàm
"severitas, plus cohortatio, quàm com-
"minatio, plus charitas, quàm potestas,
"cùm nemo nostrum sine reprehensione
"aut sine peccato vivat." *Can. licet. 4.*
dist. 45.

Quæres septimo. Quare non litigiosus?
R. "Quia litigiosi vel adulationibus ani-
"mos Principum sibi conciliant, vel fra-
"tribus suis detrahendo infamiae notam
"ingerunt, vel inter fratres discordiam
"seminando seditionem nunquam facere
"cessant, quæ omnia in Prælatiis dam-
"nabilia esse probantur." *Gratian. post*
Can. 1. in am. dist. 46.

Quæres octavo. Quare non cupidus?
R. "Quia Virum Catholicum & præci-
"puè Domini Sacerdotem, sicut nullo
"errore implicari, ita nullâ oportet cu-
"piditate violari, dicente S. Scripturâ: *Post*
concupiscentias tuas non eas. Mens enim
"potentiæ avida nec abstinere novit à ve-
"tutis, nec gaudere concessis, nec pie-
"tati adhibere consensum." *Can. Virum.*
6. dist. 47. "Præterea bonorum Autho-
"ri inhærere aliter non valemus, nisi
"cupiditatem à nobis, quæ omnium
"malorum radix est, abscindamus." *Can. bonorum. 7. ibid.*

Quæres nono. Quare hospitalis & be-
nignus? R. 1. mo. Hospitalem Sacerdo-
tem esse oportet, ne sit in numero eorum,
quibus in iudicio dicitur: *Hospes eram,*
& non suscepisti me. Qui enim Apostolum
secutus, alios ad hospitalitatem debet
invitare: quomodo hospitalitatis exhor-
tator poterit esse, qui domum propriam

R. D. Schnorrenberg *Instit. 7. Can.*

hospitibus claudit? Si enim Sacerdos
primùm à se ipso, & à domestica Eccle-
sia sua debet exigere, quæ postea popu-
lis imperet, si primò imitando Christum
ipse debet facere, quæ postea populum
doceat, necesse est, ut pauperes hospi-
tio recipiat, quod ad hospitalitatem faci-
lius suo exemplo subditos attrahat. *Gra-*
tian. in summ. dist. 42.

2do. "Sunt nonnulli ita districti, ut
"omnem etiam mansuetudinem beni-
"gnitatis amittant: & sunt nonnulli
"ita mansueti, ut perdant districti jura
"regiminis; unde cunctis Rectoribus
"utraque summopere sunt tenenda, ut
"nec in disciplinæ vigore benignitatem
"mansuetudinis, nec rursùm mansue-
"tutine districtiōnem deserant discipli-
"næ: quatenus nec à compassione pie-
"tatis obdurescant, cùm contumaces
"corrigit, nec disciplinæ vigorem mol-
"liant, cùm infirmiorum animos con-
"solantur. Regat ergo disciplinæ vigor
"mansuetudinem, & mansuetudo ornet
"vigorem, & sic alterum commendetur
"ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec
"mansuetudo dissoluta." *Can. sunt nam-*
que. 14. dist. 45. "Sit itaque amor, sed
"non emolliens, sit rigor, sed non exaspe-
"rans, sit zelus, sed non immoderatè
"sæviens, sit pietas, sed non plùs, quàm
"expediat, parcens." *Can. disciplina.*
9. dist. 45.

Quæres decimo. Quare prudens? R.
Quia talis hoc tempore in regiminis de-
bet arce constitui, qui non solùm de sa-
lute animarum, verùm etiam de extrin-
seca utilitate ex cautela sciat esse sollicitus.
Can. Petrus. unic. dist. 39. Doctrina sine

K

vita

vita Clericum arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. *Concil. Aquisgran. de Anno 816. can. 2.*

Quæres undecimo. Quare pudicus? *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 14.* obtestatur: "Quam turpe, & Clericorum nomine, qui se Divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitia sordibus immundoque concubinato versari, satis res ipsa communi omnium Fidelium offensione, summoque Clericalis militiae dedecore testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiae revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quò illos vitæ honestiores cognoverit, prohibet sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant. *Sess. 24. de reform. cap. 12.* monet, ut ab illicitis venationibus, aucupis, choreis, tabernis, lutiisque absterneant, atque eam morum integritate polleant, ut merito Ecclesiae Senatus dici possit, Quantum magis hæc observanda Prælati, qui mores suos omnes ita componere debent, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiae, ac, quæ nos tantoperè commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 1.* Hospitalium tuum, inquit S. Hieron. relat. in *can. Hospitalium. 17. dist. 32.* aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant; quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accef-

sibus copulatur, fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit. Nunquam de formis mulierum disperses, &c."

Quæres duodecimo. Qualiter Prælati suæ domui debet esse bene præpositus? *Be. Familiares suos quisque Prælati instruat & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemii & voluptatum amatores, vitia demùm fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu & cultu & omnibus actibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros ministrorum DEI. Trid. Sess. 2. cap. unico.*

Quæres ultimo. Quare Prælati omnibus debet ornatus esse virtutibus? *Be. Quia Prælati, cum pro ovibus suis sint Suffragatores ad DEUM, necessarium est, ut omni virtutum genere ejus gratiam habere nitantur, quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Gratian. in summ. dist. 49. can. in gravibus. 5. caus. 3. q. 7. Coronidis loco observa verba S. Chrysostomi relata in *can. multi Sacerdotes. 12. dist. 40.* "Multi Sacerdotes & pauci Sacerdotes, multi nomine, & pauci opere. Videte ergo, quomodo sedetis super Cathedram, quia non Cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum, non omnis Sacerdos Sanctus, sed omnis Sanctus Sacerdos. Qui bene sederit super Cathedram, honorem accipit ab illa, qui malè sederit, injuriam facit Cathedræ, ideoque malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. "In judicio enim sedens, siquidem bene*

"vixit

“vixeris, & benè docueris, omnium
“Judex es: si autem benè docueris, &
“malè vixeris, tui solius condemnator
“eris. Nam benè vivendo & benè do-

“cendo populum instruis, quomodo
“debeat vivere: benè autem docendo
“& malè vivendo DEUM instruis, quo-
“modo te debeat condemnare.”

TITULUS NONUS.
DE
RENUNTIATIONE.

Quia ea, ut ad hunc Titulum in
rubri: ait Abbas, quæ per po-
stulationem, electionem, &
translationem acquiruntur, sæpè per re-
nuntiationem perduntur, ideo ponitur

hæc materia, quam in duos Paragra-
phos divisam more Institutionum pauci-
attingemus. §. 1. mo de Renuntiatione in
communi. §. 2. de Renuntiatione in
specie tractaturi.

§. Primus.

DE

Renuntiatione in communi.

Quæres primo. Quid est renuntiatio?
R. Renuntiatio genericè sumpta
est juris proprii abdicatio vel spontanea
cessio. Specificè sumpta est: Dignitatis,
beneficii vel officii obtenti vel juris, quod
in eo quis habet, spontanea, libera &
legitima à Superiore admissa dimissio.

Dicitur 1. mo, *Dignitatis, beneficii, vel
officii obtenti, vel juris, quod quis in eo
habet:* quia ad propriam renuntiationem
requiritur, ut renuntians jus in re ha-
beat, jus enim ad rem cedi potest, non
propriè renuntiari, ideo cessio Literarum
Apostolicarum vel precum Imperialium
ad beneficium, item cessio juris
ad rem competentis per electionem, præ-
sentationem, nominationem, &c. vel ces-
sio beneficii litigiosi impropria renuntia-
tio est, nec actionem requirit Superioris.

2. do. *Spontanea, libera.* Quia vi, me-
tu vel dolo injustè extorta, si non ipso
facto irrita, ut aliqui volunt, saltem ad
instantiam injuriam passi est irritanda.
cap. super hoc, §. de renuntiat.

3. io. *Legitima,* ut excludatur renun-
tatio à jure reprobata, ut beneficii alie-
ni, quod renuntians nunquam habuit,
vel jam non habet, *cap. dilecto, 2. §. de præ-
bend.* Vel facta sine legitima causa. *cap.
super hoc.* Vel cui pactio aut labes
simoniae intervenit. *cap. fin. de pactis.*

4. io. *A Superiore admissa.* Quia de
substantia renuntiationis est, ut à Supe-
riore admittatur. *cap. admonet, 4. de re-
nuntiat.*

5. io. *Dimissio.* Quo nomine quicum-
que actus, per quem quis proprium jus
à se abdicat, intelligitur.

K 2

Quæ-

Quæres secundo. Quotuplex renuntiatio? *Re. 1mo.* Renuntiatio dividitur *1mo* in expressam, & tacitam ipso jure, & tacitam ex præsumptione. *Expressa* est, quæ verbo vel scripto exprimitur. *Tacita ipso jure* est exercitium actûs, qui ex lege privationem beneficii inducit. Exempla sunt: *1mo.* Qui acceptat secundum beneficium incompatible cum priori, secunda secundi possessione, censetur primo renuntiare. *cap. de multa. 28. de præbend.*

2do. Beneficiatus in minoribus constitutus contrahens matrimonium eo ipso beneficio renuntiat. *cap. si qui. 1. cap. quod ad te. 3. de Cleric. conjug.*

3tio. Beneficiatus faciens professionem in religione beneficiorum incapax cedit beneficio. *Cap. beneficium. 4. de Regul. in 6.*

4to. Si Beneficiatus fit miles secularis. *Gloss. in cap. fin. de Cleric. non resident. verb. redierit.* Potius tamen dicendum est, quod tales Beneficiati non priventur beneficio vi alicujus renuntiationis, sed vi legis ac juris dispositione.

Renuntiatio tacita ex præsumptione juris est, quæ non verbis, sed actu ad renuntiandum apto à jure inducitur. Exempla sunt: *1mo.* Clericus, qui bona, quæ Ecclesiæ suæ donavit, repetit, eam propterea dimittere velle præsumitur. *cap. ex transmissa. 3. de renuntiat.*

2do. Litigans super quadam Præpositura colliganti reverentiam, quæ Præposito exhiberi debet, exhibendo juri suo renuntiâsse videtur. *cap. ex ore. 3. de his, quæ sunt à major. part. Capituli.*

3tio. Tradens literas expectativas Apostolicas suo Ordinario, beneficio

renuntiâsse censetur. *cap. sanè. 7. de renunt. junct. gloss. verb. reddens.* Hæc tamen præsumptio per contrariam protestationem elidi potest, ut si beneficiatus dicat: se non intendere per talem actum beneficium dimittere.

2do. Renuntiatio expressa dividitur in puram sive simplicem, & in conditionatam. Pura & simplex est, quæ fit in manibus Superioris nullâ adjectâ pactione, vel conditione, vel modo. *cap. fin. de pactis. cap. tua nos. 34. de simonia.*

Renuntiatio conditionata est: quæ sub conditione, pacto vel modo celebratur. *cap. ordinationes. 113. caus. 1. q. 1. junct. gloss. in cap. cum pridem. 4. de pactis.*

3tio. Conditionata dividitur in eam, quæ fit causâ permutationis inter resignantes in favorem tertii, & quæ fit cum reservatione fructuum, pensionis, regressûs, &c.

Quæres tertio. Quæ beneficia renuntari possunt? *Re.* Renuntari omnia beneficia possunt. *cap. admonet. 4. cap. in presentia. 6. cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat.* Imò summus Pontifex summum Pontificatum dimittere, eique renuntiare potest, ut Cælestinus V. & decreto sancivit, & exemplo demonstravit, ut refert ejusdem Successor Bonifacius VIII. *in cap. 1. de renuntiat. in 6.* ubi Glossa plures Pontifices, qui Pontificatui resignârunt, enumerat. A regula hac generali unica fit *exceptio.* Renuntari non potest beneficium, ad cujus titulum quis ad sacros Ordines promotus est, & talis renuntiatio nulla est, nisi in illa exprimaturn imprimis, quod ad tale beneficium resignans sit ordinatus, deinde quod

quòd eidem de congrua sustentatione aliunde provisum sit, ut decrevit *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 2.* De beneficiis, quæ in favorem alterius renuntiarum non possunt, §. sequenti dicitur.

Quæres *quarto.* Quis resignare potest?

§. Quivis Beneficiatus rationis compos, Excipe sequentes: *1mo.* Clericus in Ordine sacro constitutus, si non habeat, unde sustentetur, beneficium renuntiare non potest, etsi ad illud ordinatus non sit, ex Constitutione S. Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesie.*

2do. Beneficiatus minor 14. annis, si ex dispensatione beneficium obtineat, illud sine autoritate Tutoris renuntiare non potest, cum pupillus sine autoritate Tutoris nihil agere vel alienare possit. *cap. fin. de iudicis. in 6.* Major 14. annis licet minor 25. renuntiare potest. *Gloss. in cap. ex parte. 14. de restitut. spoliator. Verb. Quamvis.*

3tio. Beneficiatus in aliqua Religione Novitius tempore Novitiatûs renuntiare non potest, & renuntiatio facta ante duos ultimos menses anni probationis vel intra hos facta, si non sequatur professio, est nulla ex dispositione *Trident. Sess. 25. de regular. cap. 16.*

4to. Beneficiatus, qui ultra 20. dies postrenuntiationem non vivit, renuntiare non potuit, sed si resignans intra 20. dies post factam beneficii sui resignationem moriatur, renuntiatio huiusmodi ac collatio beneficii postmodum in vim renuntiationis facta nulla est, ipsumque beneficium per obitum vacare censetur, ex Regula Cancellariæ, quæ solet vocari *Regula de 20.* Vel *Regula de infir-*

mis resignantibus. Causæ hujus Regulæ sunt: *1mo.* Ne vel Ordinarii suâ collatione, vel expectantes gratiâ sibi factâ fraudentur. *2do.* Ne beneficia fiant hæreditaria, vel de illis, quasi per viam ultimæ voluntatis, disponatur. *3tio.* Ne ab homine ob instantem mortem turbato quævis personæ obtrudantur. *4to.* Ne detur occasio captandi mortem resignantis; & ideo multi Regulam hanc, cum secundum jus commune ad communem utilitatem pro servandis Ordinariorum juribus instituta sit, favorabilem esse volunt, cum econtrâ alii esse odiosam contendant, eò quòd in odium resignantium & resignatariorum sit introducta. Porro Regula hæc quæcunque beneficia afficit, sive in Curia coram summo Pontifice, sive extra Curiam coram Ordinariis resignentur, & numerandi sunt dies à momento, quo præstitus à Superiore consensus, usque ad momentum, quo resignans expiravit; quamvis enim in annis legalibus computandis, si materia favorabilis, annus inceprus habeatur pro completo, attamen si à lege fiat computatio, dies sumitur de momento in momentum. Qui resignationem infirmare vult, resignantem intra 20. dies obiisse probare debet, quod si probatum, beneficium per obitum vacat, quasi nunquam fuisset resignatum, & consequenter non est Papæ reservatum, ut tenet probabilior Canonistarum sententia.

Quæres *quinto.* Quibus beneficia renuntiarum possunt? *§.* Non possunt renuntiarum nisi dignis. *cap. cum in cunctis. 7. de election.* & iis, qui qualitates à jure, statu

tuto vel consuetudine requisitas habent, nec juvat, si postmodum superveniat idoneitas, tunc enim novus consensus resignantis, & nova Superioris provisio requiritur. Difficultas est, an in resignatione vel permutatione beneficii curam animarum habentis resignans in favorem digniori resignare teneatur; plures obligationem gravem præferendi digniorem sustinent, dicentes: peccatum esse mortale, si beneficium curatum minus digno notabiliter resignetur, dum adest vel haberi potest dignior notabiliter. Barbof. tamen *de offic. Paroch. cap. 2. n. 101.* dicit satis esse, si resignans in dignum transferat beneficium; hanc dationem: quia dimittit, quod suum est: quod si retineret, non obligaretur plus facere, quam mediocriter idoneus, ergo substituendo talem satisfacit. Aliud est in Superiore, qui ex officio est beneficiorum distributor, ideoque ex justitia tam distributiva quam commutativa est obligatus præferre digniorem.

Quæres sexto. Quæ forma resignationis? *1. mo.* Facienda est resignatio sive ab ipso Clerico beneficiato, vel in scriptis ab ejus procuratore. *2do.* Coram legitimo Superiore. *3tio.* Ex causa legitima. *4to.* Superior juxta Constitutionem Greg. XIII. quæ incipit: *Humano vix judicio.* Intra mensem resignationem vel admittere vel rejicere debet, alioquin beneficii provisio ad Sedem Apostolicam spectat. *5to.* Ex eadem Constitutione renuntiationes factæ in Ecclesiis, in quibus beneficium resignatum, & in Ecclesiâ Cathedrali intra certum tempus sunt publicandæ.

Quæres septimo. Coram quo Superiore facienda resignatio? *1. mo.* Necessario in manibus Superioris fieri debet. *cap. admonet. 4. de renuntiat.* Beneficiatus enim sese Ecclesiæ obligavit, à qua obligatione non nisi à Superiore absolvi potest, & quamvis Episcopus criminofus vel simoniacus sit, absque licentia tamen Superioris Episcopatum dimittere nequit. *cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat.* Multò minus si Beneficiatus ob crimen solum beneficio privandus sit, vel si ipso jure privatus, expectanda sententia criminis declaratoria, per quam titulus coloratus tollitur ac possessio. Si quis aliud beneficium incompatible obtinuit, nihilominus prius cum auctoritate Superioris dimittere debet, alioquin ad primum revocari potest. *Extrav. execrabilis. de præbend.* Et si transeat ad aliam Dioccesin, expressus requiritur consensus; si maneat in eadem, tacitus sufficit; si in Religione professurus sit, satis est, quòd professio Superiori insinuetur; nam illi jus dimittendi beneficium facit potestatem. *cap. licet. 18. de regular.* Dummodò non sit Episcopus, potest quis inire matrimonium, vel suscipere militiam, & sic non petita Superioris licentia tacite beneficio renuntiare. Generaliter quodlibet beneficium simplex personalem residentiam non requirens requisito, licet invito Superiore dimitti potest; principaliter enim est ob beneficiati utilitatem.

2do. Per Superiorem intelligitur ille, qui Ordinariam beneficiatum à beneficio removendi habet potestatem; ideo cum ad eundem jure communi in - & desti-

destitutio pertineat, instituens jure ordinario resignationem acceptare potest; secus est, si ad aliquem ex solo privilegio vel consuetudine pertineat institutio.

3^{to}. Renuntiatio coram Laico quantumvis beneficii Patrono fieri nequit. *Cap. quod in dubiis. 8. de renuntiat.*

4^{to}. Solus Papa resignationes Episcopatum & his majorum dignitatum recipit. Item Abbatiarum exemptarum, & primæ post Episcopatum dignitatis per regulam 3^{tiam} Cancellariæ est Pontifici reservata resignatio.

5^{to}. Episcopus resignationes puras omnium beneficiorum in sua Diocesi etiam Papæ reservatorum, patronatorum, vel electivorum admittit. Sic Episcopus in omni mense renuntiationes admittit, & non obstantibus concordatis beneficia resignata, quæ aliàs suæ collationis sunt, conferre potest.

6^{to}. Vicarius Generalis Episcopi sine speciali mandato hanc potestatem exprimente resignationes recipere nequit.

7^{mo}. Capitulum sede vacante resignationes puras beneficiorum, sive ad collationem Episcopi, sive alterius Patroni spectantium recipiendi habet facultatem; Capitulum enim Episcopo in omnibus, quæ jurisdictionis ordinariæ saltem necessariæ sunt, nisi expressè excipiantur, succedere noscitur, in jure autem renuntiationis receptio ordinariæ ac necessariæ jurisdictionis est, eò quòd ex causa recipi debeat renuntiatio.

Quæres octavo. Quæ legitima renuntiationis causa? *Re. 1^{mo}*. Generaliter censentur duæ justæ causæ, nempe utilitas Ecclesiæ, & salus propria Benefi-

ciati. *Cap. quidam. 12. de renuntiat.*

2^{do}. Causæ, ob quas Episcopatus renuntari possit, sunt sex expressæ in *cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiat.* quæ his versibus comprehenduntur:

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

3^{to}. Resignationes coram summo Pontifice fiunt sine causa in favorem resignantium vel resignatariorum; coram Ordinario sub pœna nullitatis in Constitutione S. Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesia*. Requiritur certæ causæ præter supra in *cap. nisi cum pridem expressas*. Si Beneficiatus plura beneficia habeat, quorum unum ad sustentationem sufficiat, si Religionem ingrediatur, matrimonium contrahat, militiam sequatur, &c. Ubi Bulla S. Pii V. recepta, ad valorem renuntiationis requiritur, ut una ex his causis subsistat.

Quæres nono. Quomodo potest fieri resignatio per Procuratorem? *Re. 1^{mo}*. Procurator ad resignandum vel Clericus vel Laicus esse potest. *Clement. unic. de renunt. junctâ Gloss. verb. Procuratorem*. Quin & Religiosus de licentia sui Superioris, quam non nisi ad utilitatem monasterii dare debet, *can. Monachi. 35. caus. 16. q. 1. cap. ex parte. 2. de postuland.* Plures etiam Procuratores vel in solidum, vel ut simul renuntient, constitui possunt, imò idem & resignantis & resignatarii potest esse Procurator.

2^{do}. Ad legitimam Procuratoris constitutionem hæc requiruntur: *1^{mo}*, Liberè & spontaneè constitutus esse debet,

cir.

cit. Clement. unic. 2do. Speciale in eo exigitur mandatum cum nomine & cognomine tam Procuratoris, quam resignantis, & specificatione beneficii resignandi. *3tio.* Mandatum in scriptis habere, & quidem si in Curia Romana renuntiatio est facienda, instrumentum publicum esse debet. *4to.* Productio instrumenti procuratorii ultra quadriennium haud differenda est. *5to.* Procurator formam mandati servare tenetur, & si fines illius excedat, ut si mandatum sub pensione resignare, & ille resignet purè, renuntiatio est nulla. *cap. cum dilecta. 22. de rescript.*

4to. Mortuo mandante, quamvis Procurator hoc ignoret, mandatum cessat, si res adhuc integra, quia cum beneficium jam per mortem vacet, per resignationem vacare nequit. *Clement. fin. de Procurator.* Res autem non amplius integra est, si supplica presentata, signata, & dotata, quia regulariter Procurator negotia ante mortem Principalis inchoata post mortem Domini perficere potest.

5to. Procurator vel expressè vel tacitè per alterius Procuratoris constitutionem revocari potest. *cap. non injustè. 14. de Procurator.* Valètque revocatio etiam post supplicam signatam facta, revocatio tamen vel Procuratori vel Superiori resignationem admittenti intimata esse debet, nisi hoc malitiosè sit impeditura. *Clem. unic. de renuntiat.*

Quæres decimo. Quis effectus renuntiationis? *Re. 1mo.* Si absque Superioris legitimi autoritate facta resignatio, Superior resignantem cogere potest, ut in

beneficio permaneat, vel legitimè dimittat, aut etiam desertionem ratam habere, sicque beneficium vacans alteri conferre valet, quod si resciat, & intra sex menses in beneficio permanere non jubeat, consentire censetur, & effectum sortitur resignatio.

2do. Antequam Superior consentiat, resignans titulum retinet, sed possessionem amittit, & ad hanc sine Superioris autoritate regredi nequit.

3tio. Qui renuntiandi licentiam petit, & obtinuit, ad renuntiandum compelli potest, ne Superiori illulisse videatur. *cap. quidam. 12. de renuntiat.*

4to. Resignatione simplici à Superiore admittà vacat beneficium renuntiatum, ita, ut renuntians jus omne ad illud amittat, nec ad illud regredi valeat. *cap. ex transmissa. 3. cap. in presentia. 6. de renuntiat.* Episcopus ob crimen renuntians Episcopatus, nec ad renuntiatum nec ad alium Episcopatum etiam per novam electionem vel provisionem resurgere vel promoveri potest; secus est, si ob aliam causam renuntiaverit. *cap. post translationem. 11. de renuntiat.*

Quæres undecimo. An renuntiatio conditionalis sit valida? *Re. 1mo.* Renuntiatio sub pacto, modo, vel conditione, quæ de jure non inest, facta, nisi clausula: *Autoritate Apostolicà, vel sub beneplacito summi Pontificis*, addita fuerit, simoniaca est, & nulla. *cap. cum pridem. 4. cap. fin. de pactis.*

2do. Si resignationi conditionalis inferatur clausula: *Sub beneplacito summi Pontificis*, simoniaca non est, cum jus solum velut simoniacam prohibeat pactio-

paſſionem firmam in beneficiis. *cap. cum univerſorum. 8. de rerum permutat.* Ideoque resignans ante conſenſum ſummi Pontificis de conditione, vel conditionibus resignationi inferendis tractare non veratur, modò ante obtentum hunc conſenſum non procedatur ad conditionum executionem.

3tio. Resignatio coram Ordinario facta ſub conditione, quæ de jure, vel ſtatuto, vel fundacione ineſt beneficio, ut ſub conditione reſidendi, ad quod vi beneficii beneficiatus obligatur, ſub onere ſolvendi penſionem, ſi beneficium hoc onere legaliter gravatum vel gravandum ſit, nec illicita nec ſimoniaca eſt. *cap. ſignificãſti. 4. de election.* Si tamen conditio non ineſt beneficio, quamvis aliundè debita ſit, pactio ſimoniaca eſt, ut ſi reſignes tuo debitori beneficium, ut liquidum ſolvat debitum.

4to. Simoniaca eſt renuntiatione facta ſub conditione, ut renuntianti ſolvantur expenſæ pro beneficio obtinendo in lite, ſolvendis ſtatutis, expediendis Bullis factæ, quamvis illæ expenſæ pro indemnitate reſignantis, vel pro commodo, quod ex expenſis renuntiantis habet reſignatarius, exigi dicantur, quia has expenſas reſignans à reſignatario exigere nequit, cum reſignans expenſas propter ſe fecerit, ut beneficium utile obtineret, & commodum, quod reſignatarius

conſequitur, in renuntiato fundatur beneficio. Aliud eſſet, ſi reſignans ex bonis patrimonialibus in meliorando beneficio, vel vindicando ex manibus Hæreticorum expenſas fecerit; illas enim, cum ex redditibus beneficii exigere poſſit, reſignatarius ex beneficii redditibus reſignanti ſolvere eſt obligatus.

5to. Resignatio ſub conditione, ut reſignatarius expenſas pro Bullis ſolvat, eſt ſimoniaca; ſinguli enim ſuas ſolvere debent, & quamvis in reſignatione pura ſine penſione expenſas Bullarum reſignatarius ſolvere conſueverit, id tamen in pactum minimè eſt deducendum.

Quæres duodecimo. Quæ conditiones hodie renuntiationibus apponi ſolita? *ꝛ. Sequentes. 1mo.* Ut beneficium conferatur alicui deſignato, & dicitur reſignatio in favorem. *2do.* Ut reſignatarius viciffim ipſi ſuum promittat beneficium, & vocatur permutatio. *3tio.* Ut reſignanti reſerventur omnes, vel aliqui fructus beneficii, & appellatur renuntiatione ſub penſione. *4to.* Ut ad beneficium regredi, hoc eſt: ſi reſignatarius præmoriatur, beneficium reſignatum recuperare poſſit, vel ingredi, hoc eſt: ut abſolutis v. g. ſtudiis propriâ autoritate illud recipere poſſit, & dicitur reſignatio cum reſreſſu & acceſſu.



§. Secundus.

D E

Renuntiatione in specie.

Quæres primo. Coram quo fieri potest renuntiatio in favorem? *ꝛ.* Coram solo summo Pontifice; & renuntiatio taliter coram alio inferiore facta illicita est & invalida. Imò si pactum de non conferendo alteri, quàm designato, intervenerit, simoniaca est; omnis enim pactio in beneficialibus ad simoniam vitandam prohibita est. Non tamen illicitum de se foret resignanti, ante vel post renuntiationem præviam apud ordinarium collatorem interponere petitionem, ut beneficium resignatum huic vel illi conferat, quamvis ex spe hujus resignet, aliàs non resignaturus, dummodò omne etiam tacitum pactum excludatur.

Dicitur: De se. Quia S. Pius V. in Constitutione: *Quanta Ecclesia*, ad obviandum omnibus fraudibus prohibuit, ne ullo modo fiat designatio Successoris in beneficio resignato, & ne illud consanguineis, affinibus vel familiaribus conferatur, quia tamen resignatio in favorem est tantùm simoniaca de jure Ecclesiastico, hinc summus Pontifex in hac dispensandi plenam habet potestatem.

Quæres secundo. Quæ beneficia in favorem renuntiare possunt? *ꝛ.* Omnia exceptis specialiter prohibitis, ut sunt
1^{mo}. Beneficium, quod est juris patronatûs, renuntiare non potest in favorem,

absque Patroni consensu, si tamen Patronus Ecclesiasticus, summus Pontifex in admissione renuntiationis juri patronatûs Ecclesiastico derogare solet, non tamen si patronus Laicus, ne Laici à piis foundationibus deterreantur. Addunt Canonistæ satis esse, ut resignatio effectum obtineat, si postmodum Patroni accedat consensus.

2^{do}. Beneficia electiva absque consensu eligentium in favorem renuntiare non possunt, & quidem si in Ecclesia fiat utilitatem, sufficit majoris partis consensus, si in utilitatem resignatarii ab omnibus consensum præstari oportet.

3^{tio}. Beneficium alicui dignitati, Collegio vel Ecclesie unitum, quia per unionem Ecclesie vel Collegio in beneficio unito jus est acquisitum, cui per resignationem non debet præjudicari.

4^{to}. Beneficium, super quo alteri gratia expectativa concessa est, vel regressus reservatus, nisi illius, cui regressus reservatus, vel expectativa indulta accedat consensus.

5^{to}. Beneficium litigiosum lite pendente non nisi in favorem colligantis resignari potest, aliàs enim in fraudem litigantis fieret resignatio. *Arg. cap. si, ut lite pendente.*

6^{to}. Beneficium, quo quis ipso jure vel per sententiam Judicis privatus est, in favorem renuntiare non potest; quamvis

vis enim sententia Judicis declaratoria criminis adhuc requiratur, vel sententia privans beneficio, quæ in rem judicatam transit, executioni nondum mandata sit, ipse tamen criminofus à commiffi criminis momento, & ab instanti, quo sententia in rem judicatam transit, omne jus amisit, ideoque illud in favorem alterius resignare nequit. Aliud est de eo, qui beneficio per sententiam est privandus, quantumvis crimen notorium, & de facto de crimine accusatus ante sententiam condemnatoriam etiam in favorem renuntiare potest. Ita etiam habens parochiam, quâ privandus esset, eò quòd intra annum ad S. Ordines non sit promotus, eam ultimo anni die in favorem renuntiare potest, quia donec annus finitus, jus in re retinet, quod ipsi invito ante finem anni auferri nequit. *Cap. commissa. 35. de election. in 6.* Ideoque illud per viam resignationis in alium transferre valet.

7imo. Beneficium in commendam ad tempus datum renuntiare nequit in favorem, quia commendatarius temporalis jus & titulum in beneficio commendato non obtinet, sed sola ei, donec de Rectore provideatur, ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ datur administratio. *cap. nemo. 15. de elect. in 6.*

8vo. Beneficii parochialis renuntiatio de stylo Curia Romanæ non admittitur, nisi resignans parochiam, saltem per tres vel quatuor annos eam possederit, ideoque in supplica, quot annis eam possederit, est exprimendum.

9no. Beneficium manuale in favorem renuntiare potest, modò manualitas in

supplica exprimat, quo casu resignatarius ad nutum inferioris amoveri non potest; inferior enim provisiones à Papa factas infirmare nequit, maximè si Papa ex certa scientia manualitatis contulerit beneficium manuale resignatum.

10mo. Renuntiare in favorem possunt beneficia, quæ in casu vacaturæ ex statuto vel consuetudine ab aliis beneficiatis optari non poterant, & admiffa tali resignatione jus optandi quoad tale cessat beneficium. Ratio est; quia in reservatis Papæ statutum & consuetudo optandi locum non habet, beneficia autem vacantia per resignationem à Papa admiffam sunt reservata, quia per resignationis acceptationem Pontifex applicuit manus, & vacant in Curia, ubi resignantur.

Quæres *tertio.* Quos resignatio in favorem habet effectus? *1o.* Beneficium in favorem resignatum non vacat, usque dum resignatio plenum habeat effectum, & resignatarius titulum, & possessionem tituli resignati adeptus sit. Ratio est: quia mens resignantis fuit, jus non abdicare, nisi illud resignatarius obtineret, cui resignantis menti Papa annuit benignè, ergo beneficium non vacat, nisi resignatio & quoad translationem tituli & quoad translationem possessionis sortiatur effectum. Ex quo practici docent resignantem posse possessionem continuare, & omnia peragere, quasi beneficium resignatum non fuisset, usque dum resignatarius literas expeditas præsentet, & admitti petat ad possessionem.

2do. Fructus beneficii resignati partim

tim ad resignantem, partim ad resignatarium spectant, secundum ratam temporis, quo beneficium habuerunt; æquum enim est, ut, qui habet titulum, ac præstat officium, fructibus gaudeat beneficii, quod tamen intellige de fructibus tempore resignationis à solo separatis, licet nondum exactis vel inuectis.

3tio. Resignans in favorem ad onera beneficii tenetur, quamdiu fructus percipit: A capta possessione statim obligatur resignatarius.

Quæres quarto. Qualiter resignatio cum reservatione regressus fieri potest? *ꝛ. Trident. Sess. 25. de reform. cap. 7* severè regressus prohibet his formalibus: "Cum in beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria, nemini imposterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium Ecclesiasticum cujuscunque qualitatis concedatur, nec hætenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hoc decretum in quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis ac in quibuscunque personis etiam Cardinalatus honore fulgentibus locum habeat." His conformiter S. Pius V. in Constitutione, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, omnes & singulos regressus sub quibuscunque tenoribus & formis à Prædecessoribus concessos revocavit. Attamen quia summus Pontifex Successoribus suis manus ligare non potest, resignationes cum reservatione regressus adhuc hodie in Curia Romana admittuntur.

Quæres quinto. An resignatio cum reservatione pensionis annuæ valida? *ꝛ.* Resignatio sub conditione pensionis vel alterius rei temporalis retinendæ est simoniacæ. *Gloss. in cap. ex parte. 12. de offic. delegati*, cum non sit gratuita, sed aliquid contineat, quod rationem pretii habere videtur. *cap. tua nos. 34. de simon.* Quia tamen summus Pontifex reditus beneficii dismembrare potest, resignatio coram summo Pontifice cum reservatione pensionis valet, & tunc Pontifex resignatario beneficium resignatum, & resignanti partem fructuum beneficii resignati pro alimentione assignat. Excipitur unicus casus *in cap. nisi essent. 21. de præbend.* ubi duo Clerici electi coram Judicibus compromissariis litigabant, quis ex illis esset confirmandus, & arbitri unum ex litigantibus confirmârunt, & alteri pro bono pacis de parte proventuum provisionem fecerunt. Tria autem ad hunc casum requiruntur. 1mo. Ut nulla sit partium conventio. 2do. Ut arbitri sint bonæ opinionis, viri providi & honesti. 3tio. Ut beneficium titulum Canonicum habenti, vel ex actis habere apperenti adjudicetur. Si hæ conditiones non adsint, non valet uni conferens, vel beneficium adjudicans, & alteri partem proventuum assignans arbitrium. *cap. non sine. 2. de arbitris. cap. fin. de rer. permutat.*

Quæres sexto. An resignatio permutationis licita sit? *ꝛ.* 1mo. Reciproca beneficiorum resignatio absque auctoritate Superioris illicita est & invalida, ita ut uterque contrahens permutatione rescissâ beneficio sit privandus. *cap. majoribus. 8. de præbend. cap. quæsitum. 5.*

cap. cum olim. 7. cap. cum universorum. 8. de rerum permutat.

2do. Est tamen permessa, si auctoritate Superioris servatâ formâ à jure præscriptâ fiat. *cap. ad quaestiones. 6. de rerum permutat. cap. unic. eod. in 6.*

3tio. Superior ille, qui permutationi auctoritatem dare potest, est Papa, vel loci, in quo beneficium situm, proprius Episcopus. *cap. quaestum. 5. §. si autem. de rer. permutat.* Quod si beneficia permutanda in diversis sint Diœcesibus, resignatio in utriusque Ordinarii manibus facienda est, vel quilibet permutans in manibus sui Ordinarii resignare, vel unus Episcopus alteri resignationis sui Diœcesani acceptationem committere debet. *Gloss. in cap. unic. de rer. permutat. in 6. verb. collationem.*

4to. Nomine proprii Episcopi intelliguntur omnes, qui Episcopalem vel quasi habent jurisdictionem, quamvis Episcopali non ornentur dignitate, cum hæc facultas Superiori non ratione Ordinis & dignitatis, sed tantum competat ratione jurisdictionis: & ideo Capitulum sede vacante, si beneficia permutanda ad ejusdem Capituli collationem vel ad tertium pertineant, autorizare potest permutationem. Vicarius Generalis speciale non habens mandatum permutationes nequit expedire.

5to. Si ad inferiores Episcopo Prælatos beneficiorum permutandorum pertineat collatio, eorum quoque consensus ad permutationem est necessarius. Et generaliter omnium, ad quos jus eligendi vel præsentandi spectat, consensus vel permutationem præcedere vel subse-

qui debet. *Gloss. in Clement. unic. de rerum permutat.* Quamvis enim sine eorum consensu facta, non sit ipso jure nulla, attamen si agant de contemptu, est annullanda permutatio.

Quæres 7imo. Quam causam exigit permutatio? *sc.* Volunt aliqui ad permutationem requiri causam necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, & non sufficere solam personarum permutantium utilitatem, ut probatur ex *cap. quaestum. 5. de rer. permutat.* ibi: "Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut qui uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere." Hinc Doctor Angelic. in 4. sentent. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 8. severior ait: Si pro aliquo terreno commodo utriusque vel alterius fiat permutatio, est simonia, si autem pro aliquo spiritali, utpote, quia hic in illo loco meliùs possit DEO servire, non est simonia; unde tunc potest fieri permutatio auctoritate Episcopi Diœcesani. Attamen Canonistæ communiter docent, sufficere utilitatem personarum permutantium. *Juxta Gloss. in cap. cum universorum. 8. de rerum permut. verb. utriusque.*

Quæres octavo. Quæ beneficia permutari possunt? *sc.* Omnia beneficia possunt permutari, quæ possunt resignari, cum hac explicatione: 1mo. Permutari nequit jus in re & beneficio cum jure ad beneficium, cum illud non sit beneficium. 2do. Nec possunt permutari beneficia acquirenda, seu nondum acquisita, ut gratiæ expectatiæ, jura ex nominatione, præsentatione vel electione acqui-

sita, quamvis enim jus sint ad beneficium, non sunt tamen beneficia, sed jura personalia, personam, cui concessa, non excedentia. *Arg. cap. cui de non Sacerdotali. 27. de prebend. in 6. 3tio*, Nec pensio, nisi in titulum erecta esset, cum beneficio permutari potest. *4to*. Neque beneficium cum aliquo jure speciali, ut patronatûs, decimarum, &c. permutari potest. Licet enim hæc specialia sint jura, diversi tamen Ordinis à beneficio esse dignoscuntur.

Quæres nono. An beneficia inæqualia permutari possint? *ꝛ*. Permutationem non impedit, sive in numero, sive in qualitate beneficiorum inæqualitas, sic plura, modò compatible, cum uno, simplex cum curato, & è converso, quod plures habet proventus, cum tenui permutari potest, cum non fiat fructuum, sed juris specialis commutatio, dummodò fraus vel dolus absint, qualis intervenire præsumitur, si morti vicinus vel senex beneficium pingue cum tenui permutet. *cap. fin. de renuntiat. in 6.*

Quæres decimo. An in permutatione beneficii excessus, quo unum alteri prævalet, ut in dignitate vel redditibus, compensari valeat? *ꝛ. 1mo*. Si excessus ille sit in aliquo spirituali, ut jurisdictione, majore dignitate, &c. nequidem autoritate summi Pontificis aliquo temporali compensari potest, cum juris Divini & naturalis foret simonia.

2do. Si excessus ille sit in aliquo temporali, aliqui autoritate Superioris compensationem fieri posse docent. *Arg. cap. ad quæstiones. 6. de rerum permutat.* Veruntamen compensationem fore simo-

niacam verior tenet sententia. *cap. quæsitum. 5. de rer. permutat. cap. fin. de pactis*. Quia talis compensatio fieri non potest, quin vendatur in beneficio id, quod est spirituale; excessus enim fructuum beneficio vel titulo spirituali est annexus, qui autem connexorum emit alterum, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. *cap. si quis objecerit. 7. caus. 1. q. 3.*

Nec obstat *cit. cap. ad quæstiones*; illud enim de commutandis quoad proprietatem Ecclesiis loquitur, in qua commutatione defectus tenuiorum alterius Ecclesiæ reddituum absque simoniæ vitio suppletur, eò quòd tantum temporale cum temporali commutetur.

Quæres undecimo. An valeat plurium beneficiorum reciproca, quam vocant triangularem, permutatio. V. g. Ego resigno Cajo, ut is suum resignet Titio, & Titius suum mihi? *ꝛ*. Coram Ordinario facta cum pacto tacito vel expresso simonica est. Excusant aliqui hanc simoniam hoc modo: De licentia Ordinarium ego permuto meum beneficium cum Cajo, & ego habens beneficium Caji permuto illud cum Titio.

Quæres duodecimo. Qualiter publicanda permutatio? *ꝛ. 1mo*. Permutatio eo modo, quo renuntiatio, publicanda est, & quidem ab utroque permutante publicatio fieri debet, cum permutatio nihil aliud sit, quàm mutua resignatio.

2do. Permutatio vel renuntiatio in Curia Rom, facta, si beneficia permutable intra Montes vel in Italia sint, intra sex menses, si ultra Montes, ut in Germania, intra novem menses à die exten-

con-

consensus computandos fieri debet. Si quis autem post resignationem vel permutationem possessionem beneficii per aliquod tempus adhuc retinere optet, hanc tradunt Curialistæ praxin: Admissâ resignatione non curentur expediri Bullæ ad sex menses, tunc petatur prorogatio vel nova data. Evoluto termino prorogationis expediantur literæ, quæ ultra Alpes ad novem menses retineri possunt, antequam publicentur, & sumatur possessio beneficii resignati, tunc iterum petitur prorogatio ad alios novem menses, & postmodum ad alios duos, ac demùm ad septem menses, nec ultra duos annos datur prorogatio. An autem omnes illæ praxes licitæ sint in conscientia, dubitatur, verior apparet negativa.

3tio. Permutationes & resignationes extra Curiam Romanam in manibus Ordinarii factæ intra tres menses à die factæ collationis publicari, ac possessio capi debet. Juxta Constitutionem Gregorianam, quæ incipit: *Humano*. Ubi illa recepta.

Quæres ultimo. Quis permutationis effectus? R. 1mo. Permutatio plenum habet effectum, si beneficia resignata reciprocè per Ordinarium sint collata permutantibus.

2do. Si permutatio hunc effectum non habeat, sed renuntiatione ab uno factâ alter resignare nolit, est locus penitentia, & ad suum sine nova collatione redire potest, quia resignavit sub conditione, si non suspensiva, saltem resolutoria, & conditione non impletâ suum beneficium abdicandi voluntas non fuit, adeoque non vacabit beneficium.

3tio. Si beneficium permutatum, vel alterum ex duobus beneficiis permutatis evincatur, vel aliâ ratione appareat beneficium ab una parte fuisse invalidè permutatum, permutans propriâ auctoritate ad beneficium suum redire nequit, quia cum beneficium suum verè vacaverit, sine nova collatione rehabeti non potest, nisi in Bulla permutationis hæc addita clausula: Ut alteri ex permutantibus, si compermutans faciat, ut commutatio effectum non habeat, liceat etiam propriâ ad beneficium redire auctoritate.

4to. Si unus permutantium beneficium suum dimisit, & illi beneficium compermutantis est collatum, ipse autem compermutans, antequam alterius beneficium ipsi sit collatum, diem claudit extremum, beneficium dimissum vacat per resignationem, si verò nondum dimiserit, illud retinere potest, si compatibile est.

5to. Si permutans coram Papa intra 20. menses à præstito consensu moriatur, vacat per mortem, & alteri conferri potest beneficium.

6to. Si permutatio jam facta sit, quamvis conditiones appositæ non serventur, ut v.g. non solvitur pensio, à Pontifice legitimè imposita, beneficium reperi nequit, quia perfectis omnibus intrinsicis locum non habet penitentia.

7tmo. Si unus ex permutantibus sit dolo circumventus, per Superiorem permutatio rescindi potest, ut est textus in cap. cum universorum. 8. de rerum permutat.

TITULUS DECIMUS.

DE

DEGRADATIONE ET DEPOSITIONE.

Quæres primo, Quid est degradatio? *Re.* Est Episcopi alteriusve Clerici exauthorizatio ad similitudinem exauthorizationis militaris, quâ militi ob delictum Ordo militaris & militiæ insignia detrahuntur, sicque à militia remotus castris ejicitur privatus confortio & privilegio militari. *cap. degradatio. 2. de poenis. in 6.* Agimus de hoc, in quantum modus est, per quem matrimonium spirituale Episcopum inter & Ecclesiam dissolvitur.

Quæres secundo. Quotplex est degradatio? *Re.* 2plex: Verbalis & realis seu actualis. Verbalis est: quando ab eo, qui auctoritatem habet, fertur depositionis sententia. Actualis est: quando post latam sententiam ei, qui degradandus est, vestes & sui Ordinis insignia gradatim auferuntur.

Quæres tertio. Quæ inter verbalem & realem degradationem differentia? *Re.* Sequentes: *1mo.* Degradatio verbalis per simplicem fit sententiam, quâ Clericus criminofus ab Ordinibus Clericalibus, vel potius ab Ordinum ministerio & executione declaratur depositus: ideoque magis propriè depositio appellatur. Degradatio realis fit per actum solemnem, in quo vestibus & insigniis Clericalibus solenni verborum formâ cri-

minofus privatur, & Curia seculari extraditur.

2do. Per degradationem verbalem degradatus non amittit privilegium fori & Canonis, sicut per degradationem solemnem, quamvis nec per hanc character Ordinum auferatur.

3tio. Si in jure reperiat expressa pœna degradationis, id de jure verbali intelligendum; realis enim pœna est gravissima, quæ non nisi in casibus à jure expressis est infligenda.

Quæres quarto. Quis verbaliter degradandi habet potestatem? *Re.* Verbalis degradatio seu depositio ab Ordinibus seu gradibus Ecclesiasticis est à proprio Episcopo sibi assistente, in degradatione Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus, certo Episcoporum numero definito Canonibus facienda: quamquam proprii Episcopi sententia sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores duntaxat Ordines receperunt. *cit. cap. degradatio.*

Quæres quinto. Qualis ad degradationem requiritur potestas? *Re.* Ad degradationem verbalem sufficit sola potestas jurisdictionis, unde per Episcopum confirmatum nondum consecratum, vel de ejusdem commissione per Vicarium

Gene-

Generalem fieri potest. Degradatio realis est simul actus Ordinis, qui à solo Episcopo consecrato exercendus est.

Quæres sexto. Quis realiter degradare potest? *R.* Episcopus consecratus, & quidem *juxta cit. cap. Degradatio*, assistente sibi certo Episcoporum numero si degradandus in sacris constitutus. At modò per decretum *Trident. Sess. 13. cap. 4.* Episcopo per se vel per Vicarium in spiritualibus Generalem contra Clericum, in sacris etiam Presbyteratibus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbaalem depositionem, & per se ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum præsentia, in numero à Canonibus definito, requiritur, etiam absque iis procedere licet, adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus usum mitræ & baculi habentibus, si in civitate aut Diocesi reperiri & commodè interesse possint, alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientiâ commendabiles existunt.

Quæres septimo. Quæ degradationis realis solemnitas? *R.* Ea *in cit. cap. degradatio*. exprimitur hoc modo: "Clericus degradandus vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum seu ornamentum, ad Ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad præsentiam Episcopi adducitur, cui Episcopus singula, sive sint

R.D. Schnorrenberg Instit. §. Can.

"vestes, calix, liber, sive quævis alia, quæ illi juxta morem ordinandorum Clericorum in ordinatione ab Episcopo fuerunt tradita, seu collata, singulater aufert, ab illo vestimento seu ornamento, quod ei ultimò datum fuerat, inchoando, & descendendo gradatim degradationem continuat usque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ, tuncque raditur caput illius, seu tondetur, ne tonsuræ seu Clericatus vestigium in eo remaneat. Utitur autem Episcopus in degradatione hujusmodi verbis certis ad terrorem, illis oppositis, quæ in collatione Ordinum sunt prolata, dicendo v. g. Presbytero in remotione Placeta: Aufferimus tibi vestem Sacerdotalem, & te honore Sacerdotali privamus, & in remotione reliquorum insignium similibus verbis utens, in ablatione ultimi, quod in collatione Ordinum fuit primum, hoc aliòve modo pronuntiat: Autoritate DEI Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritû Sancti, ac nostrâ tibi aufferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni Ordine, beneficio & privilegio Clericali."

Quæres octavo. Ob quæ crimina verbalis fit degradatio? *R.* Degradatio verbalis infligitur ob adulterium, concubinatum post monitionem perseverantem, simoniam notoriam, stuprum, incestum, furtum, perjurium, homicidium, & alia crimina gravia, quæ irregularitatem inducunt.

Quæres nono. Ob quæ crimina ad solemnem

M

lemnem

lemnem sive realem proceditur degradationem? *R.* Ad degradationem realem in Clerico criminoso extra casus exceptos non proceditur, nisi criminosus incorrigibilis existat, ut colligitur *ex cap. cum non ab homine. de iudiciis.* Ubi Cælestinus III de Clerico criminoso ait: "Qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deinde contumaciâ crescente anathematis mucrone feriri; postmodum verò si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per sæcularem committendus est potestatem, ita ut ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur."

Quæres decimo. Quæ sunt illa crimina excepta, propter quæ non expectatâ Clerici incorrigibilitate ad degradationem realem procedi possit? *R.* Sunt sequentia: *1. murt.* Hæresis multò magis apostasia à fide, saltem cum quis in illam relapsus & contumax fuerit. *cap. ad abolendam. 9. de hæreticis. cap. super eo. 4. eod. in 6.*

2. dum. Falsificatio literarum Apostolicarum. *cap. ad falsarios. 7. de crimine falsi. cap. novimus. 27. de verb. signif.*

3. tium. Conspiratio in proprium Episcopum, & eidem instructæ insidiæ. *can. si quis Sacerdotum. 18. caus. 11. q. 1.*

4. tum. Assassinium. *cap. 1. de homicidio. in 6.*

5. tum. Sodomia frequentata. Ex constitutione S. Pii V, quæ incipit: *Horrendum.*

6. tum. Celebratio Missarum & audi-

tio confessionum attentata ab eo, qui non est Sacerdos. Ex constitutione Clem. VIII, quæ incipit: *Etsi alias.*

7. tumum. Adulteratio monetæ in terris Ecclesiæ. Ex constitut. Urbani VIII, quæ incipit: *In suprema.* Extra hos casus criminosum Clericum non probatum incorrigibilem degradari actualiter non posse, etiam ob crimina atrociora, ob quæ Laico pœna mortis infligeretur, fuscè probat Fagnan. *in cap. cum non ab homine. 10. de iudiciis.* Ubi adducit exemplum Religiosi Sacerdotis à Religione Apostatæ, qui plurima furta in- & extra Religionem cum extractione commiserat, & ex Decreto sacræ Congregationis approbante summo Pontifice non solemniter degradatus, & Curiæ sæculari traditus, sed ad triremes perpetuò fuerat condemnatus.

Quæres undecimo. Qualiter degradatus Curiæ sæculari tradendus? *R.* "Cum Clericus criminosus ab Ecclesiastico foro fuerit projectus, ejus degradatio est celebranda sæculari potestate præfente, ac pronuntiandum eidem, cum fuerit celebrata, ut in suum forum recipiat degradatum, & sic intelligitur tradi Curiæ sæculari; pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur." *cap. novimus. 2. de verbor. signif.* Si tamen Judex Ecclesiasticus hanc intercessionem omitteret, irregularitatem incurrere non videtur; Ecclesia enim ad pœnam sanguinis non tradit Curiæ sæculari degradatum, sed eum tantum privilegio Clericali exutum, & post hoc sæculari Judici subiectum

jectum fore declarat. Si igitur Prælatum causam particularem sanguinis Laico committens cum mandato, ut iustitiæ debitum exequatur, non incurrit irregularitatem, *juxta cap. fin. ne Clerici, vel Monachi. in 6.* Multo minus Episcopus degradatum Curia seculari absque intercessione tradens irregularitatis incurret impedimentum.

Quæres duodecimo. Quis degradatum

restituere potest? R. Degradatum justè solus summus Pontifex restituere potest; degradatio enim ex sua institutione & quasi natura perpetua est, ac jure ordinario irremissibilis. *can. qui semel. 2. dist. 50.* Degradatus injustè iisdem ferè cæremoniis, quibus degradatus fuit, ab Episcopo restitui potest. *Can. Episcopus. 65. caus. 11. q. 3.*

TITULUS UNDECIMUS.

DE

OFFICIO ARCHIDIACONI.

Quæres primo. Unde nomen Archidiaconus? R. Ex Græco derivatum idem significat, quod Princeps Diaconorum; Græcè Diaconi, Latine Ministri dicuntur; "quia sicut in Sacerdote consecratio, ita in Diacono ministerii dispensatio habetur." *Can. Cleros. 1. dist. 21.* Archidiaconi ergo Ministrorum Principes vocantur.

Quæres secundo. Quæ præminentia Archidiaconi? R. Est primus post Episcopum, cujus præceptis Archi-Presbyter sicut Episcopi sui obedire tenetur. *Can. perlectis. 1. dist. 25.* Major post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius. Item oculus Episcopi, ut loco ejus per Episcoporum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet. *cap. ad hæc. 7. de officio Archidiacon.*

Quæres tertio. Quod officium Archidiaconi? R. Generaliter Archidiacono

incumbit unà cum Episcopo onus Episcopale ferre, eumque sollicitudine sublevare. *cit. can. perlectis.* Particulariter 1mo. Vice Episcopi, quæ muneris Episcopalis sunt, exercere debet. 2do. Ad eum pertinet Diocesis visitatio. *cap. mandamus. 6. de officio Archidiacon. 3tio.* Conservatio & restauratio Ecclesiarum ac singularis sacrorum vasorum & thesauri Ecclesiastici custodia. *cap. ea quæ. 3. de officio Archidiacon. 4to.* Examen & præsentatio ordinandorum. *cap. ut nostrum. 9. de officio Archidiacon. 5to.* Autoritate Episcopali Abbates & Abbatissas, ac alios Beneficiatos in possessionem mittere. *cit. cap. ut nostrum. 6to.* Ex commissione Episcopi Clericos instituere & destituere. *cit. cap. ad hæc. 7. de officio Archidiacon. 7timo.* Demùm Episcopo solemniter ministranti assistere, & altaris ministros assignare. *cit. can. perlectis. cap. officium. 2. de officio.*

M 2

Archid.

Archid. Quod etiam S. Rituum Congregatio declaravit.

Quæres quarto. Qualem Archidiaconus habet jurisdictionem? R. De jure communi habet jurisdictionem ordinariam per totam Dioccesin in omnes Clericos, vi cuius eos visitare, corrigere, & in rebus ac causis levioribus judicare potest. Graviora sunt reservata Episcopo, quæ sine speciali commissione Episcopi de jure communi exercere non potest Archidiaconus.

Quæres quinto. Quænam in specie reservata Episcopo? R. Sequentia: 1mo. Archidiaconus Clericos vel Beneficiatos deponere nequit. *Arg. cap. cum satis. 4. de offic. Archid.* 2do. Nec perpetuo, nec ad longum tempus suspendere. *cap. 1. de excessib. Pralat.* Nec Ecclesias unire. *cap. sicut unire. 8. ibid. 3tio.* Nec alicui curam animarum committere, vel dare institutionem autorizabilem vel collativam tituli. *cap. cum satis. 4. de offic. Archid.* 4to. Nec dare potest litteras dimissoriales vel ad sacros Ordines commendatitias. *cap. significasti. 8. de offic. Archid.* 5to. Neque ullam in monasteria & Regulares etiam non exemptos intra fines sui Archidiaconatus constitutos jurisdictionem exercere potest. *cap. fin. de offic. Archid.* 7imo. Nequit excommunicare. *cap. Archidiacono. 5. de offic. Archid.* 8vo demum non potest causas matrimoniales cognoscere. *can. multorum, 10. caus. 25. q. 6. cap. accedentibus. 12. de excessib. Pralat.*

Quæres sexto. An reservata Episcopo per præscriptionem vel consuetudinem Archidiacono competere possint? R. Af-

firm. *cap. 1. de eo, qui furtivè. cap. Romana. 5. cap. venerabilibus. 7. de sentent. excomm. in 6.* Et generale est, quod omnia, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, Prælatus inferior, ut est Archidiaconus, in Ecclesiis, quæ Episcopo subsunt, præscribere valeat, licet ipse Prælatus sub Episcopi maneat obedientia. *cap. auditis. 15. de præscript.*

Quæres septimo. Quæ differentia inter Archidiaconum & Vicarium Generalem? R. 1mo. Officium Archidiaconi alicui dignitati, v. g. Præposituræ annexum est & perpetuum: ideoque Vicarius Episcopi natus, aut Vicarius à jure datus appellatur: Officium verò Vicarii Generalis datum, & ad nutum Episcopi revocabile est: Unde & Vicarius ab homine institutus vocatur.

2do Archidiaconus propriam jurisdictionem ac distinctum ab Episcopo tribunal habet: ideoque ab Archidiacono ad Episcopum datur appellatio. *cap. referente. 7. de præbend. cap. Romana. 3. de appellat. in 6.* Jurisdictio autem Vicarii Generalis à jurisdictione Episcopi distincta est, nec diversum habet tribunal. *cap. Romana. nec à Vicario ad Episcopum datur appellatio. cap. non putamus. 2. de consuetud. in 6.*

3tio. Mortuo Episcopo jurisdictio Vicarii Generalis expirat, non tamen Archidiaconi, qui nihilominus Vicariam habet jurisdictionem, ut vivo Episcopo, ita & Sede vacante, & in utroque casu fungitur officio suo, quod nec est delegatum, nec morte expirat, sed ordinarium est jure Magistratus vel dignitatis suæ. *Gloss. in cap. 1. de offic. Archid. verb. Vicarium.*

Quæ-

Quæres octavo. Quæ hodierna Archidiaconi potestas? R. Cum Zipæo lib. 1. consult. de offic. Archidiaconi. Ubi sunt Episcopi residentes, & angusti districtus, autoritas Archidiaconi parva est, ubi autem Episcopi plerumque absentes, vel temporales Principes, vel latiores Diœceses, Archidiaconi potestas magna est, ut in Diœcesi Leodiensi & nostra Coloniensi, ubi præter quatuor majores Archidiaconos, ut Præpositos Metropolitanum, Bonnensem, Zantensem plures minores numerantur Archidiaconi, quorum tamen potestas & jurisdictio indies magis & magis per Vicarios Generales exactiorem Tridentini observantiam urgentes restringitur.

Quæres nono. Quas qualitates hodie Archidiaconus habere debet? R. Eas Trident. Sess. 24. de reform. cap. 12. exprimit his verbis: "Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia seu Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico."

Quæres decimo. Qualiter ampla Archidiaconorum potestas per Trident. est restricta quoad causas beneficiales? R. 1mo. "Præsentati, seu electi vel nominati à quibusvis personis Ecclesiasticis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis beneficia Ecclesiastica non instituantur, nec confirmantur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemoriali tempore præscriptæ, nisi prius fuerint à locorum Ordinariis examinati & idonei reperti," Trident. Sess. 7. de reform. cap. 13.

2do. "Non liceat Patrono cujusvis privilegii prætextu aliquem ad beneficia sui juris patronatûs, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præsentare," Trident. Sess. 14. de reform. cap. 13. Ad quod decretum respondit S. Congregatio: Ubi ex consuetudine institutio beneficiorum ad Archidiaconum spectat, veluti in inferiori Germania, nihil iis per hoc decretum derogatum.

3tio. Si vacet beneficium parochiale juris patronatûs Ecclesiastici, & institutio ab alio (ut Archidiacono) quam Episcopo facienda, Episcopus solus ex dignis inventis in concursu eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem spectat institutio. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 18.

Quæres undecimo. Qualiter est restricta in causis matrimonialibus & criminalibus? R. 1mo. "Causæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio etiam visitando, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquuntur," Trident. Sess. 24. de reform. cap. 20.

Ubi contra Clericos concubinos agitatur, cognitio delictorum non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertinet. Trident. Sess. 25. de reform. cap. 14.

Quæres duodecimo. An his non obstantibus Archidiaconus visitare possit? R. "Archidiaconi, Decani, & alii inferiori; in iis Ecclesiis, ubi hætenus visitati nem exercere consueverunt, visitati nem exercere consueverunt,"

“debeant assumpto Notario de consensu
“Episcopi per semetipfos visitare, eique
“visitationis factæ infra mensem ratio-
“nem reddere, & depositiones testium
“ac integra acta exhibere, non obstan-

“tibus quâcunque consuetudine etiam
“immemorabili, atque exemptionibus
“& privilegiis quibuscunque.” *Trid.
Sess. 24. de reform. cap. 3.*

TITULUS DUODECIMUS.

DE

ARCHIPRESBYTERIS.

Quæres primo. Quid est Archi-
Presbyter? *ꝛ.* Est Princeps Pres-
byterorum, sive Præpositus cæ-
teris Presbyteris ac illorum Dux, qui
etiam Decanus appellatur. *cap. ad hac. 7.
de offic. Archid.*

Quæres secundo. Quod Archipresby-
teri officium? *ꝛ.* Specialiter ad ejus mi-
nisterium pertinet super omnes Presby-
teros in Ordine Presbyterali positos cu-
ram agere animarum, assidue in Ecclesia
stare, & in Episcopi sui absentia ad vi-
cem ejus Missarum Solemnia celebrare,
fontes benedicere, infirmos oleo inun-
gere, pœnitentes infirmos reconciliare,
pœnitentiam cunctis aliis Presbyteris
injungere. *cap. 1. & 2. de offic. Archipresb.*

Quæres tertio. In quo differunt Ar-
chidiaconus & Archipresbyter? *ꝛ.* Am-
bo sunt à jure dati Episcopo Vicarii, Ar-
chidiaconus & Archipresbyter, ille ut
jurisdictionem contentiosam & in foro
externo exercent, assistatque Episcopo
in officio Judicis: hic ut jurisdictionem

exerceat fori interni, sive pœnitentialis,
& Episcopo in officio Sacerdotis assistat,
& ita se habent ut excedens & excessum
nam Archidiaconus dignitate & admi-
nistratione major est Archipresbytero,
cap. 1. de offic. Archipresbyt. Archipres-
byter autem ordine præcellit Archidia-
conum.

Quæres quarto. Quotuplex est Archi-
presbyter? *ꝛ.* Duplex: Urbanus & ru-
ralis, Urbanus est Decanus Ecclesiæ Ce-
thedralis seu Collegiatæ. Ruralis est, qui
extra civitatem curam gerit tam plebis
quàm Parochorum aliorumque Clerico-
rum per titulos seu Ecclesias minores ha-
bitantium, circa quos ea, quæ minora
sunt, sine figura judicii disponere potest,
& majora ad Episcopum vel ejus Vica-
rium Generalem referre debet. *cap. fin.
de offic. Archipresbyt.*

Quæres quinto. Quodnam est Archi-
presbyteri urbani officium? *ꝛ.* Illud de-
scribitur in *cap. officium. 3. de offic. Ar-
chipresb.* Debet enim, quando Episco-
pus

pus abest, vice ejus officium inchoare, benedictiones Presbyterales in Ecclesia dare, Missam, quando voluerit, cantare, vel cui de Sacerdotibus jussit, dum Episcopus Missam canit, ordinem, quo ad eam procedendum dirigere, infirmis de Confessariis & viatico providere, confessiones eorum, qui à foris veniunt, cum omnibus Sacerdotibus recipere, Baptismum infantium & Catechumenorum procurare, demùm omnia à Sacerdotibus per jussionem illius fiant.

Quæres sexto. An, & qualem jurisdictionem Ecclesiæ Collegiatae Decanus obtinet? R. De jure antiquo solam habebat jurisdictionem ordinariam fori interni vel curam animarum tum in reliquos Sacerdotes, tum in alios Dioecesanos, si erat Decanus Ecclesiæ Cathedralis, ut colligitur ex cap. 1. & 2. de officio Archipresbyt. Quare etiam hodie Decani Ecclesiarum Collegiatarum, vel per se vel per Vicarios, quos Familiæ vocant Pastores intra fines, vel ut dicunt, intra Collegiatae suæ immunitatem Sacramenta administrant. Præter ea Decanus, Caput Ecclesiæ Collegiatae, hodie jurisdictionem habet ordinariam etiam in foro externo in Clericos sui Collegii, quamvis Episcopo subordinatam, Gloss. in cap. cum ab Ecclesiarum. 3. de offic. judicis ordin. verb. Ecclesiastica sententiâ. ut etiam excommunicare aliasque censuras ferre possit. Causæ tamen criminales, & eæ, quæ privationem & depositionem merentur, Episcopo sunt reservatæ.

Quæres septimo. An Decanatus Ecclesiæ Collegiatae sit dignitas? R. Affirm.

ita, ut eidem à Sede Apostolica, aut ejus Legatis causæ delegari possint, cap. statutum. 11. de rescriptis. in 6. Ubi sancitur, ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis causæ autoritate Literarum Apostolicæ Sedis, vel legatorum ejusdem committantur.

Quæres octavo. An Decanatus major sit dignitas Præposituræ? R. An major sit dignitas Præpositura, quam Decanatus, de jure determinatum non est, Aliquando Decanus præponitur Præposito, ut in cap. 1. de atat. & qualit. Sc. Gloss. in cap. cum inter. 18. de elect. verb. ad Decanum. Aliquando Præpositus antefertur, ut in cap. quamvis. de verb. signif. ubi vocantur Præpositi, qui quandam Prioratus curam super alios gerunt. In Germania nostra Præpositura est prima & major post Episcopalem in Collegiatis dignitas, quamvis nullam jurisdictionem annexam habeat, estque collationi vel provisioni summi Pontificis per concordata Germaniæ §. de cæteris, reservata.

Quæres nono. An Episcopus Archipresbyterum ruralem ponere debeat? R. "Non contendat Episcopus non egere
"plebem Archipresbytero, quasi ipse
"eam gubernare valeat, quia etsi valdè
"idoneus sit, decet tamen, ut sua one-
"ra partiatur, & sicut ipse Matræ Ec-
"clesiæ præest, ita Archipresbyteri præ-
"sint plebibus, ut in nullo titubet Eccle-
"siastica sollicitudo; cuncta tamen re-
"ferant ad Episcopum, nec aliquid con-
"tra ejus decretum ordinare præsu-
"mant." cap. fin. de offic. Archipresb.


Quæ-

Quæres *decimo*. Qualem jurisdictionem habet Decanus ruralis? *ꝛ.* Decanus ruralis non habet dignitatem vel personatum, vi cuius Delegatus Sedis Apostolicæ esse possit, ut omnes fatentur; nulli enim Collegio Clericorum præest, nec aliquam in Ecclesia quadam principali habet præminentiam, nec communiter habet jurisdictionem propriè dictam fori externi, sed solum ex commissione & delegatione Episcopi Clericos sui Decanatus visitare & corrigere potest.

Quæres *undecimo*. Quæ Decanorum ruralium in nostris partibus potestas? *ꝛ.* In patriis Juliacensi & Montensi propter specialia concordata inter Electorem Coloniensem & Principem Juliacensem

Decani rurales habent jurisdictionem fori externi, & in negotiis Ecclesiasticis jus primæ instantiæ.

Quæres *duodecimo*. Quæ ætas & ordo in Archidiacono & Decano requiruntur? *ꝛ.* "Decanatum, Archidiaconatum nullus omnino suscipiat, nisi qui jam vigesimum quintum annum ætatis attigerit, & scientiâ & moribus commendandus existat. Cùm autem assumptus fuerit, si Archidiaconus in Diaconum, & Decanus non fuerit præfixo à Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, & ab isto removeantur officio, & aliis conferatur, qui & velint & possint illud convenienter implere." *cap. cum in cunctis. 7. §. inferiora. de election.*



TITULUS DECIMUS-TERTIUS.

DE

OFFICIO VICARII.

Vicarius est, qui gerit vices alterius, mortui, absentis, vel impediti, de quo in Decretalibus *lib. 1. tit. 26. & in eod. lib. 1. tit. 38.* Est autem Vicarius in 2plici differentia; alius enim est Vicarius natus seu legitimus, cui Vicariatus à lege vel canone ita competit, ut administrationem vel jurisdictionem ordinariam, propriam, & à principali divisa, quamvis eidem subordinatam exerceat. Exempla sunt *in cap. 1. de of-*

fic. Archid. & in cap. 1. de officio Archipresb. Alius est Vicarius datus, qui Vicariatum ab homine, sive eum sibi, sive alteri legitime substituente habet. Cujus quatuor sunt species: *1mo* nempè Vicarius Episcopi. *2do*. Vicarius Capituli Sede vacante. *3tio*. Vicarius in Divinis sive in beneficio. *4to*. Vicarius in Religiosorum conventibus. De quibus §. sequentes procedunt.

§. Primus.

D E

Vicario Episcopi dato.

Quæres primo. Quis est Vicarius datus Episcopi? *R.* Est persona, quæ vice Episcopi commissam sibi potestatem vel jurisdictionem sive voluntariam sive contentiosam exercet.

Quæres secundo. Quotuplex Episcopi Vicarius? *R.* 2plex: Generalis & foraneus. *Generalis* dicitur, qui per totam Diœcesin loco Episcopi, cum quo unum tribunal habet, exercet jurisdictionem. *Foraneus* appellatur, qui in aliqua solùm Diœcesis parte loco Episcopi jurisdictionem, sed à tribunali Episcopi diversam & delegatam exercet.

Quæres tertio. Quotuplex generalis Episcopi Vicarius? *R.* 3plex: Suffraganeus, Officialis, & Vicarius Generalis in Spiritualibus. *Suffraganeus* est, qui vice Episcopi per totam Diœcesin Pontificalia exercet. *Officialis*, qui per totam Diœcesin vice Episcopi jurisdictionem contentiosam exercet. Vicarius Generalis in Spiritualibus est, qui per eandem voluntariam habet jurisdictionem.

Quæres quarto. Quæ causa efficiens Vicarii, vel quis Vicarium constituit? *R.* Episcopus, qui etiam sine consensu Capituli potest, & debet, si Diœcesis ampla sit, unum vel plures Vicarios instituire. *Arg. cap. ut singula. 4. de offic. Archiepisc.*

Quæres quinto. Quæ causa materialis,
R. D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.

vel quod subjectum Vicarius Episcopi esse potest? *R.* Debet habere sequentia: *1mo.* Debet esse Clericus non conjugatus, nec bigamus. *Arg. cap. sanè. 2. cap. cum decorem. 8. de Cleric. conjug.* Vicarius in temporalibus, sive œconomus, qui curam temporalium vice Episcopi habet, potest esse Laicus, ut etiam Assessor vel Consiliarius circa negotia Vicario Generali commissâ. *2do.* Minor 25. annis esse non debet. *cap. cum in cunctis. 7. de election. 3tio.* Debet esse Clericus secularis, vel ad minus non Religiosus ex ordine mendicantium. *Clem. 1. §. ad prioratus. de Regular. 4to.* Debet esse tali scientiâ instructus, ut merito doctrinæ vel Doctor vel Licentiatas in Theologia aut Jure Canonico renuntiatus sit. *Arg. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 18.* Non requiritur, ut sit de gremio Capituli Cathedralis.

Quæres sexto. Quis effectus, sive in quibus jurisdictionem habet? *R.* Potest vi generalis mandati expedire omnia negotia, & cognoscere omnes causas, quæ ad jurisdictionem ordinariam Episcopi pertinent, iis exceptis, quæ speciale mandatum requirunt. *Arg. cap. qui generaliter. 5. de procurat. in 6. Gloss. in cap. licet. 2. de offic. Vicarii. in 6.*

Quæres septimo. Quæ causæ sunt exceptæ, & sine speciali mandato à Vicario
N
Ge-

Generali expediri nequeunt? *R.* Sequentes: *1mo.* Potestas cognoscendi causas criminales. *2do.* Conferendi beneficia, vel iisdem privandi. *3tio.* Visitandi Diœcesin. *4to.* Ecclesias uniendi, dividendi, supprimendi, transferendi. *5to.* Dandi dimissorias. *6to.* Dispensandi in interstitiis temporum. *7imo.* Absolvendi à casibus Episcopo reservatis. *8vo.* In irregularitate ex delicto occulto proveniente dispensandi.

Quæres octavo. An Vicarius Generalis sine speciali mandato causas matrimoniales cognoscere possit, cum Trid. eandem Episcopo reservet? *R.* Juxta probabiliorum potest; quia quando *Trident.* causas matrimoniales ab inferiori Episcopo cognosci prohibet, Vicarium Generalem, utpote cujus tribunal cum tribunali Episcopi idem est, non comprehendit.

Quæres nono. Quam jurisdictionem, an ordinariam, vel delegatam obtinet Vicarius Generalis? *R.* Juxta probabiliorum habet ordinariam; nam jurisdictionis Vicarii Generalis est eadem cum jurisdictione Episcopi, ita ut utriusque idem tribunal sit, nec ab uno ad alterum detur appellatio. *cap. non putamus. 2. de consuetud. in 6.* Ergo sicut Episcopi jurisdictionis ordinaria est, ita quoque Vicarii, ita, ut penes duos eadem sit jurisdictionis, sed modo diverso, penes Episcopum

principaliter & per se, penes Vicarium secundario & nomine alterius: ideoque non stabilis & perpetua, sed à nutu Episcopi dependens, & revocabilis esse dignoscitur.

Quæres decimo. An Vicarius Generalis sit in dignitate constitutus? *R.* *Affirm.* Ita, ut Literas Apostolicas exequi possit. *cap. statutum. 11. de rescriptis. in 6. Clement. 2. ibid.* Non tamen Vicarius foraneus, ut expressè statuitur in *Clement. cit.*

Quæres undecimo. Quomodo finitur officium Vicarii? *R.* Propriâ renuntiatione vel morte, item morte Episcopi, ejusdem depositione, translatione, resignatione, item revocatione, imò si Episcopus in censuras excommunicationis, suspensionis &c. incidat, potestas Vicarii Generalis suspenditur, eò quòd idem cum Episcopo habeat tribunal.

Quæres duodecimo. Qualem Vicarius Papæ Romæ habet jurisdictionem? *R.* Habet jurisdictionem in ipsa Urbe tantum; sic enim de illo loquitur Innocentius III. in *cap. sua nobis. 5. de officio Vicarii.* “Jurisdictionis Vicarii, quem Romanus

“Pontifex in Urbe reliquit, non
“extenditur extra illam, nisi
“ei specialiter sit concessum.”



§. Secundus.

D E

Vicario Capituli Sede vacante.

Quæres primo. Ad quem Sede vacante pertinet jurisdictio? *R.* Sede vacante per mortem naturalem, vel civilem, per depositionem, resignationem, vel translationem Episcopi in spirituali & temporali jurisdictione succedit Capitulum, *cap. his que. 11. de majorit. & obedient. cap. ad abolendam. 9. de heretic. cap. licet. 3. cap. literas. 4. de supplend. neglig. Pralat. cap. si Episcopus. 3. cap. fin. eod. in 6. cap. cum nullus. de temp. ordinat. in 6.*

Quæres secundo. Qualiter Capitulum jurisdictionem exercet? *R.* Et si jure communi vacante Episcopatu, Capitulum non arctetur ad constituendum Vicarium, sed jurisdictionem ad se devolutam per se ipsum exercere possit, modò tamen servari debet jus novissimum. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 16.* quo statutum, ut Capitulum infra octo dies à die scientiæ vacationis numerandos Officiale seu Vicarium constituere, vel aliàs ab Episcopo constitutum confirmare teneatur, aliàs deputatio talis Vicarii ad Metropolitanam, & si Metropolitanam Ecclesia vacet, ad seniores Suffraganeum, vel si Ecclesia vacans sit exempta, ad viciniorem Episcopum devolvitur.

Quæres tertio. An Capitulum duos Vicarios constituere possit, ut alternis mensibus Vicariatùs munere fungantur? *R.* Apud Fagnanum in *cap. his que, de ma-*

jurit. & obedient. n. 68. sacra Congregatio censuit, quòd si Capitulum sit in immemoriali consuetudine duos Vicarios constituendi, si immemorialis consuetudo legitime probetur, posse Capitulum in ea perseverare, dum tamen præditi sint illis qualitatibus, quas *Concilium Trident.* requirit.

Quæres quarto. An Capitulum Collegiatum defuncto ejus Prælati similiter Vicarium constituere debeat? *R.* Apud *Fagn. loc. cit. n. 77.* S. Congregatio censuit non debere; nam dispositio *Trident.* solum procedit in Capitulo Cathedralis & Metropolitanæ Ecclesiæ, ut patet ex illius contextu.

Quæres quinto. Quomodo hic Vicarius constituendus? *R.* Constituendus est per viam & formam electionis, veruntamen forma *cap. quia propter.* in eo actu non requiritur, sed sufficit, si major Capituli pars qualitercunque consentiat.

Quæres sexto. An post octiduum habitæ notitiæ, quòd Ecclesia vacet, Capitulum nihilominus Vicarium constituere possit? *R.* Affirm. Dummodo Metropolitanus Capituli negligentiam supplendo manum non apposuerit; Capitulo enim re adhuc integrâ moram purgandi competit facultas.

Quæres septimo. Quæ in Vicario qualitates requisitæ? *R.* Saltem in jure Canonico

nonico Doctor vel Licentiatuſ eſſe debet, ex quo aliqui inferunt Doctorem vel Licentiatum Theologiæ Vicarium eſſe non poſſe, ut à S. Congregatione dicunt eſſe declaratum. Ut Vicarius ſit de gremio, non requiritur, quamvis, ſi in Capitulo idoneus ſit, ille aliis videatur præferendus.

Quæres octavo. An Vicarius ad certum tempus conſtitui valeat? R. Capitulum quidem in prima commiſſione Vicariatus certum præſcribere tempus, vel modum præſcribere poteſt, at tamen ſemel datâ commiſſione Vicarium revocare nequit. Ut declarat S. Congregatio apud Eagn. loc. cit. n. 71. Quia etſi electio à Capitulo fiat, & jurisdictio, quæ exercetur à Vicario, ſit jurisdictio Capituli, illa tamen à Vicario exercetur in vim Trident. quod obviare voluit inconvenientiis, quæ orirentur, ſi jurisdictio per plura capita sæpè discordia exerceretur. Nihilominus tamen Vicarius in defectu Capituli à Metropolitanò poſitus ad nutum poteſt revocari.

Quæres nono. Quam Vicarius Capituli habet poteſtatem? R. Cùm Vicarius jurisdictionem, quam habet Capitulum, exercent, omnia facere poteſt, quæ jurisdictionis ſunt ordinariæ, niſi expreſſè reperiantur prohibita, & ita Vicarius Capituli majorem, quam Vicarius Episcopi, obtinet facultatem, eò quòd hic abſque ſpeciali mandato plura exercere nequeat.

Quæres decimo. Quænam Vicario Capituli ſpecialiter ſunt prohibita? R. Non poteſt Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius intra annum literas dare dimiſſorias Clericis ſuis, ut ab alio Episcopo ordinentur. *Trid. Seſſ. 23. de reform. cap. 10.* niſi beneficiis habitis vel habendis fuerint arctati; dicuntur autem arctati, qui habent vel habituri ſunt jus ad aliquod beneficium vacans, quod certum, quo carent, ordinem requirit.

Quæres undecimo. Quamdiu durat Vicarii Capitularis poteſtas? R. Poteſtas & jurisdictio Capituli, & conſequenter etiam Vicarii ceſſat, dum novus Episcopus poſſeſſionem adeptus eſt Episcopatus, quâ adeptâ Vicarius novo Episcopo rationem adminiſtrationis ſuæ reddere obligatur. *Trid. Seſſ. 24. de reform. cap. 16.*

Quæres duodecimo. An Capitulum teneatur quoque conſtituere Vicarium ſeu Oeconomum temporalem? R. De hoc ita *Trid. l. c.* Capitulum Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Eccleſiaſticarum & proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit, ſint reddituri. Hos quoque in defectu Capituli, juxta ordinationem Tridentini, illi, ad quos devoluta poteſtas, conſtituunt, & ab ipsis à novo Episcopo rationes adminiſtrationis ac muneris geſti exiguntur.



§. Tertius.

D E

Vicario in Divinis.

Quæres primo. Quis in Divinis dicitur Vicarius? R. Qui in Divinis ministeriis vel curis animarum, sive iis, quæ ad forum internum conscientiæ pertinent, alterius vices gerit. *Clem. unic. de offic. Vicar.*

Quæres secundo. Quotuplex Vicarius in Divinis? R. Duplex: Temporalis & perpetuus. Hic est, qui autoritate Episcopi in Ecclesia, assignatâ ei ex redditibus ipsius Ecclesiæ portione congruâ canonicè constituitur, ut stabiliter & absque irrevocabilitate nomine principalis Rectoris peragat Divina. De quo *cap. ad hac. 3. de offic. Vicar. & cap. extirpanda. 30. §. qui vero. de præbend.* Temporalis est, qui legitimâ autoritate in locum alterius sine institutione canonica ad tempus constituitur. De quo *in cap. per venit. 28. de appellat.*

Quæres tertio. In quibus Ecclesiis perpetuus constituitur Vicarius? R. Imprimis in Ecclesiis parochialibus, quæ alicui alteri Collegio, Monasterio, Seminario vel Ecclesiasticæ dignitati in perpetuum sunt annexæ. *cit. cap. extirpanda. Trid. Sess. 7. cap. 7. de reform. Gloss. in Clement. unic. de officio Vicar. in 6. verb. Parochialium.* Deinde quando ob populi multitudinem præter Ecclesiam parochialem Capella vel Ecclesia filialis Ecclesiæ principali subjecta erigitur, in qua Vicarius perpetuus constituitur.

Cap. ad audientiam. 3. de Eccles. edificand.

Quæres quarto. Quis constituit Vicarium perpetuum? R. Nominatio seu præsentatio Vicarii perpetui ad Rectorem principalem in Ecclesia vel Prælatura, cui parochia est unita, regulariter pertinet. *cit. cap. ad audientiam. cap. ad hac. 3. de offic. Vicar.* Et colligitur ex *cit. cap. extirpanda.* Ipsa tamen institutio, uti & portio congruâ assignatio pertinet ad Episcopum. *cit. cap. ad hac. Trid. Sess. 7. de reform. cap. 7.*

Quæres 5to. Quis potest esse Vicarius perpetuus? R. In Vicario perpetuo eadem qualitates, quæ in Parocho requiruntur. Vicarii enim perpetui, in quos tota animarum cura translata est, titulum Ecclesiæ parochialis habere dicuntur, & quamvis propriè non appellentur Ecclesiarum Rectores, sunt tamen propriè Rectores animarum, eisque gregem sibi creditum pascere ex officio incumbit; cum enim titulo Canonico in animarum cura sint subrogati, ad omnia illa, ad quæ tenentur Rectores, ipsi quoque sunt obligati.

Quæres sexto. Ad quæ in specie obligantur Vicarii perpetui? R. 1mo. Eandem debent habere ætatem, quam ipse Parochus, dum beneficium curatum suscipit. 2do. Infra annum Sacerdotium suscipere tenentur. 3tio. Ad residentiam

N 3

tiam

tiam sicut ipsi Parochi intitulati obligantur. 4to. Residere debent in ædibus Parochialis unitæ præbendis Capitularibus, quòd si Parochialis ædibus careat, in alia domo propinquiore infra Parochiæ limites à se conducta residere tenentur. 5to, Unam tantum Vicariam habere possunt. *cap. provideas. 2. de offic. Vicarii. 6to.* Si Vicarius perpetuus curam principalem alicujus Parochiæ sit adeptus, vacat, & cessat Vicaria. *cap. 1. de offic. Vicar. 7to.* demum. Dispositio loquens de Parochiali etiam locum habet in Vicaria perpetua, eò quòd veniat appellatione beneficii curati; nam quæ de Ecclesiis curam animarum habentibus per receptionem aliarum similium amittendis, ac de ipsarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium, ac de eorum ætate à jure statuta noscuntur, in perpetuis Ecclesiarum Parochialium Vicariis & assumptis ad ea debent observari. *cit. Clement. unic. de offic. Vicar.*

Quæres septimo. Quæ Vicarii perpetui potestas? R. Vicarius perpetuus in Ecclesia Parochiali canonicè institutus eandem, quam verus Parochus, habet potestatem, ita ut tota cura actualis sive quoad exercitium Vicario sit commissa, Rector autem principalis solam curam habitualem retineat. *Gloss. in cap. super eo. 6. verb. annexa. de præbend. in 6.*

Quæres octavo. Quæ potestas Vicarii perpetui in Parochia Collegio vel dignitati annexa? R. Quando Parochia est unita Collegio vel dignitati independentem ab onere vel cura animarum, vel solum quoad temporalia, & tunc exercitium juris Parochialis in pertinentibus

ad curam animarum penes solum Vicarium existit, in iis verò, quæ ad externam defensionem, adeoq; ad forum contentiosum, ad fabricæ reparationem &c. pertinent, penes principalem Rectorem, quòd si verò Ecclesia Parochialis est unita alteri Ecclesiæ vel Prælaturæ dependenter & pleno jure, sive quoad temporalia & spiritualia, tum tota cura animarum tam actualis quàm habitualis penes Rectorem principalem residet, quamvis eam actu quandoque exerceat per Vicarios temporales & ad nutum amovibiles.

Quæres nono. An in Parochiis pleno jure unitis Capitula aut Monasteria necessariò constituere debeant Vicarium perpetuum? R. Neg. cum Fagn. *in cap. ex parte. de offic. Vicar. n. 9.* Cum enim in hoc casu cura animarum plenè apud Capitulum aut Monasteria relideat, Vicarios temporales constituere possunt. Quod confirmatur ex eo, quod tunc jura Parochialia non ad Episcopum, sed ad Capitulum pertineant.

Quæres decimo. Ex quibus causis ponitur Vicarius temporalis? R. Ex pluribus, & 1mo quidem, quia Parochus pluribus Ecclesiis, quas legitimè obtinet, simul deservire nequit. *can. Et temporis. 48. caus. 16. q. 1. 2do.* Quia Ecclesia vacat, antequam de novo Rectore provideatur, Vicarius ad interim constituitur. *cap. cum vos. 4. de offic. Jud. ordin. 3tio.* Quia Parochus vel legitimè absens, vel præsens infirmitate aliave causâ impeditus curam ad tempus exercere non potest.

Quæres undecimo. Quis Vicarium temporalem

poralem constituere potest? *Re. 1mo.* Parochus ob necessarium impedimentum temporalem Vicarium, dummodò is aliàs ab Episcopo approbatus sit, ad breve tempus suo loco constituere potest. *2do.* Parochus sine consensu Episcopi ad longum aliquot mensium tempus Vicarium sibi substituere non potest, ut colligitur ex *Trid. Sess. 27. de reform. cap. 1.* ubi decernitur Parochos à suis Ecclesiis abesse non posse, nisi per duos vel tres menses de licentia Episcopi, & relicto Vicario ab Episcopo deputando. *3tio.* Ad Ordinarium quoque pertinet, parochi defuncto, curam animarum idoneo committere Vicario, donec de proprio Rectore provideatur. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 18. 4to.* Defuncto

Vicario perpetuo Vicarium temporalem substituere pertinet ad Prælatum Ecclesiæ vel Monasterii, cui Parochiale est unitum beneficium. *Barbosa cum aliis.*

Quæres *duodecimo.* An Vicarius Vicarium sibi constituere possit? *Re.* Vicarius perpetuus, si à Parochia sua ad breve tempus absit, Vicarium sibi substituere non prohibetur, eò quòd Parochi æquiparetur. Vicarius temporalis, etsi tanquam delegatus ad universitatem causarum, quando functionibus suis peragendis non sufficit, cooperatorem assumere, eique partem jurisdictionis subdelegare valeat, de jure tamen Vicarium etiam ad breve tempus substituendi non habet potestatem.

S. Quartus.

D E

Vicariis Religionum.

Quæres *primo.* Qui dicuntur Vicarii Religionum? *Re.* In Religionibus illi dicuntur Vicarii, qui alicujus Prælati Regularis vices agunt; cum enim ipsi Prælati per se nec ubique esse, nec disciplinæ actionibusque Regularibus intendere valeant, licet Vicarios constituunt, in quibus & per quos velut oculus speculantur, & velut manus subditorum salutem & Ecclesiæ commissæ bonum ac incrementum sedulò operantur.

Quæres *2do.* Quotuplex Vicarius Religionum? *Re.* Juxta differentiam Prælatorum Regularium alius est Vicarius Generalis, alius Provincialis, alius Vicarius Prælati localis.

Quæres *tertio.* Quotuplex est Vicarius Generalis? *Re.* 2plex: Alius enim est Vicarius Generalis per constitutiones Ordinis sui positus, vel ad hoc electus & confirmatus, vel à summo Pontifice constitutus, ut v. g. Sede Generalis vacante, vel illo suspenso aut impedito vices agat Generalis, deinde alius est Vicarius Generalis, qui non jure vel statuto Ordinis, nec per electionem, sed solùm per nominationem Generalis fiunt, quod à Generalibus fieri posse probatur *arg. cap. quoniam, 14. cap. inter cetera, 15. de offic. Jud. ordin. Arg. cap. cum Episcopus, 7. eod. in 6.*

Quæ-

Quæres quarto. Quam habet potestatem Vicarius Generalis à jure constitutus, aut electus? *R.* Vicarius Generalis per statuta Ordinis datus, aut electus & confirmatus, vel à summo Pontifice constitutus jurisdictionem habet ordinariam delegabilem, quæ nec morte Generalis expirat, nec eo suspenso aut impedito exercitium amittit. Ratio ex generali sumitur regula: Jurisdictio ordinaria est, quæ vel ex lege vel Canone, aut officio legibus erecto, vel ex supremi competit Principis commissione.

Quæres quinto. Quam potestatem habet Vicarius Generalis à solo Generali nominatus? *R.* Hic Vicarius Generalis, sive pro toto Ordine, sive pro aliqua tantum Provincia sit institutus, solum delegatam habet jurisdictionem à Generalibus amovibilem, nec eam subdelegare possunt, nisi pro casu quodam particulari, si ad universitatem causarum sint delegati. Illorum potestas morte Generalis expirat. Si tamen statuta Ordinis, vel decreta Capitulorum Generalium statuerent, ut tales Vicarii à Generali constituti, in casu quo Generalis mortuus, officium suum exercere, & vices Generalis, usque dum novus confirmaretur, supplere pergerent, tunc defuncto Generali jurisdictionem habent ordinariam, scilicet ex jure Ordinis per decreta Capitulorum generalium constituto.

Quæres sexto. Qualem potestatem habet Vicarius Provincialis? *R.* De illo eodem modo loquendum, si jure Religionis per constitutiones Ordinis, vel per electionem est Vicarius Provincialis positus, ordinariam habet jurisdictionem, ille autem, qui à Generali vel Provinciali

impedito, ut ejusdem vices gerat, constitutus est, delegatam solum exercet jurisdictionem.

Quæres septimo. Quæ potestas Vicarii Prælati localis eo præsentis? *R.* Vicarius Prælati localis, ut Prior claustralis subiectus Abbati, Supprior subditus Priori Conventuali, Vicarius in Ordine S. Francisci Guardianus, Minister in Collegio Societatis, dum Prælati in Monasterio adest, nihil possunt quoad ea, quæ ad jurisdictionis pertinent potestatem, nisi quantum illis ab eodem Prælati committitur; proprium enim eorum munus est curare, ut Regularis observantia in domo & Conventu exactè observetur.

Quæres octavo. Quid possunt Prælati absente? *R.* Abbate vel Superiore locali absente, nisi ille alium pro Vicario substituerit, Vicarii temporales tempore absentis possunt ea ex delegatione in casibus occurrentibus, quæ Prælati possent præfens jure ordinario.

Quæres nono. Quid possunt Prælati vacante? *R.* Quando Monasterium Prælatum Conventualem non habet, vel quia vitâ functus est, vel suum munus absolvit, vel ab eo amovus fuit, tunc penes claustralem Priorem totam jurisdictionis potestatem esse, sustinet *Tambur. de jure Abbatum. tom. 2. disp. 1. q. 4. n. 4.* Quod aliter verificari non potest, quam per consuetudinem aut particulare jus Religionis, quod Vicario Prælati in tali casu, quamdiu Sedes vacat, jurisdictionem defert, & ita ex lege ordinariam obtinet jurisdictionem. Ita in Ordinibus Mendicantium absoluto triennio Superiorum localium, antequam novi instituantur.

tuantur, jurisdictio Prælati localis est penes Vicarium, qui tunc Vicarius in capite vocatur, & ordinariam Prælati localis habet jurisdictionem.

Quæres decimo. An Priores possint esse perpetui? R. Priores, qui instituuntur perpetuo per Canonicam electionem Capituli & confirmationem Superioris, perpetui sunt. Et de his procedit *cap. Monachi. 2. de statu Monach. junctâ gloss. verb. non mutantur. ibi*: "Priores, cum in Ecclesiis Conventualibus per electionem Capitulorum suorum Canonicè fuerint instituti, nisi pro manifesta & rationabili causa, non mutantur: ut videlicet si fuerint dilapidatores, si incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur; aut si etiam pro necessitate majoris officii de consilio fratrum fuerint transferendi." Hi ergo Priores populum habere dicuntur, unde auctoritate perpetua gaudent prælationis; sunt enim Ecclesiarum suarum Sponsi, quæ eorum morte viduantur. Alii autem Priores obedientiarum seu claustrales, habentes quidem Religiosos, sed non subditum populum, ad nutum Superioris, à quo constituuntur, amoveri possunt ac debent, juxta *cap. cum ad monasterium, 6. de statu Monach. ibi*: Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.

Quæres undecimo. Quas qualitates Priores claustrales habere debent? R.

"Prior præ cæteris post Abbatem potens sit opere & sermone, ut exemplo vitæ verboque doctrinæ fratres suos & instruere possit in bono, & à malo etiam revocare, zelum Religionis habens secundum conscientiam, & delinquentes corripit & castiget, obediētes foveat & confortet." *Ita cit. cap. cum ad monasterium.*

Quæres duodecimo. An & qualiter Priori claustrali obediendum? R. Licet Caramuel in *Regul. S. Benedicti, n. 739.* velit Conventualem non teneri obedire Priori claustrali, nisi in foro externo, quia in omnibus, inquit, quæ Prior injungit, non nisi Patremfamilias imitatur. Unde Priores possunt præcipere sub præcepto ad 4tum Decalogi pertinente omnia illa, quæ ordinantur ad utilitatem, bonum, & pacem communitatis, ita, ut qui talia præcepta violaverit in materia gravi, non peccet mortaliter contra votum, sed tantum contra quartum Decalogi. Hæc ille. Probabilius tamen est, quod Priori claustrali vi voti obedientia sit præstanda; potestas enim ejus est dominativa, utpote participata à potestate, quæ est in Principali officium Priori committente, qui sicut per semetipsum eam præcipiendi habet potestatem, quæ subditi vi voti obedire tenentur, ita eandem per delegationem in Priorem derivare potest, quod ex eo facere censendus est; quia Abbas cum Priore in rebus Regularibus quasi unam gerit personam.

TITULUS DECIMUS-QUARTUS.

D E

OFFICIO COADJUTORIS.

Quæres primo, Quid est Coadjutor? *Re.* Coadjutor est, qui datur ex causa Juris vel Judicis auctoritate ad officium Ministri Ecclesiæ coadjuvandum. Unde coadjutoria est facultas ex causa juris vel Judicis auctoritate alicui concessa Prælatum vel alium Beneficiatum in regimine beneficii adjuvandi.

Quæres secundo. Quotplex Coadjutoria? *Re.* 2plex: Perpetua cum spe futuræ successione, & temporalis. Perpetua est, per quam Coadjutori jus tribuitur mortuo Coadjuto in ejus officium vel beneficium succedendi. Temporalis est, per quam Rectori Ecclesiæ ob infirmitatem vel aliam causam impedito à muneris sui exercitio, quamdiu is vivit, datur Coadjutor.

Quæres tertio. Quæ inter Coadjutoriam perpetuam & temporalem differentia? *Re.* 1mo. Coadjutor temporalis nec jus nec titulum habet in beneficio, sed tantum exercitium vel administratio illius juris vel beneficii, quod in Coadjuto remanet, est penes Coadjutorem. In Coadjutoria autem perpetua Coadjutori in beneficio acquiritur jus ad rem, quod eveniente vacatione per obitum Coadjuti jus plenum efficitur, ita, ut pro ejusmo-

di Coadjutore nova collatio non requiratur, sed absque alio ministro gratia Coadjutoria ex primo jure sibi concessio fortiat effectum. 2do. Coadjutoria temporalis solum respicit favorem Coadjuti & Ecclesiæ Coadjuto concedita, utpote cujus vices & curam Coadjutor supplere tenetur, absque eo, quod inde præter congruam sustentationem aliquid commodi reportet. Coadjutoria perpetua respicit non solum favorem Coadjuti & Ecclesiæ, sed etiam Coadjutoris, cui in beneficio post obitum Coadjuti jus confertur succedendi.

Quæres quarto. Qualis debet esse Coadjutor? *Re.* Omnes qualitates de jure ad illud officium, pro quo datur, requisitas habere debet Coadjutor, ut decrevit *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 7.* Debet esse Vir providus & honestus, per quem tam Coadjuto, quam populo utiliter consulatur. *cap. ex parte. 5. de Cleric. agrotant. cap. venerabili. 37. de offic. delegat. can. quamvis triste. 14. caus. 7. q. 1.*

Quæres quinto. Ob quam causam datur Coadjutor? *Re.* Ob sequentes: 1mo. Ob infirmitatem perpetuam & tantam, ut ob eam Beneficiatus munera beneficii obire nequeat. *cit. cap. ex parte. 5. de Cleric. agrot. cap. unic. eod. in 6. 2do.* Ob le-

lepram, propter quam sine horrore populi Rector beneficium administrare nequit. *cap. 3. & 4. de Cleric. agrot. 3tio.* Ob amissum linguæ usum, *cap. fin. eod. tit. 4to.* Ob amentiam, *Arg. cap. unic. eod. in 6. 5to.* Ob senium, *can. petiisti. 17. caus. 7. q. 1. 6to.* Ob imperitiam, *Trid. Sess. 21. de reform. cap. 6. cap. quoniam. 14. de offic. ordin.* Ratio generalis est Ecclesiæ benignitas, quæ non volens afflictionem addere afflicto, Beneficiato ex accidente impedito beneficium relinquit, & ne Ecclesia detrimentum patiatur, addit Coadjutorem, qui vices suppleat Beneficiati.

Quæres *sexto*, A quo datur Coadjutor? *re. 1mo.* Coadjutor perpetuus non nisi à summo Pontifice dari potest, nec est concedendus nisi Ecclesiis Cathedralibus vel Monasteriis ob urgentem necessitatem, vel evidentem utilitatem, & causâ diligenter prius cognitâ, ut salubriter statuit *Trident. Sess. 25. de reform. cap. 7.*

2do. Episcopo dare Coadjutorem etiam temporalem est Papæ reservatum, *per cap. unic. de Cleric. agrot. in 6.* nisi in locis à Curia Romana disitis, ut extra Italiam, in quibus Episcopus senio vel adversâ valetudine gravatus de consilio & assensu sui Capituli, vel majoris partis ejusdem, unum vel duos autoritate Apostolicâ Coadjutores idoneos assumere potest. Si Episcopus amens, tunc ejus Capitulum, vel duæ ipsius partes eadem autoritate unum vel duos Coadjutores ad officium Episcopale exequendum assumere possunt. Episcopus tamen compositionis à Capitulo, ut sibi Co-

adjutorem assumat, nunquam cogi valet, sed in casu, quo Episcopus valetudine aut alio incurabili impedimento ad sui officii executionem inutilis factus fuerit, & Coadjutorem assumere noluerit, licet à proprio Capitulo requisitus, tunc nihil per Capitulum innovetur, sed Episcopi & Ecclesiæ suæ conditionem ac facti circumstantias universas, quàm citò poterit, fideliter & explicitè ipsum Capitulum referat ad notitiam Sedis Apostolicæ, cujus ordinationi se in omnibus humiliter subicere debet. *cit. cap. unic.*

3tio. Parochis aliisque Episcopo inferioribus, si ad officium suum exequendum incapaces sint, potest Ordinarius temporalem dare Coadjutorem.

Quæres *septimo*, An Coadjutoria perpetua sint licita? *re.* Coadjutoria perpetua maximè in beneficiis simplicibus & Canonicatibus, quia hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sunt odiosæ, & Patrum Decretis contrariæ, nemini ex statuto *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 7.* in quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis permittendæ, cum omnis collatio ac promissio beneficii primùm vacaturi penitus à jure reprobetur. *cap. 1. & 2. de concess. præbend.* “Quia per promissiones hujusmodi, quæ
“per importunitatem nimiam, per quam
“non concedenda multoties conceduntur,
“& per ambitionem improbatam
“ut plurimum extorquentur, aperitur
“via, sub tali palliatione verborum, ad
“promittenda damnabiliter contra La-
“teranense Concilium beneficia vacan-
“tura, mortis alienæ votum ingeritur,
“&

“ & Ecclesiis , ac Prælati & personis
 “ Ecclesiasticis gravamina plurima infe-
 “ runtur , &c. “ *Cap. detestanda, 2. de*
concess. præbend. in 6.

Quæres octavo. An ob deputationem
 Coadjutoris ab onere residendi liber sit
 Coadjutus ? R. Neg. Nam Coadjutum
 per deputationem Coadjutoris non ab-
 solvi ab onere residendi declaravit S.
 Congregatio: Parochus, cui datus est
 Coadjutor, non poterit abesse à residen-
 tia, multò minùs ipse Coadjutor.

Quæres nono. Quæ potestas Coadju-
 toris ? R. Coadjutor absolutè & simpli-
 citer datus potest omnia, quæ posset ipse
 Rector principalis. Ratio est; quia aliàs
 non benè per deputationem Coadjuto-
 ris Rectori principali, Ecclesiæ & po-
 pulo commissio provisum esset.

Quæres decimo. In quibus Coadjuto-
 ris potestas est limitata ? R. 1^{mo}. Potestas
 Coadjutoris limitatur, si in constitutio-
 ne Coadjutoris certum genus negotio-
 rum expressum, in quo sit Coadjutor,
 ut in temporalibus vel spiritualibus.

2^{do}. Si quid speciale in jure invenitur
 exceptum. Sic *cap. unic. de Cler. agrot. in*
6. facere alienationes, donationes, con-
 ferre beneficia Coadjutori specialiter
 prohibitum est, ideo si Coadjutus sibi
 præsens beneficia conferre possit, illa

non confert Coadjutor, secùs si Coad-
 jutus incapax conferendi.

3^{io}. Si Coadjutus invitus quoad ali-
 quid eorum, quæ ipsemet per se ipsum
 adhuc facere vellet & posset, ne per ne-
 cessitatis occasionem præsumptionis
 pullulet ambitio, ut dicitur *in can. Pon-*
tifices, 4. caus. 7. q. 1.

Quæres undecimo. Quibus expensis
 Coadjutor alimentandus ? R. Coadju-
 tor de facultatibus Ecclesiæ, vel benefi-
 cii, cui deservit, ad sustentationem suam
 congruam debet recipere portionem.
Cap. de Rectoribus, 3. de Cleric. agrot. cap.
unic. eod. in 6. Trid. Sess. 21. de reform.
cap. 6. Si autem facultates Ecclesiæ pro
 utroque, Coadjuto & Coadjutore non
 sufficiant sustentando, priùs Coadjuto,
 deinde Coadjutori providendum est,
 ulteriùs providebit Episcopus, etiam
 cogendo populum, ut Coadjutori ne-
 cessaria præstet. *Arg. can. omnis Christianus.*
69. de consecrat. dist. 1. & cap. de huius.
4. de Ecclesiis edificand.

Quæres duodecimo. Quando Coadju-
 toris cessat officium ? R. Officium Coad-
 jutoris temporalis cessat per mortem sive
 naturalem, sive civilem Coadjuti. Item
 quando impedimentum Coadjuti, quod
 perpetuum esse putabatur, cessare
 contingit.



TITULUS DECIMUS-QUINTUS.

D E

SACERDOTIBUS ET PRESBYTERIS IN INFERIORI GRADU CONSTITUTIS.

Presbyter propriè & strictè dicitur, qui post Episcopum curam animarum vel saltem Sacerdotalem habet. De hoc agemus §phis sequentibus.

Et quidem §. 1. De simplici Presbytero. §. 2. De Presbytero Parochiali. 3tio. De functionibus Parochialibus.

§. Primus.

D E

Simplici Presbytero.

Quæres primo. Quid est Sacerdos? R. Est Vir autoritate Divinâ, sive ex Christi institutione ad conficiendum Christi Corpus & Sanguinem & absolvendos à peccatis penitentes consecratus. Dicitur 1mo: *Vir*; quia femina sacrorum Ordinum incapax est. De quo infra. 2do. *Ex institutione Christi*, juxta *Can. 2. Trid. Sess. 22. de Sacrificio Missæ. Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi & alii Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, anathema sit.* 3tio. *Ad conficiendum corpus &c.* juxta *Can. 1. Trid. Sess. 23. de Sacram. ordin.* “ Si quis dixerit non esse in Novo Testamento Sacerdotium visibile &

“externum, vel non esse potestatem
“aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi, anathema sit.”

Quæres secundo. Quæ nomina in jure habet Sacerdos? R. Dicitur 1mo: *Sacerdos*, “quod nomen compositum ex Græco & Latino, quasi Sacrum dans; sicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à sacrificando dictus est; consecrat enim & sacrificat.” *Can. Cleros. 1. §. Sacerdos. dist. 21.* 2do vocatur *Presbyter*, “quod nomen Græcum Latinè senior interpretatur: non modò pro ætate vel decrepita senectute, sed etiam propter honorem & dignitatem, quam acceperunt, Presbyteri nominantur.”

cit. can. Cleros. "quorum probata vita
"senectus est." *Trid. Sess. 25. de reform.*
cap. 12.

Quæres tertio. An Sacerdotes distin-
guantur ab Episcopis? R. Quamvis no-
mina Sacerdotibus propria sæpiùs in jure
etiam Episcopis attribuantur, ut *can.*
legimus. 24. dist. 93. can. olim. 5. dist. 95.
& pluribus aliis, quin & quandoque in
materia favorabili & non odiosa Presby-
teri & Sacerdotis nomine veniant Dia-
conus & Subdiaconus. *Cap. si quispiam.*
2. de cohabit. Cleric. & mulier. junct. gloss.
verb. Sacerdotum: Attamen Sacerdotes
simplices ex Jure Divino ab Episcopis
sunt distinguendi; quia majorum & mi-
norum Sacerdotum discretio in Novo
Testamento ab ipso sumpsit exordium,
qui duodecim Apostolos tanquam ma-
jores Sacerdotes, & septuaginta duos
Discipulos tanquam minores Sacerdotes
instituit. *Gratian. dist. 21. in principio.*
Ideoque à *Trid. Sess. 23. can. 7. de Sacra-*
ment. Ordinis, damnantur, qui docent
Episcopos non esse Presbyteris superio-
res, vel non habere potestatem confir-
mandi, vel ordinandi, vel eam, quam
habent, illis esse cum Presbyteris com-
munè. Omnes igitur Presbyteri non sunt
Episcopi, licet omnes Episcopi sint Pres-
byteri, cum Pontificale Officium absque
Altaris ministerio non valeat adimpleri.
Cap. ex literis, 10. de excessib. Pralat. Ad
can. legimus. & can. olim. supra citat. in
quibus à *S. Hieronymo* dici videtur,
quod post mortem Christi idem fuerit
Presbyter & Episcopus, sed postmodum
ad tollenda schismata introducta fuerit
discretio, respondet *S. Thom. 2. 2. q.*

184. a. 6. ad 1. Ab initio Ecclesiæ non
fuisse distinctionem nominum, semper
tamen distinctionem rerum, cui ad tol-
lenda schismata etiam nominum accessit
distinctio.

Quæres quarto. Quanta dignitas Sa-
cerdotum? R. Magna est Sacerdotum
dignitas, quæ facile ex sequentibus col-
ligitur encomiis: *1mo.* "Sacerdotes in
"Divinis eloquiis aliquando Dii, aliquan-
"do Angeli appellantur, nam per Moy-
"sen de eo, qui ad juramentum addu-
"cendus, dicitur: *Applica eum ad Deos,*
"hoc est, Sacerdotes. Item: *Dii non*
"destrahes, hoc est, Sacerdotibus. *Exod.*
"22. *Malach. 2,* dicitur: *Labia Sacer-*
"dotis custodiunt scientiam, & legem re-
"quirent ex ore ejus, quia Angelus Domi-
"ni excituum est." *Can Sacerdotibus. 41.*
caus. 11. q. 1.

2do. Sacerdotes præminent Regi-
bus. Aurum non tam est pretiosius plum-
bo, quam Regiâ potestate est altior di-
gnitas Sacerdotalis, *Can. duo sunt. 10.*
dist. 96. Quis dubitet Sacerdotes Christi
Regum & Principum omniumque Fide-
lium Patres & Magistros censerî, *can. qui*
dubitet. 9. dist. ead.

3tio. Sacerdotes B. Petrus sal terræ
& lumen mundi esse docet. *Can. Sacer-*
dotus. 7. dist. 93.

Quæres quinto. Quæ reverentia exhibenda Sacerdoti? R. "Sacerdotes, qui
"proprio ore Corpus Domini confi-
"ciunt, ab omnibus sunt audiendi atque
"timendi, non dilacerandi aut detra-
"hendi; quia à quibus se Domini popu-
"lus benedici, salvari, & instrui cupit
"nullatenus eos debet arguere." *Can.*

Sa

Sacerdotes. 7. caus. 6. q. 1. " Absit, ut
 " quidquam sinistram de his arbitremur,
 " qui Apostolico gradui succedentes
 " Christi Corpus sacro ore conficiunt,
 " per quos nos etiam Christiani sumus,
 " qui claves Regni cœlorum habentes
 " ante iudicii diem iudicant. " *Can. absit.*
14. caus. 11. q. 3. " Dominum cruci-
 " figunt, qui eum in Sacerdotibus suis
 " persequuntur. " *Can. nulli. 5. caus. 3.*
q. 1. " Ipsi quoque Episcopi Presbyte-
 " ros honorare præcipiuntur, Episcopus
 " in quolibet loco sedens stare Presby-
 " terum non patiat. " *Concil. Cartha-*
ginense IV. relatum in can. Episcopus. 9.
dist. 96. " Episcopus in Ecclesia & in con-
 " sessu Presbyterorum sublimior sedeat,
 " intra domum verò Collegam se Pres-
 " byterorum esse cognoscat. " *Can. Epi-*
scopus. 10. ibid. " Miserabilis ergo infa-
 " niæ esse cognoscitur, si filius patrem,
 " discipulus magistrum sibi conetur sub-
 " jugare, & iniquis obligationibus illum
 " suæ potestati subijcere, à quo credit
 " non solum in terra, sed etiam in cœlis
 " se posse ligari & solvi " *Cir. can. quis*
dubitet. 9. dist. 96.

His demùm subijcere placuit *l. 10. eod.*
de Episcop. & Cleric. de vendicanda &
 conservanda Presbyterorum veneratio-
 ne sic statuentem: " Si quis in hoc genus
 " sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias
 " Catholicas irruens Sacerdotibus & Mi-
 " nistris vel ipsi cultui locoque aliquid
 " importet injuriæ, quod geritur, à Pro-
 " vinciarum Rectoribus animadvertatur,
 " atque ita Provinciarum Moderator Sacer-
 " dotum & Catholicæ Ecclesiæ Ministro-
 " rum, loci quoque ipsius & Divini cul-

" tûs injuriam capitali in convictos seu
 " confessos reos sententiâ noverit vindi-
 " candum, nec expectet, ut Episcopus
 " injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui
 " sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit.
 " Sitque cunctis laudabile factas atroces
 " Sacerdotibus aut Ministris injurias, ve-
 " luti crimen publicum, persequi, ac
 " de talibus reis ultionem mereri. "

Quæres sexto. Quodnam officium Sa-
 cerdotum? *R. 1mo.* Sacerdotis princi-
 pale officium est Corpus & Sanguinem
 Christi conficere, & hoc Sacrificium
 DEO pro vivis & defunctis offerre,
 ipsumque Corpus Christi confectum,
 nempe sacrosanctam Eucharistiam, de-
 center administrare. Ut hoc ministerium
 sæpius exequantur, *Trid. Sess. 23. de re-*
form. cap. 14. monet Episcopos, quate-
 nus curam gerant, ut Sacerdotes simpli-
 ces saltem diebus Dominicis & Festis so-
 lemnibus, si autem curam habuerint
 animarum, & tam frequenter, ut suo mu-
 neri satisfaciant, Missas celebrent.

2do. Officium Sacerdotis est Sacra-
 mentum pœnitentiæ pœnitentibus ad-
 ministrare, ac peccata dimittere; " Do-
 " minus enim noster JESUS Christus è
 " terris ascensus ad cœlos, Sacerdotes
 " sui ipsius Vicarios reliquit tanquam
 " Præsidēs & Judices, ad quos om-
 " nia mortalia crimina deferantur, in
 " quæ Christi Fideles ceciderint: quo
 " pro potestate clavium remissionis
 " aut retentionis peccatorum sententiam
 " pronuntient. " *Trid. Sess. 14. cap. 5. de*
pœnit. Ubi *can. 10.* anathematizantur,
 qui dicunt Sacerdotes etiam, qui in
 mortali sunt, non habere potestatem
 li-

ligandi & solvendi, vel non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis,

310. Sacerdotis munus est Sacramentum Baptismi solemniter administrare. *Can. Diaconos. 13. dist. 93. can. constat. de consecrat. dist. 4.*

410. Sacerdotis est Sacramentum Extremæ Unctionis conficere. *Trid. Sess. 14. cap. 3. de Extrem. Unct. & can. 4.*

Quæres septimo. An ad Sacerdotem pertineat plebis instructio? R. Non tantum instructio Fidelium in necessariis ad salutem, sed etiam Verbi DEI prædicatio ad Sacerdotem pertinere noscitur; Præconis quippe officium suscipit, quif- quis ad Sacerdotium accedit, ut ante adventum Judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur, *Can. si Rector. 1. dist. 43. Ideo Trid. Sess. 23. de reform. cap. 14.* "exigit, ut, antequam quispiam ad Ordinem Presbyterii assumatur, prius ad populum docendum ea, quæ scire omnibus est necessarium ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idoneus comprobetur." Ut enim advertit *Gratian, ad Can. si qui Episcopi. 43. caus. 1. q. 1.* "Cætera Sacramenta unicuique propter se dantur, & unicuique talia fiunt, quali corde vel conscientia accipiuntur, Sacramentum verò Sacerdotalis promotionis non propter se solum, sed propter alios datur, & idè necesse est, ut vero corde mundæque conscientia, quantum ad se sumatur, quantum ad alios verò non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia, propter scandalum fratrum, ad quorum utili-

tatem non solum, ut præsent, sed etiam, ut profint, Sacerdotium datur."

Quæres octavo. An Sacerdotium sit ante manûs impositionem? R. Affirm. Quia quamvis Presbyteri in manuum impositione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, postquam tamen Episcopus porrexit calicem cum vino, & patenam cum hostia, & dixit: *Accipe potestatem Sacrificium offerendi*, juxta Divinam institutionem est verus Sacerdos, & characterem recepit; Apostoli namque in Cæna fuerunt ordinati Sacerdotes, & acceperunt potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi, & tamen tunc à peccatis absolvendi non acceperunt potestatem. Deinde sic ordinatus consecrat unà cum Episcopo consecrante, & propterea in rubrica Pontificalis disponitur, ut Pontifex celebrans morosè dicat, & aliquantulum altè, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, & præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.

Quæres nono. Qualis ætas & tempus requiritur in ordinando Sacerdote? R. Quoad ætatem nullus ad Presbyteratus Ordinem ante 25. ætatis suæ annum est promovendus. *Trid. Sess. 23. cap. 12.* "Deinde qui piè & fideliter in ministeriis antè actis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, & hi sunt, qui ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, in Diaconatu ministraverint." *Trid. loc. cit. cap. 14.*

Quæ-

Quæres decimo. An in Sacerdote requiratur scientia? R. Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus DEI vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt, quibus incumbit ædificare cunctos tam fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ. *Can. 1. dist. 38.* "Si in Laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quantò magis in iis, qui præsent, nec excusatione digna est nec veniâ." *Can. 3. ibid.* "Substantia Sacerdotii nostri sunt eloquia quia divinitus tradita, hoc est, vera Divinarum Scripturarum disciplina." *Can. omnes. 6. ibid.* "Si juxta Apostolum Paulum Christus DEI virtus est, DEI que sapientia, & qui nescit Scripturas, nescit DEI virtutem, ejusque sapientiam, ignoratio Scripturarum ignorantio Christi est." *Can. si juxta. 9. ibid.*

Quæres undecimo. Quæ morum honestas in Sacerdote requiritur? R. Sacerdotes ita pietate ac castis moribus conspicui esse debent, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita ab eis possint expectari. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 14.* Nos enim qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed

sed fidei puritate. *Can. 3. dist. 40.* Multimodis ergo virtutibus debet splendere vita Sacerdotis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit, non enim loca, sed vita & mores sanctum faciunt Sacerdotem. Unde ex suscepto officio non licentiam peccandi, sed necessitatem benè vivendi se noverint affectos. *Gratian. in dist. 40. princip.*

Quæres duodecimo. Quid de malis Sacerdotibus dicendum? R. Horrenda sunt, quæ de malis dicuntur Presbyteris, *Can. multi. 12. dist. 40. can. nemo. 2. dist. 83.* ibi: "Nemo in Ecclesia nocet amplius, quàm qui perversè agens nomen vel ordinem sanctitatis habet; delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quamdiu pro reverentia Ordinis peccator hortatur." *Can. Sacrosancta. 92. caus. 1. q. 1.* Non omnis, qui dicit: Pax vobis, quasi columba est audiendus, cum multi sint corvi, quibus æquiparantur mali Prælati & Sacerdotes ob nigredinem vitiorum, raucedinem vocis, voracitatem mortuorum seu oblationum, ob fætorem spiritus, garrulitatem & furtum. *Can. non omnis. 30. caus. 2. q. 7. junct. gloss.*

S. Secundus.

DE

Proprio seu Parochiali Presbytero.

Quæres primo. Quid est Parochia? R. Parochia sive parœcia ex sua origine nomen Græcum est, significans conventum accolarum vel vicinorum. *R. D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.*

In

In præfenti significat locum finibus certis limitatum, in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus.

Quæres secundo. Qualiter, qui huic populo præest, appellatur? R. Qui Ecclesiæ Parochiali præficitur, appellatur aliquando Parochus, aliquando etiam Plebanus, ut in *cap. scriptum. 40. de elect.* Vel à plebe, cujus curam gerit, vel à plebania, quæ est Matrix Ecclesia. *Cap. ad audientiam. 3. de Eccles. adificand. cap. 1. de præscript. Trid. Sess. 21. de reform. cap. 7.* habens sub se plures Ecclesias vel Capellas. *Cap. 1. ne Clerici vel Monachi. in 6. junct. gloss.* Aliquando Rectores nuncupantur, quia Rector talis Ecclesiæ, quæ Parochialis vocatur, animarum totius populi intra limites illos congregati curam habet. *Cap. 1. de Capell. Monach.* Hodie vulgato nomine dicuntur Pastores, quo nomine Parochos honoravit Apostolus ad Ephesios scribens: *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores.* Demùm Parochus proprius Sacerdos appellatur. *Cap. omnis utriusque. 12. de pœni 1. & remiss.*

Quæres tertio. Unde Parocho nomen Pastoris? R. Nomen Pastoris à pascere derivatur, Parochi enim oves sibi concreditas pascere debent 1^{mo} instructionis verbo. *Can. Ephesius. 4. dist. 43. can. audacter. 18. caus. 8. q. 1.* 2^{do} conversationis exemplo. *Can. præcipue 3. caus. 11. q. 3.* 3^{io} Eucharistiæ Sacramento, sub quo cætera comprehenduntur Sacramenta. *Can. non prohibeat. 67. de consecrat. dist. 2. 4^{to}.* Temporalis subsidio,

Can. nulli Episcoporum. 62. caus. 16. q. 1. 5^{to} demùm ad exemplum Christi opportuno tempore animam suam pro ovibus exponendo. *Can. suggestum. 46. can. sciscitaris. 47. can. adversitas. 48. caus. 7. q. 1.*

Quæres quarto. Quæ Parochiarum origo? R. Antiquitus intra eandem Dioccesin Parochiæ non erant distinctæ, sed Episcopi totius Diocesis curam animarum habebant, & tunc Parochia idem erat, quod Diocesis. Exemplum est in *can. si quis. dist. 92.* Postea S. Dionysius Papa singulas Ecclesias singulis Presbyteris dedit, parochias & cæmeteria eis dividens, & unicuique jus proprium habere statuens, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos aut jus invaderet, sed unusquisque suis terminis contentus esset, & taliter Ecclesiam & plebem sibi commissam custodiret, ut ante tribunal æterni Judicis ex omnibus sibi commissis rationem redderet. *Can. 1. caus. 13. q. 1. cap. pastoralis. 9. de his que fiunt à Pralat.* Novissimè *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 13.* distinctionem Parochiarum, ubi illa nondum introducta, introduci præcipit decernendo: "Ut in iis civitatibus & locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscuè Sacramenta administrant, Episcopi pro tutiori animarum eis commissarum salute distincto populo in certas propriasque Parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant."

Quæ-

Quæres quinto. An omnis habens curam animarum sit Parochus? *ꝛ.* Negativè; quia cura animarum duplex est: propriè & strictè, ac latè sumpta. Strictè sumpta est cura pœnitentialis, quando videlicet quis Sacramentum pœnitentiæ & reliqua Sacramenta à se suscipere obligatis, administrare tenetur. *Gloss. in Clem. dudum. de sepultur. verb. impendant.* Hæc cura fori interni iterùm duplex est: Actualis, quam actu per se exercere obligantur, qui officium habent parochiale. Alia habitualis, quando nimirùm ex prima institutione cura annexa fuit, sed ea postmodum per unionem, privilegium, consuetudinem, vel alium casum sublata fuit, ut quia Parochiani recesserunt, defecerunt à fide, vel nondum adsunt. Cura animarum latè sumpta est pertinens ad forum externum sive potestas fori contentiosi & judicialis circa correctionem morum. *Cit. Clement. dudum.* Et habens curam animarum fori externi non est Parochus.

Quæres sexto. Quot sunt requisitæ in Parocho qualitates? *ꝛ.* Tres, expressæ in *cap. cum in cunctis. 7. de elect. cap. licet. 14. eod. in 6.* Scilicet: Ætatis maturitas, morum gravitas, & debita scientia.

1^{mo}. Quoad ætatem annum vigesimum quintum attingisse debet, ad quod sufficit unum diem anni vigesimi quinti attingisse, secus collatio nulla est. *Cit. cap. licet.*

2^{do}. Quoad morum gravitatem, cum nihil magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se Divino ministerio dedicârunt. *Trid. Sess. 22. de reform. cap. 1.*

Ideo omnia illa, quæ generaliter de vita & honestate Clericorum, de vitandis luxu vestium & capillorum, crapula, lusu, incontinentia, & negotiis sæcularibus à sacris Canonibus sunt statuta, tantò magis Parochi observare debent, quantò ipsis cum cura animarum arctiùs incumbit, ut aliis bono exemplo præluceant, quamvis hodie, ut conqueritur *Corbinus de benefic. Ecclesiastic. tit. 6.* prò dolor! de hoc curetur parùm, & fiat tantùm informatio pro forma, cum tamen hujus conditionis ratio sit habenda potissima.

3^{tio}. Quoad literarum scientiam, quia regimen animarum est ars artium. *Cap. cum sit. 14. de atat. & qualit. & animæ sunt omnibus aliis pretiosiores. Can. precipimus. 24. caus. 12. q. 1.* Et ubi majus periculum vertitur, ibi cautiùs est agendum. *Cap. ubi periculum. 3. de elect. in 6.* Ideo cura animarum non est committenda alicui, qui non idoneus ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis judicatus fuerit. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 18.* Integritas enim præsidentium salus est subditorum. *Trid. Sess. 6. de reform. cap. 1.* Et nihil est, quod Ecclesiæ DEI magis officiat, quàm quòd indigni assumantur ad regimen animarum.

Quæres septimo. Quæ obligatio in Neo-Pastore ad professionem fidei? *ꝛ.* 1^{mo}. "Provisi de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus tenentur à die adeptæ possessionis, & ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram

“Generali ejus Vicario seu Officiali Orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permanfuros spondere ac jurare.” *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.*

2do. Hoc præceptum sub mortali obligat, quia verbis utitur gravibus, gravemque infert pœnam: *Alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Quæ gravem culpam indicare videntur.

3tio. Quòd si tempus bimestris à die adeptæ possessionis elabi permiserint, nihilominus ad professionem fidei obligantur, quia terminus ille non ad terminandam obligationem, sed ad differendam pœnam est præfixus. Potest autem Neo-Parochus huic obligationi satisfacere per se ipsum, vel Procuratorem, ad hoc speciale mandatum habentem, juxta regulam generalem 68. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. De Regul. Juris. in 6.*

Quæres octavo. Quæ obligatio in Neo-Pastore ad Sacerdotium? *R. 1mo.* Non requiritur, ut qui accipit Ecclesiam Parochialem in titulum, actu sit Presbyter, sed sufficit, quòd initiatus primâ tonsurâ in statu sit, ut intra annum ad Sacerdotium promoveri valeat. *Cap. si pro Cleric. 8. de præbend. in 6. cap. 2. de instr. in 6.* Dixi: *In titulum:* quia cui commendatur Ecclesia Parochialis, actu Sacerdos esse debet, *per cap. nemo deinceps. 15. de elect. in 6.*

2do. Si à die, quâ pacificam habuit possessionem, vel per eum stetit, quò minus illam haberet, post annum completum non legitimè impeditus Sacerdo-

tium non susceperit, est ipso facto Parochiâ privatus, & si animum non habuerit ab initio Sacerdotium suscipiendi, etiam fructibus anni illius, per textum in *cap. licet Canon. 14. cap. commissa. 35. de elect. in 6.* Hoc intelligendum de Ecclesia purè Parochiali, si enim simul Collegiata, non tenet. *per cap. statutum. 22. de elect. in 6.*

3tio. Si annus nondum elapsus, quamvis modò Ordines suscipere non valeat, nondum est privatus. *Cit. cap. commissa.* Attamen si illo tempore, quo ampliùs intra annum illum Ordines suscipere nequit, impedimentum occurrat, v. g. infirmitas, ob quam Ordines suscipere non valet, illud impedimentum evolutò anno non excusat juxta Juris-Consultorum axioma: *Impedimentum superveniens tempore, quo actus fieri non potest, non excusat.*

4to. Episcopus cum Neo-Parocho dispensare, & terminum præfixi Sacerdoti usque ad septennium prorogare potest, dummodò Subdiaconatum suscipiat, studiorum favore; quia Ecclesia ad sui regimen viris literatis maximè noscitur indigere. *cap. cum ex eo. 34. de elect. in 6.* Quod non correctum per *Trid. Sess. 7. de reform. cap. 12.* Ubi dicitur facultates de non promovendo præterquam in casibus in jure expressis concessæ ad annum tantum suffragentur, quia hic casus in jure, ut jam ostensum est, clarè expressus habetur.

Quæres nono. In quo exercitium curæ animarum consistit? *R. Trid. Sess. 23. de reform. cap. 1.* “id paucis & nervosè exprimit admonendò & hortando omnes,

“ ut

ut Divinorum Præceptorum memores
 factique forma gregis in judicio & ve-
 ritate præfint & regant, cum præcepto
 Divino mandatum sit omnibus, quibus
 cura animarum commissa est, oves suas
 agnoscere, pro his sacrificium offerre,
 Verbiq̄ue Divini prædicatione, Sacra-
 mentorum administratione, ac bonorū
 omnium operum exemplo pascere, pau-
 perum aliarumq̄ue miserabilium perso-
 narum curam paternam gerere, & in
 cætera munia Pastoralia incumbere.

Quæres *decimo*. Quæ sunt Parochi
 obligationes? R. Sequentes: Obligatur
 Parochus 1^{mo} ad residentiam, 2^{do} ad
 exercendas functiones Pastorales, 3^{tio}
 ad recitandum Officium Divinum, 4^{to}
 ad celebrandas populo Missas, 5^{to} ad
 prædicationem, 6^{to} ad procurandam
 Ecclesiæ reparationem, 7^{imo} ad confer-
 vandum & promovendum debitum Ec-
 clesiæ cultum & honorem, 8^{vo} ad admini-
 stranda Sacramenta. De hoc ultim. in seq.

Quæres *undecimo*. Qualis obligatio
 Parochi ad residentiam? R. 1^{mo}. Paro-
 chus, uti & quivis alius animarum Re-
 ctor de jure Divino in sua Ecclesia resi-
 dere tenetur. *Trid. cit. Sess. 23. de re-
 form. cap. 1.* Ideo tam impensè idem Con-
 cilium *Sess. 6. cap. 1. & 2.* urget residen-
 tiam. 2^{do}. Ad hanc residentiam tria:
 nempe ut Parochus in propria Ecclesia,
 ut formaliter, ut continuò resideat, re-
 quiruntur. Inprimis, ut in propria Ec-
 clesia, quia in domo Parochiali, si sit,
 resideat, & si Parochia domum
 non habeat, in alia, quæ est intra limi-
 tes ejus vel saltem vicinia: si duas Ecce-
 las unitas habeat, in digniore, si de ea
 non constet, in frequentiore, si una sit

intra, altera extra urbem, in ea, quæ
 est intra, resideat obligatur. Parochia-
 lem Ecclesiam cum Canonicatu ex legi-
 tima dispensatione habens in Parochiali
 domo resideat debet; cura enim anima-
 rum ex constitutione S. Pii V. quæ inci-
 pit: *Cupientes.* est perpetua. Deinde ut
 formaliter resideat. Residentia ad quam
 Parochus tenetur, non est residentia
 materialis, id est: sola habitatio in Pa-
 rochia, sed residentia formalis, id est:
 exercitium muneris Pastoralis, quod ite-
 rum non consistit in materiali eorum,
 quæ ad munus Pastorale pertinent, exe-
 cutione, sed in formali regimine & di-
 rectione ovium suarum, sive quòd ipse
 Parochus disponat, quæ pertinent ad
 curam animarum in omnibus & singulis
 occasionibus, pro cujusque necessitate,
 & ita Parochus, qui ratione numerosæ
 plebis Sacerdotes sibi adjungit, quibus
 certam partem Parochiæ committit, for-
 maliter resideat dicitur, *Pignat. tom. 7.
 con. 4. n. 11.*

Demùm ut continuò resideat, ita ut
 ex rigore *Trident.* etiam ad aliquos dies
 à Parochia abesse nequeat sine licentia
 Episcopi, ut multi valdè probabiliter
 deducunt ex illis *Trid. Sess. 23. de reform.
 cap. 1.* verbis: "Ita tamen, ut quando-
 cunque eos, hoc est: Curatos inferio-
 res, aliosq̄ue, qui beneficium aliquod
 Ecclesiasticum curam animarum ha-
 bens obtinent, causâ priùs per Episco-
 pum cognitâ & probatâ abesse contige-
 rit Vicarium idoneum ab ipso Ordina-
 rio approbandum, cum debita merce-
 dis assignatione relinquunt."

Causæ excusantes à residentia sunt:

P 3

Chri-

Christiana charitas, urgens necessitas, obedientia debita, evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. *Trid. loc. cit.* Ut ex his causis ultra bimestre Parochus legitime abesse possit, tria requiruntur: 1^{mo}. Ut ea causa ab Episcopo prius cognoscatur & approbetur, qui non nisi ex gravi causa ultra bimestre licentiam non residendi dare potest. 2^{do}. Ut Vicarius relinquatur idoneus, non quicumque aliàs approbatus, sed ad hunc casum ab Episcopo admissus. 3^{tio}. Ut facultas in scriptis & quidem gratis concedatur. Ita *Trid. l. c.* "Quod simul adhortatur, "ne per illius temporis spatium Domini- "ci Adventûs, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves "debeant, ipsi nullo modo absint." 4^{to}. Non residentes præter peccati mortalis reatum pro rata temporis absentia fructus suos non faciunt, nec tutâ conscientia, aliâ etiâ declaratione non secutâ, illos sibi retinere possunt, sed tenentur eos fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci erogare.

Quæres *duodecimo*. Quæ Parochum à residentia specialiter non excusant? R. Sequentia: 1^{mo}. Parochus ob servitium Episcopi à residentia non excusatur, ideo, ut declaravit S. Congregatio, Episcopus operâ Parochi in visitatione, vel alio suæ Diocesis officio uti non potest, nisi pro tempore duorum mensium permisso, nec Parochus in Vicarium Generalem, in Inquisitorem &c. assumi potest.

2^{do}. De jure novo propter studia

à residentia non excusatur. Quamvis enim olim Parochi cum licentia Episcopi studiorum causâ per septennium abesse poterant, ut est textus in *cap. cum ex eo. 34. de election. in 6.* Hodie tamen post Concilium *Trid.* id amplius per Episcopum concedi non potest, ut declaravit S. Congregatio. Ratio est: quia assumendus ad Parochiam moribus & scientiâ debet actu esse dignus, & ex dignis dignior est assumendus.

3^{tio}. Paucitas ovium vel defectus domus propriæ non excusat; alienam enim domum conducere potest. Attamen tolerari potest, quod Parochus Parochia tenuis paucarum ovium in Parochia non resideat, quousque per unionem simplicis beneficii, vel alio modo ejus congrua portio suppleatur, dummodò illuc festis diebus ad celebrandum, & quando pro Sacramentorum administratione vocabitur, accedat. Si tamen Episcopus id tolerare noluerit, obedire & residere tenebitur; ut declaravit S. Congregatio apud Pignatell, *tom. 2. conf. 4. n. 18.*

4^{to}. Infirmitas & aëris intemperies Pastorem à residentia non excusant: sed si infirmitas curabilis sit, & in loco Parochiæ non sit copia medicorum, poterit Episcopus trium vel quatuor mensium dilatationem concedere, ut iterum declaravit S. Congregatio *ibid.*

5^{to}. Ob pestem Parochus à residentia non excusatur. Id etiam apud Pignatell, *tom. 4. conf. 17.* declarat S. Congregatio hoc modo: Parochi tempore pestis omninò tenentur residere in suis Ecclesiis Parochialibus, & si non resideant, agenda est contra eos. Ministrant verò Pa-

Parochianis peste infectis Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ per alios, idque pro commoditate Parochianorum, qui sani quoque verisimiliter conversari nolent cum Parochis ad peste infectos euntibus.

6to. Pastorem à residentia non excusat persecutio, circa quam notabilis hæc facienda distinctio *ex can. adversitas, 48. §. hoc tunc servandum, caus. 7. q. 1.* cum specialiter Pastor quæritur, fugiat exemplo Christi. Si verò non Prælato tantum, sed generaliter periculum omnibus imminet, & animarum salus salva esse non potest, Pastor animam suam pro ovibus suis ponere debet. Ratio disparitatis est: Dum persecutio specialiter in Pastorem movetur, fugere potest, quia non defunt alii periculo immunes, per quos animarum salus tuta esse possit, aut fugere nequit v. g. à loco peste infecto, vel

dum persecutio in omnes Catholicos vel Sacerdotes excitatur; quia cum periculum omnibus sit commune, nec sint alii, qui ex officio tuto assistere valeant, Pastor pro ovibus animam suam ponere debet.

7imo. Demùm à residentia Parochum consuetudo, quantum ad rationem formalem residentia non excusat. Circa residentiam enim duo ponderanda sunt: obligatio residendi, & obligatio petendi licentiam, si justa absentia causa subfit: à prima obligatione nulla excusat consuetudo, vel dispensatio, cum residentia juris naturalis & Divini sit, obligatio petendi licentiam, cum sit juris humani, per contrariam consuetudinem absolute limitari vel tolli potest. Si tamen ex consuetudine Parochi ultra duos menses absque licentia à Parochia abisset, talis consuetudo, utpote à jure reprobata, habenda foret pro corruptela.

§. Tertius.

D E

Functionibus Parochialibus.

Quæres primo. Quæ sunt functiones Pastorales? *¶* Sequentes: 1mo. Sacramentorum in Parochia administratio. 2do. Fontis Baptismalis suis temporibus benedictio. 3tio. Ssmi Sacramenti delatio. 4to. Missarum Feriæ 5tæ in Cœna Domini, & Sabbathi sancti celebratio. 5to. Candelarum in die Purificationis B. V. MARIÆ benedictio. 6to. Cinerum & Palmarum in 4oma. 7imo. Processionum per Parochiam directio. 8vo. Mortuorum sepultura. 9no. Nubentium benedictio.

Quæres secundo. Quas annotationes Parochus facere tenetur? *¶* Parochus oves suas non tantum quoad numerum, sed etiam familias singulas, in iisque personas singulas, cum earum ætate & qualitate agnoscere debet, ideoque Ritualia præscribunt, ut librum habeat, in quo familias & personas subditorum cum nota ætatis, Sacramentorum aliisque similibus describat. Præterea quatuor Matriculas, Baptismalem, matrimonialem, mortualem, & confirmatorialem

torialem facere debet. Baptismali inscribendi omnes, qui baptizantur, & si ex legitimo matrimonio nati, eorum parentum & patrinorum nomina, unà cum die, mense & anno. *Trid. Sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.* Si illegitimi, scribendum, quòd prolem ignoti patris vel parentum baptizaverit. Finis hujus annotationis est, ut baptismus, baptizati ætas, origo, impedimentum spiritualis cognationis probari possint. Matrimoniali inscribenda nomina eorum, qui in Parochia sua contrahunt matrimonia, testium, & locus, ut Pastor in casu disputationis de contracto matrimonio fidem præstare valeat. *Trid. loc. cit. cap. 1.* Mortuali in Parochia defunctorum nomina inscribere debet, ut mors & sepultura singulorum probari possint. Confirmatoriæ nomina & cognomina Confirmatorum, eorum parentum, patrinorum, uti & Episcopi administrantis cum die, mense & anno sunt inscribenda.

Quæres tertio. Qualis obligatio Parochi ad recitandas Horas Canonicas? *¶.* Parochi, sicut & cæteri Beneficiati Divinum Officium recitare tenentur. *Can. fin. dist. 92. cap. fin. de rescript. in 6.* Idque studiosè & devotè. *Cap. dolentes, de celebrat. Missarum.* Sub pœna peccati mortalis & privationis fructuum ex constitutione S. Pii V. quæ incipit: *Ex proximo.* Ubi non solum de Parocho, sed etiam de omnibus Beneficiatis statuit, ut si aliquis eorum totum Breviarium omiserit, teneatur ad restitutionem omnium fructuum, qui singulis diebus dividerentur, si verò omiserit matutinum, ad partem dimidiam unius diei, si alias omnes horas præter matutinum, ad alteram dimidiam

partem, si unam tantum horam, ad sextam partem fructuum restituendam.

Quæres quarto. Quando incipit in Parocho Horas Canonicas recitandi obligatio? *¶.* Hæc obligatio recitandi Horas Canonicas in Pastore incipit post adeptam possessionem; beneficiorum enim jura ante captam possessionem Beneficiatus exercere nequit, præterea nec eorum onera sustinere obligatur. Quamvis autem Parochus statim post captam possessionem Breviarium recitare obligetur, attamen ad restitutionem fructuum non astringitur, nisi propter omissionem factam post sex menses à die adeptæ possessionis numerandos, ut in Bulla Leonis X. quæ incipit: *Superna dispositionis,* reperitur expressum. Et ratio est: quia cum oratio Horarum Canonicarum, & propter harum omissionem consequens restituendi obligatio solum jure humano sit introducta, Pontifex illam pro suo arbitrio vel omninò remittere, vel certo modo temperare potuit.

Nota. Quòd multi graves Authores obligationem restituendi omnes fructus limitent ad fructus Breviario correspondentes; quia enim, inquiunt, fructus Parocho non debentur solum propter onus Horas recitandi, sed potius propter onera & servitia Pastoralia, ideo faciendâ restitutio propter officii Canonici omissionem proportionaliter ad arbitrium Viri prudentis fieri debet, ita, ut Parochus duas fructuum partes pro labore Parochiali, & unam pro Horis Canonicis computare possit.

Quæres quinto. An Capellani Parochorum & Regulares Pastores ob omissionem

sum Officium Canonicum ad restitutionem obligentur? *R. 1mo.* Capellani vel Cooperatores Parochorum ob Officii Canonici omissionem ad nullam fructuum restitutionem obligantur, quia salarium suum non accipiunt tanquam ex beneficio Ecclesiastico, sed propter personale servitium, & functiones personales, aliud est in Vicariis perpetuis, qui perpetuum obtinent beneficium, adeoque pensum Canonicum titulo Vicariae perpetuae recitare obligantur.

2do. De Religiosis curam animarum habentibus hanc facit distinctionem Engel in *Manual. Paroch. p. 2. c. 6. n. 5.* Vel Parochia est jure pleno Monasterio incorporata, & eam habet Regularis tanquam Administrator & Vicarius temporalis, ad nutum Superioris amovibilis, & tunc ob omissionem Officii Canonici ad restitutionem non obligatur, quia Regularis tantum percipit suam congruam sustentationem, non tanquam ex beneficio, sed propter curae administrationem. Vel Parochia Monasterio non est plenè incorporata, aut est Vicaria perpetua, quam Religiosus per Canonicam institutionem obtinet, & tunc Horas omittens ad restitutionem tenetur, quia est propriè beneficium, ex quo juxta naturam omnium beneficiorum fructus percipere non potest, nisi cum onere Horas recitandi, vel propter earum omissionem fructus pro rata restituendi.

Quæres *sexto.* Cui facienda restitutio? *R.* Pauperibus, aut fabricæ Ecclesiæ fructus, quos Beneficiatus ob omissum pensum Canonicum non fecit suos, sunt distribuendi vel applicandi. Nomine autem

R. D. Schnorrenberg Instit. 7. Can.

pauperum intelliguntur personæ pauperes, Monasteria, Zenodochia, imò omnia loca pia. Nomine fabricæ venit fabrica domuum vel domus beneficii, sumptus in agrorum ad beneficium pertinentium utilitatem conversi, & generaliter, quidquid in perpetui beneficii augmentum infumitur.

Quæres *septimo.* Qualis in Parocho ad celebrandas Missas obligatio? *R. 1mo.* Omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ Missam audire tenentur, Parochus vel per se vel per alium celebrare obligatur. Extra dies festos Parochus per se ex aliquo præcepto Missam celebrare non tenetur, id tamen maximè decens est, imò si populus in aliqua civitate numerosus, & Parochus ampliores habet redditus, per Episcopum adstringi potest, ut sæpius in hebdomade celebret, ut colligitur ex *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 14.* Curet Episcopus, ut ii, hoc est, simplices Sacerdotes, saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo munere satisfaciant, Missas celebrent.

2do. Si in aliqua Parochia populus tam numerosus, ut ad unam Missam convenire non possit, vel unus Parochus ad Sacramenta ministranda non sufficiat, alios Sacerdotes sibi Parochus adungere debet. *Trid. Sess. 21. de reform. cap. 4.* Si autem Parochia ad hoc sufficientes redditus non habeat, Parochus de licentia Episcopi unâ die duas Missas celebrare potest, sicuti etiam, si ob penuriam Sacerdotum unus duas Parochias ministrat.

Q

Quæ-

Quæres octavo. An, & quando Parochus pro Parochianis Missas celebrare teneatur? R. Parochus pro suis ovibus Sacrificium Missæ quandoque offerre, ac illis fructum Sacrificii applicare tenetur. Patet ex *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 1.* in initio: Et pro his, hoc est: suis ovibus Sacrificium offerre. Quot autem vicibus per singulos annos Parochus Sacrificium ovibus applicare teneatur, Doctores non conveniunt, sunt, qui velint obligari Parochum, ut singulis diebus Dominicis Missam Parochianis applicet, quod probant ex aliqua declaratione Cardinalium, quâ declaratur, quod Parochi diebus, quibus ex proprio officio & obligatione Missam celebrare tenentur, non possint pro eadem Missa in propria vel aliena Ecclesia celebranda manuales recipere eleëmofynas. In *Concil. Provinciali Mediolanen. 4.* à S. Congregatione recognito, & à Pontifice approbato. *Tit. de his, quæ pertinent ad Ssum Missæ Sacrificium.* Prohibetur Curatis, ne in diebus Dominicis & aliis, quibus tenentur celebrare pro populo, aliud suscipiant Missarum celebrandarum onus. *Vid. Fagn. in cap. fraternitatem. de sepulturis. Paxford. tit. 1. l. 4. t. 1. n. 518.* Concludit ad tollendos scrupulos diversarum opinionum in hac materia, & ad Curatos in hac parte in officio continendos Episcopum debere præfigere certum Missarum numerum, pro Parochianis offerendum.

Quæres nono. Qualis obligatio Parochi ad prædicationem? R. Munus prædicandi Parochiali animarum curæ annexum esse probatur ex cap. quod DEI

timorem. 5. de Stat. Monach. Ubi propter privilegiatum prædicandi munus Religiosi ad Parochias assumi posse dicuntur. Ratio desumitur ex cap. inter cætera. 15. de offic. ordinar. Ubi inter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum Verbi DEI vel maximè sibi noscitur esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spiritali cibo nutritur, eò quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI. Ideo Tridentinum munus prædicandi toties Curatoribus animarum commendat, ut *Sess. 5. de reform. cap. 2. Sess. 22. de Sacrific. Missæ. cap. 8. Sess. 23. de reform. cap. 1. Sess. 24. de reform. cap. 4. & 7.*

Quæres decimo. Qualiter prædicationis munus à Parocho obeundum? R. Quæ, & quomodo Parochi in prædicationibus populo exponere debeant, idem *Trid.* explicat, ita, ut *Pignat.* velit, de jure antiquo incubuisse Pastoribus facere prædicationes solemnes & formales, ut vocant, hodie tamen post *Concilium Trident.* munus prædicandi solemniter incumbit Episcopo, ut per se vel alios constitutos Prædicatores solemniter ex Cathedra dicat, Pastoribus verò incumbere, ut potiùs inter Missarum Solemnia populum de necessariis ad salutem doceant, & instituant, quàm solemniter prædicent. Loca *Tridentini* sunt *Sess. 22. de Sacrificio Missæ. cap. 5.* "Frequenter ex"
 "iis, quæ in Missa leguntur, aliquid ex"
 "ponant, atque inter cætera Ssmi hujus"
 "Sacrificii mysterium aliquod decla"
 "rent." *Sess. 24. de reform. cap. 4.* *Iidem,* hoc est, Parochi, saltem Dominicis & festi-

festivis diebus pueros fidei rudimenta, & obedientiam erga DEUM & parentes docere non negligant. *Sess. 25. in decret. de Purgator.* Sanam doctrinam à sanctis Patribus & sacris Conciliis traditam à Christi Fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari studeant, apud rudem plebem difficiliore & subtiliore quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur, incerta item, & quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant, ea verò, quæ ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & Fidelium offendicula prohibeant. Novissimè Innoc. XI. in decreto propositionum damnatarum simplicitatem Christianam in concionibus commendat. In concionibus quoque publicandæ sunt vigiliae, & dies, in quibus ex præcepto Ecclesiæ, vel loci consuetudine, vel Ordinarii lege est jejunandum, item dies festi, in quibus ab operibus servilibus est vacandum.

Quæres undecimo. An Parochiani parochias suas frequentare obligentur? *Re.* De jure communi parochiani Missas & conciones in Ecclesia parochiali diebus Dominicis & festivis frequentare obligantur. *Cap. ut Dominicis. 2. de parochiis. Trid. in Decret. de observand. in celebrat. Miss. Sess. 22.* Hodie tamen, dummodò proprium Parochum non contemnant, Ecclesias Regularium ex consuetudine & privilegiis frequentare possunt, ne autem proprium censeantur contemnere Parochum, ratio naturalis suadere vide-

tur, ut saltem aliquoties in anno Missas & conciones ejusdem audiant; vix enim est, ut non habeatur filius contumax, qui toto anno patrem non invisit, ovis erratica, quæ nunquam vocem Pastoris audit. *Engel in manual. p. 2. cap. 8. in fin.*

Quæres duodecimo. Quæ Parochi circa Ecclesiam parochialem obligatio? *Re. 1mo.* Debet curare Parochus, ut Ecclesia parochialis, si necesse est, reparetur. *Cap. de his. 4. de Eccles. adificand. Trid. Sess. 21. de reform. cap. 7.* Reparatio autem facienda est ex fructibus & proventibus quibuscunque ad eandem Ecclesiam pertinentibus, si isti non sufficiant, patroni, beneficiati parochi, decimatores & alii, qui fructus aliquos ex Ecclesia percipiunt, defectum supplere tenentur, quòd si Parochi ab Ecclesia tot non habent redditus, in defectu illius parochiani omnibus remediis opportunis ad reparationem sunt cogendi, quæcunque appellatione, exemptione, & contradictione remotâ. *Trid. loc. cit.*

2do. Curare debet, ut Ecclesiæ suæ debitus honor deferatur, ne in illa quid indecens aut inhonestum fiat. *Trident. in decret. de observand. & vitand. in celebr. Miss.* Nec ulla negotia secularia ibidem tractentur. *Cap. cum Ecclesia. 5. de Immunit. Eccles.*

3tio. Non debet permittere, ut violentia aliqua sive ipsi Ecclesiæ per destructionem, incendium, aliumvè modum, *Cap. in literis. 5. de raptor. sive personis & rebus in ea contentis inferatur. Can. sicut antiquitus. 6. can. quisquis inventus. 21. caus. 17. q. 4.*

4to. Omnis superstitio in Sanctorum

rum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis questus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, Sanctorum celebratione & Reliquiarum visitatione homines ad commestationes & ebrietates non abu-

tantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum & lasciviam agantur.

510. Parochus omnium reddituum Ecclesie inventarium conficere, eos non distrahere, nec cum anticipatis solutionibus elocare debet. De juribus parochialibus & obligationibus Parochorum in administratione Sacramentorum infra.



TITULUS DECIMUS-SEXTUS.

DE

lis, qui in sacris & in minoribus Ordinibus constituti.

Quæres primo. Quid significat Diaconus? R. "Levitæ ex nomine Authoris vocati. De Levitæ vi enim Levitæ exortæ sunt, à quibus in Templo DEI mystici Sacramenti ministeria explebantur. Hi Græcè Diaconi, Latine Ministri dicuntur; quia sicut in Sacerdote consecratio, ita in Diacono ministerii dispensatio habetur." *Can. Cleros. 1. §. Levitæ. dist. 21.*

Quæres secundo. Quis Author Diaconatus? R. Ipse Christus; hic enim Ordo est Sacramentum, & omnia Sacramenta ab ipso Christo per se & immediatè sunt instituta. Probat ex Concilio Florent. quod postquam dixit Ordinem esse Sacramentum, ejusque materiam & formam explicasset, ponit exempla in Ordine Sacerdotii, Diaconatus, Subdiaconatus. Et Concilium Tridentinum Sess. 23. can. 2. 3. & 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam*

Divinam ordinationem institutam, que constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.

Nec obstat can. Dominus. 25. dist. 93. Ibi enim solum dicitur Christum non ordinasse ita Diaconos, sicut ordinavit Episcopos & Presbyteros; ex illo enim non sequitur, quod Christus Diaconatum non instituerit, quia Christus Sacramentum Confirmationis instituit, & tamen nullum confirmasse legitur.

Quæres tertio. Quæ materia & forma Diaconatus? R. In hac determinanda Theologi in quatuor partes divisi sunt: 1ma. S. Bonav. & Scotus volunt materiam Diaconatus esse solam manuum impositionem, & formam verba Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum ac robur adversus Diabolum & tentationibus ejus in Nomine Domini.*

2da sententia dicit præter manuum impositionem traditionem stocæ super hu.

humerum sinistrum cum his verbis: *Accipe stolam candidam de manu Domini, & traditionem Evangelii cum verbis: Accipe potestatem legendi Evangelium tam pro vivis, quam pro defunctis in Nomine Domini.*

3^{ta} manu impositioni addit solam Evangelii traditionem.

4^{ta} solam Evangelii traditionem cum verbis proportionatis sufficere contendit.

Quæres quarto. Quæ Diaconi solemnitates & officia? *Re. 1^{mo}.* Diaconus debet esse talis, qui sperat DEO juvante se continere posse. *Can. quicumque. 3. dist. 77.* Et quamvis ab initio Ecclesiæ propter defectum cœlibum ad ministeria sacra idoneorum Conjugati ad Diaconatum admissi fuerint. *Can. Diaconi. 8. dist. 28.* continentiam tamen promittere debebant. *Can. 1. dist. 27. can. 1. dist. 31. cap. conjugatus. 5. de convers. Conjugator.*

2^{do}. Antiquitus ordinandus in Diaconum 25. annos habere debebat. *Can. placuit. 5. can. Episcopus. 6. dist. 77. can. nemo. 2. dist. 78.* Juxta *Clement. generalem. de etat. & qualit.* anni 20. sufficiebant, modò post *Trid.* anni 23. requiruntur. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 12.*

3^{tio}. Debet esse in minoribus probatus, & quæ ad exercendum Ordinem pertinent, instructus. *Trid. l. c. cap. 13.*

4^{to}. Primum & primarium Diaconi officium est Sacerdoti sacrificanti assistere & ministrare, oblationem ad altare deferre. *can. perlectis. 1. dist. 25.* Evangelium predicare ex Episcopi, Prælati vel alterius habentis ad munus illud jurisdictionem licentia. *can. in sancta. 2. dist. 92.* Cum licentia Episcopi solemniter bapti-

zare. *can. Diaconos. 13. dist. 93.* Et in necessitate absente Episcopo & Presbytero minùs solemniter baptizare. *Gloss. in cit. can. Diaconos. verb. necessitas. can. constat Baptisma. 19. de consecrat. dist. 4.* Ex mandato Episcopi Eucharistiam administrare.

Quæres quinto. Quale nomen & officium Subdiaconi? *Re.* Subdiaconus Latine, Græcè Hypodiaton dicitur, quasi subministrans Diacono. *cit. can. Cleros. dist. 21.* Ex quo patet officium Subdiaconi; debet enim calicem & patenam ad altare deferre, Diacono tradere, ei ministrare, urceolum quoque aquæ & mantile tenere, Episcopo, Presbyteris & Diaconis pro lavandis ante altare mabus aquam præbere. *can. perlectis. 1. dist. 25.*

Quæres sexto. Quæ ætas & substantialia Subdiaconatûs? *Re. 1^{mo}.* Antiquitus sufficiebant anni viginti. *can. Subdiaconus. 4. dist. 77. cit. Clement. ult. de etat. & qualit.* Anni decem & octo: Hodie requiruntur viginti duo. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 12.* Nec ad Subdiaconatûs Ordinem promoveri debet, nisi post lapsum anni à postremi gradûs Ordinum minorum susceptione, nisi necessitas, vel Episcopi judicio aliud exoptulet Ecclesiæ utilitas. *Trid. l. c. cap. 11.*

2^{do}. Conveniunt ferè Theologi, substantialia Subdiaconatûs videlicet materiam consistere in traditione calicis vacui cum patena supposita ab Episcopo, formam esse: *Videte, cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere possitis.*

Quæres septimo. An Subdiaconatûs

Q 3

Ordo

Ordo sacer? *q.* Olim talis non fuit, *can. nullus, 4. dist. 60. can. quicumque, 3. dist. 77. junct. Gloss. verb. Subdiaconus.* Nec habebat annexum votum continentiae, quod Ecclesia Ordinibus sacris sub præcepto annexuit *cap. unic. de voto in 6.* Licet enim Ecclesia neminem absolute ad continentiam cogere valeat, eò quòd res sit meri consilii. *can. integritas, 13. caus. 32. q. 1.* Potuit tamen Ordini sacro, quem confert, apponere conditiones & leges illi convenientes, *Gloss. in cap. conjugatus. de convers. conjug. verb. continentiam.* Porro votum continentiae modò annexum esse patet *ex can. de iis, 5. dist. 28.*

Quæres octavo. Quid circa primam tonsuram observandum? *q.* Sequentia: *1mo.* Minoribus Ordinibus præmittenda prima tonsura. *cap. cum contingat, 11. de atat. & qualit. junct. gloss.* quæ est sacra caremonia, per quam aliquis ab Episcopo ad Statum Clericalem suscipitur. *2do.* Illa danda est ab Episcopo. *can. 1. dist. 69. 3tio.* Eà initiari non debet, qui Sacramentum Confirmationis non suscepit, *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 4.* Non est tamen de necessitate Sacramenti, ut Sacramentum Confirmationis primæ tonsuræ vel Ordinibus præmittatur. *S. Th. in suppl. q. 35. a. 4. 4to.* Tonsurandus septennio major esse debet. *cap. nullus, 4. de temporib. ordinat. in 6. junct. gloss. verb. infans. 5to.* Tonsurandus debet scire fidei rudimenta, item legere & scribere, *Trid. loc. cit. 6to.* Prima tonsura & Ordines minores non sunt conferendi, nisi iis, qui sincerum videntur habere affectum in Statu Clericali per-

manendi, *Trid. loc. cit.* Quamvis, qui eos susceperunt, ad majores Ordines ascendere, vel in Statu Clericali permanere non obligentur. *7imo* demùm. An prima tonsura sit Ordo, & consequenter Sacramentum, à Christo institutum, vel an caremonia Ecclesiastica ab ipsa Ecclesia introducta, gravis est controversia Canonistas inter & Theologos, Pro sententia affirmativa Canonistarum est *1mo.* *Can. Cleros. dist. 21. & can. perlectis. dist. 25.* Ubi inter Ordines Psalmistæ fit mentio. *In cap. cum contingat, de atat. & qualit. dicitur: Per primam tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam, Ordo Clericali confertur.*

2dum Fundamentum. Sub vocabulis Ordo, Ordines, ordinare absolute prolatis prima tonsura quoque intelligitur. Sic dum *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 8.* decernit, ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur, id etiam de prima tonsura procul dubio est intelligendum.

3tium Fundamentum. Primam tonsuram initiati beneficiorum Ecclesiasticorum capaces sunt, juxta *Trid. loc. cit. cap. 6.* quorum Laici, qui Ordinem non habent, incapaces existunt. *cap. ex literis. 6. de transact. cap. in Ecclesia, 2. de institut.*

Fundamentum Theologorum negantium est, quòd *Trident.* sepe semper primam tonsuram à minoribus Ordinibus distinguit, ut *Sess. 23. de reform. cap. 4.* ubi agit de prima tonsura, & *cap. 5.* ubi de minoribus Ordinibus tractat; ergo distinctionem inter primam tonsuram & Ordines minores aperte intinuat. *Ibid. cap. 6. Nullus primam tonsuram initiatus aut etiam in minoribus Ordinibus constituitur.*
ibid.

ibid. cap. 10. Tonsuram vel Ordines minores conferre. ead. Sess. de Sacram. Ordin. cap. 2. "Ut in ordinatissima Ecclesia dispositione plures & diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam Clericali tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent." Utraque sententia conciliatur, si dicatur Canonistas loqui de Ordine improprie dicto, in quantum scilicet est gradus quidam in ministeriis Ecclesiasticis: Theologos de Ordine proprie dicto, in quantum est Sacramentum, & characterem exprimit.

Quæres nono. Quot sunt Ordines minores? R. Sunt quatuor: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcizatus, & Acolythatus. Omnes esse Sacramenta docet S. Thom. in 4. dist. 24. a. 1. q. 3. Habentes hos Ordines matrimonium contrahere possunt, si ad superiores Ordines pro- vehi non velint, attamen beneficiis, si quæ antè habuerint, sunt privandi. *cap. 1. cap. quod à te. 3. cap. diversis. 5. de Cleric. conjug.* Non obstat *can. Lectores. 8. dist. 32.* "Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri." Quia verbum: *Cogantur*, idem significat, quod *moneantur*. Nec *can. Presbyteri. 9. dist. 34.* Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi vel deinceps ducendi uxores licentiam non habent, quia ly *deinceps* non ad inferiores Ordines, sed ad superiores, ut Archipresbyteratum, Episcopatum &c. est referendum.

Quæres decimo. Qui Ostiarii? R. Sunt Janitores, qui januis templi præficiun-

tur. *Can. Cleros. §. Ostiarii. dist. 21.* Materia hujus Ordinis est clavium Ecclesiæ traditio: Forma: *Sic agite, quasi reddaturi DEO rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur. can. Ostiarius. 19. dist. 23.* Officium Ostiariorum est, sacras Aedes custodire, aperire & recludere, Fideles recipere, Infideles & excommunicatos prohibere, & ingressos expellere. *can. perlectis. dist. 25.*

Quæres undecimo. Qui Lectores? R. Qui ex officio in Ecclesia sacras Lectiones legunt. Materia hujus Ordinis est codex, ex quo lecturi: Forma: *Accipite, & estote relatores Verbi DEI, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium, partem cum iis, qui Verbum DEI ministraverunt ab initio. can. Lector. 18. dist. 23.* Officium est: Lectiones clarè & distinctè pronuntiare, & ea, quæ dixerunt Prophetæ, populis annuntiare. *cit. can. perlectis. can. non liceat. 3. dist. 92.*

Quæres duodecimo. Qui Exorcista? R. Exorcista Latine dicitur adjurans vel increpans. *cit. can. Cleros.* Eidem pro materia traditur liber exorcismorum sub hac forma: *Accipe & commenda memoria, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum, sive catechumenum. can. Exorcista. 17. dist. 23.* Eorum officium est expellere Dæmones ex energumenis vel Dæmone obsessis. *cit. can. perlectis.* Exorcismus est: Dæmonis adjuratio, quæ non solum circa corpora obsessâ exercetur, verum etiam circa obsessâ per peccatum vel infidelitatem animas. *can. ante viginti. 55. de consecrat. dist. 4. can. sicut nostis. 62. ibid.*

Quæ-

Quæres ultimo. Qui Acolythi ? R. Acolythus Latine sequens dicitur, eò quòd sequatur Subdiaconum, illique ministret, vel aliter Ceroferarius dicitur, eò quòd ipsius sit ferre candelabrum cum cereo, quem etiam accendit. *cit. can. Cleros. §. Acolythi.* Materia hujus Ordinis est 2plex: Ceroferarii traditio cum

hac forma: *Accipe Ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesia luminaria mancipari in Nomine Domini.* Et traditio urceoli cum his verbis: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in Nomine Domini.* *can. Acolythus. 16. dist. 23.*



TITULUS DECIMUS-SEPTIMUS.

DE

ORDINATIONIBUS.

Ordinatio est Personæ Ecclesiasticæ consecratio, per quam gratia & potestas obeundorum Ecclesiasticorum munerum seu officiorum Ordinis confertur. Hanc materiam in

tres sphaeras divisimus, acturi §. 1mo. de eo, qui Ordines conferre potest. 2do de iis, qui ordinari possunt. 3tio de qualitatibus Ordinandorum.

§. Primus.

DE

Eo, qui Ordines conferre potest.

Quæres primo. Quis ordinare potest? R. Hoc proprium Episcoporum est officium. *can. perlectis. dist. 25. Concil. Trident. Sess. 23. de Sacram. Ordin. cap. 4. & can. 7.* Ordinandi potestas in characterè Episcopali fundatur, ideoque nec per privationem, nec degradationem, nec per ipsam mortem auferri potest; si enim Episcopus consecratus à mortuis resurgeret, absque nova ordinatione Ordines conferre posset.

Quæres secundo. Quæ requiruntur in Episcopo, ut ordinare valeat? R. Ut in ordinatione character & executio officii conferatur, duo in ordinante Episcopo requiruntur: 1mo dignitas Episcopalis. 2do jurisdictione Episcopalis, quæ non sit renuntiata, nec per censuram suspensa. *cap. fin. de ordinat. ab Episcop. qui renunt.* Ut conferatur character Ordinis, sufficit dignitas Episcopalis, sive quòd sit Episcopus consecratus.

Quæ-

Quæres tertio. An Episcopus, qui renuntiavit Episcopatu, executionem Ordinum nunquam dare possit? *ꝛ.* Si renuntiavit non solum Episcopatu, sed etiam dignitati Episcopali, tunc in solis minoribus Ordinibus executionem officii dare potest, si renuntiavit Episcopatu, & non dignitati, etiam in Ordinibus majoribus officii executionem dare potest. *cap. 1. de ordinat. ab Episcopo, qui renuntiav.* Ratio fundamentalis est: duo jura, ut dictum, in Episcopo ordinante concurrunt: jus imprimis dignitatis Episcopalis, personæ cohærens, quod habetur per consecrationem, & quia indelebile quoad habitum, semper in Episcopo manet consecrato, ideoque characterem Ordinis semper imprimi ordinando, attamen exercitio hujus Ordinis renuntiari potest, & tunc Ordinum executionem, Ordinis exercitio renuntians, dare nequit, quia nemo dat, quod non habet. *can. Daibertum. 24. caus. 1. q. 7.* Quod de solis majoribus Ordinibus intelligendum; quia minores Ordines etiam non Episcopi conferre possunt. Deinde in Episcopo administrante est jus administrationis loco, cui præsidet, cohærens, quod habetur per confirmationem. *cap. transmissam. 15. de elect.* Si Episcopus renuntiavit administrationi, sed non dignitati, potest omnia, quæ sunt Ordinis Episcopalis, & quoad habitum, & quoad exercitium, modò subditos habeat, quia autem per renuntiationem propriis caret subditis, ideoque si per invitationem alterius Episcopi tunc cui dentur subditi, illis tam in minoribus, quàm majoribus Ordinibus officii

R. D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.

dare potest executionem. Cum ordinato ad minores Ordines scienter, ad majores ignoranter (nisi crassa & supina fuerit ignorantia) ab Episcopo, qui dignitati renuntiavit, quoad officii executionem proprius dispensat Episcopus. *cit. cap. 1. de ordinat. ab Episcopo, qui renuntiavit.*

Quæres quarto. An Episcopus hæreticus, & excommunicatus vel suspensus Ordinum nunquam det executionem? *ꝛ.* Si non sit hæreticus vel excommunicatus denunciatus, vel notorius percussor Clerici, dat Ordinis executionem; quia propter constitutionem Concilii Constantiensis: *Ad evitanda.* Fideles cum excommunicatis non denuntiatis, nec notoriis Clerici percussoribus communicare possunt, quasi non essent excommunicati, si autem denunciatus, non dat officii executionem, attamen eum eo, qui ignoranter à tali Ordines suscepit, Episcopus dispensat. *cap. fin. de ordinat. ab Episcopo, qui renunt.*

Quæres quinto. An Prælati non Episcopi minores Ordines ex privilegio conferre valeant? *ꝛ.* Ex privilegio Apostolico Prælati non Episcopi primam tonsuram & quatuor minores conferre possunt. Ita Cardinales Presbyteri minores Ordines conferunt suis Familiaribus & Clericis suæ jurisdictionis, nec non Clericis ac Regularibus quibuscunque ad voluntatem suorum Ordinariorum.

Quæres sexto. Quibus Abbates primam tonsuram & minores Ordines conferre possunt? *ꝛ.* Abbates perpetui, Sacerdotes, Benedicti, usum mitræ & pædi habentes primam tonsuram & Ordines minores conferre possunt. *cap. Abba-*

R

tes.

ses. 3. de privileg. in 6. Sed solum Religiosis sui Monasterii & in suo tantum Monasterio, ut limitavit *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 10.* ita statuens: "Abbatibus ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus Diocesis consistentibus, etiam si nullius Diocesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre, non obstantibus quibuscunque privilegiis, praescriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorialibus."

Quæres septimo. An Abbates vel Praepositi non benedicti minores Ordines conferre possint? R. Carentes speciali privilegio id non possunt. Fit exceptio in cap. 1. de suppl. negl. Pralat. Si per Abbatem non steterit, quin benedicatur, sed per Episcopi duritiam, qui interpellatus noluit benedicere, Abbas confirmatus, ac si benedictus esset, suum officium exercere potest.

Quæres octavo. An Abbates Novitiis suis primam tonsuram & minores Ordines conferre valent? R. Doctores communiter negativam tenent; in materia enim odiosa Novitii nomine subditorum non veniunt, cum propriè loquendo subditi non sint. Cui non obstat, quod Episcopus Diocesanus Monasterii, in quo Novitius existit, cum ordinare possit, quia Episcopus Ordinis Minister est Ordinarius, Abbas Delegatus, & in privilegio sibi favorabili, Episcopis odioso: ideoque nequit agere ultra delegationem, quæ se tantum ad Religiosos sui Monasterii subditos extendit.

Quæres nono. An Abbas benedictus Religioso non subdito minores Ordines conferens validè ordinet? R. Gravis hæc est inter Canonistas controversia, Pignat. tom. 1. consult. 366. sustinet talem ordinationem invalidam esse quoad substantiam, ideoque taliter ordinatum iterum ab Episcopo ordinandum, Fagn. in cap. statuimus. de suppl. negl. Pralator. n. 12. & seqq. ex proposito tenet affirmativam, quia Tridentinum potestatem, quam habebant Abbates, ex jure antiquo per cap. Abbates. de privileg. in 6. conferendi Ordines minores etiam non Regularibus restrinxit quoad usum licitum, non quoad valorem; dicit enim: *Abbatibus non liceat.* Explicatio hæc confirmatur ex pluribus declarationibus S. Congregationis, Fagn. l. c. n. 33. hanc adfert: Cum nonnulli Abbates in Germania in vim privilegiorum ante Concilium obtentorum conferrent minores Ordines non subditis, & dubitatum esset, an Ordines collati essent validi: S. Congregatio censuit esse validos, non obstante cap. 10. Sess. 23. & ordinatos non egere aliâ ordinatione. Imò ipse Pignatelli aliàs contrarius pro hac parte adfert S. Congregationis declarationem.

Quæres decimo. An Abbates Clericis sæcularibus vel Religiosis non subditis Ordines minores licitè conferre possint, si ordinandi ab Episcopo habeant literas dimissorias? R. Si habeant literas dimissorias specialiter ad ipsos Abbates directas, & adsit licentia Episcopi, in cujus Diocesi Ordines conferunt, licitè Ordines conferre possunt. Ità probat novissimus Canonista Jac. Lus
Wex

Wex è Societ. *ESU in sua Ariadne. p. 5. tract. 3. controu. 1.* Et ita respondit S. Congregatio citata à *Paxjord. l. 3. tit. 6. n. 18.* Non obstat declaratio S. Congregationis Anno 1641. 23. Novemb. approbante Urban. VIII. data in hunc modum: Non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis vel Instituti, etiam si habeant literas dimissorias suorum Superiorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum Diocæssion fines ipsi Regulares ordinandi existunt, & multò minùs personis secularibus etiam habentibus literas dimissorias à suis Ordinariis. Quia declaratio illa intelligenda est, quòd Abbates Ordines conferre nequeant Clericis secularibus habentibus literas dimissorias generales ad quemcunque Antistitem Catholicum, quo nomine soli Episcopi in hac materia intelliguntur, vel Regularibus non subditis habentibus literas dimissorias, etiam speciales, ad tales Abbates à suis Superioribus Regularibus, non autem à propriis Episcopis directas. Ratio fundamentalis ex Fagn. est. Quandoque Prælati non Episcopis per privilegium Apostolicum datur Ordinis potestas, illa datur simili modo, quòd datur Episcopis in consecratione, quemadmodum igitur Episcopus consecratus non subditum inscio proprio Ordinario validè, consentiente autem proprio Episcopo, simul licitè ordinare potest, ita & Abbates habentes potestatem ordinandi ex privilegio personas in privilegio non expressas validè, ac etiam, si specialis consensus & proprii Episcopi deputatio accedat, licitè ordinare va-

lent. Et ita tenet praxis; quamvis enim similes Abbates ex privilegio Apostolico consecrare possint Calices, Altaria & proprias Ecclesias, attamen ex deputatione Episcopi quotidie consecrant Calices, Altaria & Ecclesias alienas.

Quæres *undecimo*. An ex privilegio Prælati non Episcopi majores Ordines conferre valeant? *R.* Summus Pontifex Sacerdoti potestatem Diaconatum & Subdiaconatum conferendi committere potest. Probatum ex *Trid. & Florent.* ubi dicitur, quòd ordinarius Ordinis Minister sit Episcopus, & consequenter extraordinarius alius ab Episcopo, simplex scilicet Sacerdos, esse potest. Et quamvis non constet, quòd summus Pontifex simplici Sacerdoti unquam Sacerdotium conferendi dederit facultatem, cum tamen de facto quandoque summus Pontifex tribuerit potestatem simplicibus Sacerdotibus conferendi Ordines Diaconatûs & Subdiaconatûs, dicendum est simplicem Sacerdotem posse esse ministrum extraordinarium Diaconatûs & Subdiaconatûs. Ita Innocent. VIII. Anno 1489. Abbati Cisterciensi & aliis quatuor primis Abbatibus, quorum Monasteria ex Cistercio immediatè fundata, & quatuor illius filiarum nuncupatarum, concedit, ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Diaconatûs & Subdiaconatûs Ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos idoneos repererint, Subdia- & Diaconatûs Ordines hujusmodi liceat ritè conferre. Hoc privilegium neque per Tridentinum revocatum, neque per non

usum abrogatum, sed adhuc in suo vigore perseverare recentioribus exemplis probat *cit. Wex p. 5, tr. 3. cont. 2.*

Quæres duodecimo. Quibus Episcopo Ordines conferre licet? *ꝛ.* Episcopus ordinare debet solum proprios subditos, cæteros verò non subjectos absque Ordina-

narii proprii licentia illicitè ordinat. *totà dist. 71. cap. cum nullus. de temp. ordinat. in 6. Trid. Sess. 23. de reform. cap. 8.* Porro ex 3plici capite fit aliquis Episcopo ordinanti subditus, vel ratione originis, vel ratione domicilii, vel ratione beneficii. *cit. cap. nullus. junct. gloss.*

§. Secundus.

D E

Iis, qui ordinari possunt.

Quæres primo. Quis subditus originis? Qui natus est intra Diocesim Ordinatoris. Non sufficit, quòd quis natus fortuito, ut dum parentes causâ itineris vel alicujus negotii reperiuntur in loco nativitatis, sed ibidem domicilium fixisse debent, sufficit tamen, quòd parentes in illo loco nati sint; quia in jure parificantur origo propria, & origo paterna. *L. assumptio. 6. §. filius. ff. ad municipalem.* In filiis naturalibus origo propria matris, non patris consideratur. In exposititiis, quorum parentes ignorantur, origo loci, in quo renati, vel illius, in quo expositi, attenditur. Quemadmodum autem per nativitatem temporalem propria acquiritur origo, ita etiam per Baptismum, qui dicitur spiritualis nativitas, per quam quis de novo nascitur. *cap. debitum. 4. de Bapt.* Intelligence de Baptismo in Parochia propria suscepto; sicut enim nativitas accidentalitatis in loco non facit originarium, sic ex eadem ratione nec Baptismus accidentalitatis. Conversi ad fidem illius loci, in quo baptizantur, sunt originarii, ibidem enim spiritualiter sunt renati.

Quæres secundo. Quis subditus domicilii? *ꝛ.* Qui de facto in Diocesim degit, vel moratur, cum animo perpetuo ibi manendi. Duo igitur ad habitationem simpliciter dictam requiruntur: *1mo.* Actualis habitatio. *2do.* Animus perpetuò habitandi, qui animus colligitur ex sequentibus: Imprimis si quis aliò se conferat, ac domum emat vel conducatur ad inhabitandum cum declaratione, quòd ibidem domicilium figere velit, illico sine ullo temporis lapsu domicilium acquirit, etiam si majorem partem suarum fortunarum illuc non contulerit, sicut econtrà, si aliquis aliò se conferat, cum declaratione ibidem non contrahendi domicilium, non acquirit habitationem, quamvis etiam totam suam substantiam illuc contulerit, vel longo ibidem tempore moratus fuerit, quia in iis, quæ ab animo pendent, potius declarationi expressæ, quàm facto statatur contrario. Quando non constat de certa animi declaratione ex verbis, fit conjectura ex facto, ita si quis per decem annos continuò in aliquo loco habitaverit, si cum

ma

maiores suorum bonorum partem vel familiam cum suppellectili transferat, domicilium contraxisse præsumitur. Item, si quis relegatus ad vitam in aliquo loco, vel ibidem perpetuum suscipiat officium, domicilium habere censetur. Econtrà, quando ex facto aliquod est indicium, quod præsumptionem animi perpetuò in illo loco manendi excludat, domicilium nunquam contrahitur, quamvis longo tempore ibidem sit moratus, vel omnia sua illuc contulerit. Sic Studiosi, Mercatores, Sollicitatores alicujus causæ, Legati, eorumque Ministri, etsi longo tempore studiorum, mercaturæ, litis, legationis causâ in aliquo loco substitute- rint, simpliciter domicilium non contrahunt, semper enim de reditu finitis negotiis cogitant: ideòque, quamvis ratione aliorum Sacramentorum subditi sint, cum quasi domicilium in loco, in quo morantur, contraxerint, subditi tamen non sunt cum respectu ad Sacramentum Ordinis, eò quòd in loco, in quo de facto subsistunt, simpliciter non habeant domicilium.

Quares tertio. Quis subditus ratione beneficii? *R.* Qui beneficium Ecclesiasticum intra Diœcesin ordinantis est consecutus. *cap. cum nullus. de tempor. ordinat. in 6. junct. gloss. verb. Ecclesiasticum.* Non obstat, quòd beneficium sit tenue, vel non exigat residentiam, vel non habeat certum Ordinem annexum, vel ad provisionem alterius Episcopi pertineat, modò tale beneficium de facto possideat ordinandus.

Quares quarto. An familiaris Episcopi, qui non est subditus originis, nec

domicilii, nec beneficii, ordinari possit ab Episcopo, cui inservit? *R.* "Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non potest, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsâ illi conferat." *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 9.* Si scilicet sit verus familiaris, qui alatur sumptibus Episcopi, certo ejus officio deputatus, ejusdemque commensalis, *cap. fin. de V. S. in 6.*

Quares quinto. Quid circa subditum proprium Episcopi ordinantis novissimâ constitutione sancitum? *R.* Innoc. XII. Anno 1694. in constitutione, quæ incipit: *Speculatores.* ad tollendos abusos & fraudes, quæ in ordinationibus subditorum alienorum contingere solebant, sequentia, quæ nos supra ex jure attulimus, statuit, declarando:

1mo. Ne ullus Episcopus vel cujusvis loci Ordinarius, etsi Cardinalatus fulgeat honore, exterum quempiam, ac sibi ratione originis vel domicilii legitime non subditum ad Clericalem tonsuram promoveat, cujusvis beneficii Ecclesiastici ei statim, ac hujusmodi tonsurâ insignitus fuerit, conferendi, vel ad quod is à Patronis jam præsentatus aut nominatus fuerit, prætextu, etiam si beneficium prædictum de novo eâ expressè lege adjectâ fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè post Clericalem characterem susceptum ad illud instituat.

2do. Clericus, qui legitime jam à proprio Episcopo ad Clericalem tonsuram, vel etiam ad minores Ordines promotus fuit, non potest ab alio Episcopo

ratione vel titulo cujuscunque beneficii in illius Diœcesi obtenti ad ultiores Ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi tam originis, quàm domicilii super suis natalibus, ætate, moribus & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curia conservandas exhibuerit.

310. Quamvis Clericus ratione cujuscunque beneficii in aliena Diœcesi obtenti subiciatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi hujusmodi beneficium est situm, nemo tamen ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem detractis oneribus per se sufficiat, illudque ab ordinando pacificè possideatur, sublatâ quâcunque facultate supplendi, quod deficit fructibus ejusdem beneficii, cum adjectione patrimonii pinguis, quod ipse ordinandus in eadem vel alia quavis Diœcesi obtinet, Episcopus etiam taliter ordinans tam de prædictis testimonialibus literis, quàm de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debet.

410. Subditus ratione originis is tantum esse intelligitur, qui naturaliter ortus est in eadem Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodò tamen ibidem natus non fuit ex accidenti occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuscunque alterius temporalis moræ vel permanentiæ ejus patris in loco; quo casu nullatenus ejusmodi

fortuita nativitas, sed vera tantum & naturalis patris origo est attendenda, si tamen tanto temporis spatio in eo loco, quo ex accidenti natus, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas testimoniales obtinere, illasque Episcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas, præsentare tenetur.

510. Si pater in alieno loco, in quo filius natus est, tamdiu ac eo animo permanerit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris sed domicilium per patrem, ut præfertur, pro ordinatione ejusdem filii attendendum.

610. Subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is solum censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeò stabiliter constituit in aliquo loco, ut vel per decennium habitando, vel majorem partem rerum ac bonorum suorum cum instructis ædibus in loco ejusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus in utroque casu se verè & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet, si tamen à proprio originis loco ordinandus in ea ætate discesserit, quâ potuerit aliquo canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas afferre debet, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum literis est facienda.

71mo. Nullus Episcopus alienæ Diocesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros vel minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, vel ordinare potest, absque proprii originis vel domicilii Prælati testimonialibus literis, & nisi ad præscriptum Tridentini Sess. 23. de reform. cap. 9. familiarem prædictum per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam sufficiat, quâcunque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis à die factæ ordinationis re ipsâ illi conferat. In testimonio ordinationis iterum expressæ familiaritatis ac literarum prædictarum mentio fieri debet.

8vo. Demùm Episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos Clericos quoscunque ab alienis Episcopis quâcunque autoritate etiam cum suis commendatitiis ordinatos ad formam *Trid. Sess. 14. cap. 3. de reform.* examinare potest, ac Ordinum collatorum testimonia recognoscere, assignato sic promotis termino competenti benè viso ad docendum eos omnia implevisse, ita ut, quos eo termino elapso id minimè præstitisse compererit, à susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quandiu ei expedire videbitur, suspendere, iisque, ne in Altari vel in aliquo Ordine ministrent, interdicerè possit.

Quæres *sexto*. Quis proprius Regularium quantum ad ordinationem Episcopus? *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 8. §. 10.* statuit, ut Regulares non nisi

à proprio Episcopo vel de ejus licentia ab alio majores Ordines suscipere debeant. Quis autem Religiosorum proprius sit Episcopus, patebit ex sequentibus:

1mo. Ex declaratione S. Congregationis, quam Anno 1596. Clemens VIII. omnibus Regularium Superioribus sub pœna privationis officii, dignitatis vel administrationis ac vocis activæ & passivæ observari præcepit. Superiores Regularium suis subditis Regularibus prædictis qualitatibus requisitis ad Ordines literas dimissorias concedant ad Episcopum Diocesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuit.

2do. Si Regulares degant in monasteriis sitis in locis nullius Diocesis, ab Episcopo viciniori ordinari debent, ut apud *Lezana* sacra Congregatio declaravit.

3mo. Habent quidem Regulares varia privilegia, vi quorum à quolibet Antistite Catholico ordinari possint, sed hæc per *Tridentinum* revocata sunt, post *Tridentinum* S. Pius V. Fratibus Mendicantibus concessit, ut à quocunque Antistite, Ordinarii loci minimè requisitâ licentiâ, sive in domibus eorundem Fratrum ad sacros Ordines promoveri possint, at hocce privilegium *Greg. XIII.* ad terminos juris communis & *Concilii Tridentini* reduxit. *Paulus III.* Societati *JESU* concessit, quòd Generalis Præpositus suos cuicunque Catholico Antistiti gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habenti præsentare valeat: quod confirmavit *Greg. XIII.* præcipiendo, ut promovendos ad Ordines, qui licentiam à Præposito Generali Societatis

pro

pro tempore existente vel ab eo Delegatis habuerint, absque proprii Ordinarii licentia ad Ordines promoveat, ubi etiam prohibet hujus gratiæ communionem iis, qui sua privilegia cum Societate participant, vel participare poterunt. *Compendium privilegiorum Soc. Jes. Verb. Ordines. §. 1. & 3.* Simile privilegium de Clericis Ordinis Melitensis refertur à Barbosa. Alii igitur Regulares, qui speciale privilegium post *Trident.* & constitutionem *Clement. VIII.* non habent, ab alio Episcopo quàm Diœcesano sui monasterii nequeunt ordinari.

4to. Quòd si Diœcesanus abfuerit, vel ordinationes habiturus non esset, Regulares ad quemcunque alium Episcopum mitti possunt cum hisce limitationibus: 1mo. Ut ab Episcopo, qui Ordines contulerit, examinatur quoad doctrinam, 2do. Ut Regulares dimissoriarum concessionem in id tempus, quo Diœcesanus vel abfuturus, vel ordinationes habiturus non esset, de industria non distulerint, 3tio. Ut Episcopo Diœcesano absente vel ordinationes non habente in literis dimissoriis causa absentiae Diœcesani, vel ordinationum ab eo non habitaram exprimat. Ita declaratio Cardinalium citata ac probata à *Clem. VIII.*

5to. Si Episcopus Diœcesanus ordinationem quidem habeat, sed hunc Religiosum ordinare recuset, literæ dimissoriæ ad alium Episcopum dari non possunt, sed si Regularis ordinari petens sit gravatus, per appellationem vel recursum ad altiores Superiores sibi prospicere poterit. *S. Congreg. apud Pignat. tom. 9. con. 189. n. 139.*

6to. Sede vacante Regulares dimissorias nullâ licentiâ Vicarii Capitularis peritâ concedere possunt. *S. Congreg. cit.*

Quares septimo. Quibus Episcopis alienos ordinare specialiter prohibetur? *Re. 1mo.* Nec Græci à Latinis, nec Latini à Græcis ordinari possunt, *cap. cum secundum. 9. de tempor. ordinat.* Si Clericus Græcus Episcopo Latino subiectus à Græco Pontifice ordinatur: nisi de mandato vel licentia sui Episcopi fiat, interdicens da est ei Ordinis executio sic suscepta tanquam ab alieno Pontifice sine mandato & licentia sui Episcopi ordinato. Verò de mandato & licentia sui Præsulis Græco Pontifice secundum morem Græcorum fuerit ordinatus, licet culpanda sit Episcopus Latinus, qui Clericos suos à Græco facit Antistite ordinari, quoad tamen talis mos ab Ecclesia toleratur impediri non debet ab executione Ordinum taliter susceptorum. *cap. quod trans lationem. 11. de temp. ordinat.*

2do. Episcopi Italiæ Ultramontanæ qui Episcopi sui licentiam habere nequeunt sine consensu Papæ ordinare prohibentur. *cap. 1. de temp. ordinat. in 6. nisi sit Regularis, ut declaravit S. Congregatio.*

3tio. Summus Pontifex ob summam quam in universam Ecclesiam habet, potestatem, quemlibet Clericum ordinare potest. *can. per principalem. 123. caus. 1. q. 1. can. nunc verò. 20. caus. 9. q. 3.* Ordinatus tamen à Papa, v. g. Subdiaconus, sine ejus licentia ad altiores Ordines promoveri ab Episcopo nequit. *can. filium. 122. caus. 1. q. 1. cap. cum in distribuendis. 12. de temp. ordinat.*

Quares octavo. Quid sunt literæ dimissoriæ

missoriae? R. Literae dimissoriae, quae etiam appellantur Reverendae, sunt illae, quas Superiores suis subditis concedunt, ut ab aliis ordinari possint. Ita eas vocat *Trid. Sess. 7. de reform. cap. 10. & Sess. 23. de reform. cap. 10.* Differunt literae dimissoriae 1mo à literis testimonialibus vel recommendatiis, quod illae sint nudum de qualitatibus ordinandi testimonium, literae dimissoriae praeterea jurisdictionem concedunt. Differunt à licentia ordinandi, eò quod licentia ordinandi Episcopo, ut in aliena Diocesi ordinare valeat, indulgeatur, quae insuper vocaliter tribui potest, literae dimissoriae conceduntur subditis, ut ab alieno Episcopo ordinari possint, & quidem in scriptis expresso Ordine, qui vigore illarum conferendus, aliàs per facultatem recipiendi Ordines minores vel Ordines tantum non comprehenduntur Ordines majores. *Arg. cap. 1. de temp. ordinat.* Literae dimissoriae aliae generales, in quibus persona non exprimitur, veluti, quod à quolibet Episcopo valeat ordinari: aliae speciales, in quibus, quod quis à tali vel tali Episcopo ordinari possit, exprimitur, & tunc ab alio, quam expresso ordinari nequit; quia expressio unius est exclusio alterius. *cap. nonne. 5. de presumpt.* Ita ut, si subditus Trevirensis haberet literas dimissorias ad Episcopum Colonensem, Episcopus Leodiensis de licentia Colonensi in Diocesi Colonensi ordinans talem Trevirensis ad Ordines promovere non posset; quia Episcopus de licentia in aliena Diocesi ordinans solum ordinare potest personas subiectas Episcopo ordinandi licentiam

R. D. Schnorrenberg *Instit. 7. Can.*

concedenti, ut declaravit *Trid. Sess. 6. de reform. cap. 5.*

Quaeres nono. Quis literas dimissorias dare potest? R. 1mo. Summus Pontifex omnibus Christianis, ut patet. 2do. Proprius Episcopus suis subditis. *cap. nullus. 4. de tempor. ordinat. in 6.* Qualiter autem Episcopi subditis suis dimissorias dare debeant, exprimitur à *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 3.* "Episcopi per semet ipsos Ordines conferant, quod, si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant." *Et Sess. 7. de reform. cap. 11.* "Facultates de promovendo à quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimentam, & tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diocesi residenti, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti praevio examine." Ex quibus

Colliges, quod vi dimissoriarum ordinandus & ab Episcopo dimittente, & ab Episcopo ordinante examinari debeat, & si vi dimissoriarum ad Ordines promotus inhabilis esset, dans dimissorias tutus non foret in conscientia.

3tio. Episcopi Superior, vel Archiepiscopus subdito Suffraganei literas dimissorias dare nequit, nec Praelati Episcopi inferiores, sive Religiosi, sive Saeculares suis subditis literas dimissorias citra speciale Sedis Apostolicae indultum concedere possunt. *cap. cum nullus. 3. de temp. ordinat. in 6. Trid. Sess. 23. de reform. cap. 10.* Nec Vicarius Episcopi sine

S

spe-

speciali mandato extra casum longævæ
absentiæ literas dimissorias dare potest.
“Non licet Capitulis Ecclesiarum, Sede
“vacante, infra annum à die vacationis
“ordinandi licentiam, aut literas dimif-
“sorias, tam ex juris communis disposi-
“tione, quam etiam cujuscunque privi-
“legii aut consuetudinis vigore, alicui,
“qui beneficii Ecclesiastici recepti aut
“recipiendi occasione arctatus non fue-
“rit, concedere.” *Trid. Sess. 7. de re-
form. cap. 10.*

410. Literæ dimissoriæ non expirant
morte naturali, vel civili, ut amotione
ab officio, vel consimili mutatione con-
cedentis: Prælatus tamen novus con-
cessas ab antecessore dimissorias execu-
tioni nondum mandatas per edictum ge-
nerale ex causa revocare non prohibetur.

Quæres decimo. In quibus casibus ali-
quis ab alieno Episcopo absque dimisso-
riis ordinari possit? R. In duobus: 1mo.
Si proprius Clerici Episcopus à collatio-
ne Ordinum notoriè sit suspensus, eò
quòd alienos subditos ordinaverit. *cap.
eos qui. 2. de temp. ordinat. in 6. junct. gloss.*

2do. Si ordinandus per triennium co-
habitaverit Episcopo alieno, à quo be-
neficium accepturus est, ut supra.

Quæres undecimo. Qualiter in susce-
ptione Ordinum servanda interstitia? R.

1mo. *Trid. sess. 23. de reform. cap. 11.*

13. & 14. Varia de tempore interme-
dio, quo Ordines gradatim suscipiuntur,
disponit, ut etiam minores Ordines
per temporum interstitia conferantur,
nisi aliud Episcopo magis expedire vide-
bitur, ut in unoquoque munere juxta
prescriptum Episcopi se exercent, prius-

quam ad altiorem gradum ascendant,
ut ad majores Ordines ascendere non
possint, nisi post annum à susceptione
minorum, & similiter ab uno ex factis
ad alium non nisi post annum, si ob Ec-
clesiæ utilitatem vel necessitatem aliud
Episcopo non videbitur.

2do. Hæc interstitia non computan-
tur mathematicè, sed moraliter, & suf-
ficat, quòd annus interponendus sit lu-
naris sive Ecclesiasticus, ut, qui hoc an-
no ordinatus Subdiaconus in Quadra-
gesima, altero anno in Quadagesima
ordinari possit Diaconus, quamvis Pa-
scha maturius celebrari contingat. *Idem
S. Congreg.*

3tio. Non possunt eadem die confer-
ri duo Ordines, etiam non obstantibus
quibuscunque privilegiis, quæ per *Trid.
cit. loc. cap. 13.* sunt revocata. Nec possunt
duobus diversis diebus continuato jeju-
nio duo Ordines sacri conferri, quia
continuatio jejunii fictione juris facit
eamdem diem Ecclesiasticum. *cap. literas.
13. de temp. ordinat.*

4to. Non potest eadem die dari Sub-
diaconatus cum quatuor Minoribus. *cap.
cum lator. 2. de eo, qui furtivè ordin. suscep.*
Ubi taliter promotus à Subdiaconatu
manet suspensus, & generaliter, dum
duo Ordines sacri eadem die conferun-
tur, collator suspensionem à collatione
talium Ordinum, & Ordinatus suspen-
sionem ab executione secundi Ordinis
malè suscepti usque ad beneplacitum &
dispensationem Sedis Apostolicæ in-
currit.

5to. De consuetudine, quæ à *Tri-
dent.* non videtur reprobata, eadem
die

die prima tonsura cum minoribus Ordinibus confertur.

6to. Regularibus dispensationem in interstitiis quoad minores Ordines Prælati, qui eos conferunt, dare possunt, quoad sacros dispensat Episcopus, quoad causas tamen cognoscendas ex attestatone superiorum Regularium iudicium formare debet. Ita S. Congreg. apud Piazzium in prax. Episcop. p. 1. cap. 1. n. 50. Patres Societatis JESU sine observatione interstitiorum tribus Dominicis vel aliis festis diebus etiam continuis ex privilegio Greg. XIII. ad S. Ordines promoveri possunt.

7imo demum non solum Episcopus, sed etiam Sede vacante Capitulum vel ejus Vicarius super interstitiis, in casibus, in quibus dat dimissorias, dispensandi habet facultatem.

Quæres duodecimo. Quale examen, ne imperiti, inhabiles & defectum patientes promoveantur, ordinationi præmittendum? R. Præmittendum est 3plex examen, 1^{um} fit in loco, in quo versatur promovendus, de quo *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 5.* "Ad minores Ordines promovendi bonum à Parocho & à Magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant, hi verò, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderijs eorum, qui volunt promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita à fide dignis diligenter

"inquirat, & literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat." Hucusque *Trident.* Pro Regularibus Superiorum sufficit attestatio.

2^{dum} examen est proximè ante ordinationem coram Episcopo & Examinatoribus. *can. nullus. 2. can. quando. 5. dist. 24. Trid. l. c. cap. 7.* "Omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, Feriâ quartâ ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur, Episcopus autem Sacerdotibus & aliis prudentibus Viris peritis Divinæ Legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter investiget & examinet." Ab hoc secundo examine non sunt liberi Regulares, privilegiis eorum hac in parte post *Trident.* minimè suffragantibus. *Piazzius. cit. n. 49.*

3^{tium} est in ipsa ordinatione, dum Episcopus interrogat Archidiaconum, an sciat presentatos ad Diaconatum & Presbyteratum esse dignos? De quo in *cap. unic. de scrutinio in ord. faciend.*

Qui scrutinium subterfugiens furtivè Ordines suscepit, sese ordinandorum multitudini Episcopo ignorante ingendo, privatur spe majorum Ordinum, & Ordinis illius, quem suscepit, & si excommunicatus, à solo Papa restituitur. *cap. 1. & 2. de eo, qui furt. ord. suscep.*

Quæres ultimo. Quâ solemnitate Ordines conferendi? R. 1^{mo}. 2plex in conferendis Ordinibus servanda est solemnitas:

tas : alia siquidem est solemnitas temporis, alia ordinationis. Circa solemnitatem temporis observanda sunt sequentia:

1^{mo}. Prima tonsura, quia est voluntariae jurisdictionis, omni die ad ordinantis libitum intra vel extra Diocesim conferri potest.

2^{do}. Minores Ordines intra Diocesim diebus Dominicis & festivis conferri possunt, quodcumque Episcopo libuerit. *can. quando. 6. dist. 75. cap. de eo. 3. de temp. ordinat.*

3^{io}. Majores Ordines solum conferri possunt in sex Sabbathis, nimirum in Sabbathis quatuor Temporum, in Sabbatho ante Dominicam Passionis, & in Sabbatho Sancto. *cit. cap. de eo. Trident. Sess. 23. de reform. cap. 8.* Rationem dat Catechismus Romanus: Statutis tantum diebus, quibus solemnia jejunia ex vetustissimo Catholicae Ecclesiae more indicuntur, ordinationes fiunt, ut fidelis populus ejusmodi rerum sacrarum ministros piis & sanctis precationibus a DEO impetret, qui ad tanti ministerii potestatem recte & cum Ecclesiae utilitate gerendam aptiores videntur.

4^{to}. Excipiuntur duo casus: 1^{mo}. Si tanta ordinandorum multitudo, ut nequeant omnes ordinari in Sabbatho, tunc in sequentem diem Dominicum ordinatio differri potest. 2^{do}. Si tam ab ordinando, quam ab ordinante jejunium usque in sequentem diem servetur. *Can. quod a Patribus. 4. dist. 75.*

5^{to}. Summus Pontifex promovendi ad S. Ordines extra tempora facultatem concedere potest, sic Mendicantes & cum iis in privilegiis communicantes ex

privilegio Clem. VIII. & Patres Societatis JESU ex privilegio Greg. XIII. extra tempora ordinari possunt.

6^{to}. Absque privilegio extra tempora ordinatus per constitutionem Pii II. ab Ordinis executione suspenditur, donec cum eo a Papa, si suspensio notoria, vel ab Episcopo, qui scilicet in culpa non fuit, si occulta, dispensetur. Ordinans sine privilegio extra tempora tanquam sacrorum Canonum violator suspensione a collatione Ordinum est puniendus. *cap. cum quidam. 8. de temp. ordinat. junct. gloss. verb. canonica. cap. sane. 2. cap. literas. 13. ibid.*

7^o. 2^{do}. Solemnitas ordinationis consistit in sequentibus: 1^{mo}. In collatione Ordinum majorum, non minorum, Missa ab ordinante de necessitate precepti, non autem Sacramenti celebranda est. *Gloss. in cap. quod sicut. 28. de elect. verb. dividatur.*

2^{do}. Conferendi sunt gradatim, incipiendo a prima tonsura. *can. si officia. 2. dist. 59. cap. unic. de Cleric. per saltum promot.* Imprimatur tamen character superioris Ordinis, qui praetermissio inferioris collatus est, at ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti, usque dum Ordinem praetermissum suscipiat, suspenditur. *cit. cap. unic. de Cleric. per saltum promot.*

3^{io}. In Ecclesia Cathedrali, vel alia ex dignioribus solemniter fieri debet ordinatio, vocatis praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis. *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 8.*

4^{to}. Omnino gratis habenda est ordinatio. *can. ordinationes. 113. can. de ordi-*

ordinationibus. 116. can. quibusdam. 117. caus. 1. q. 1. Et novissimè Trident. Sess. 21. de reform. cap. 1. ita statuit: "Nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec pro alia quacunque de causa etiam spontè oblatum, Episcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant, Notarii verò in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex iisdem Ordinum collationibus directè vel indirectè provenire possit, tunc enim gratis operam suam eos præ-

stare omnino teneri decernit: contrarias taxas, statuta & consuetudines etiam immemorales quorumcunque locorum, quæ potiùs abusus & corruptelæ, simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando & interdicendo, & qui secùs fecerint tam dantes quàm accipientes ultra Divinam ultionem pœnas à jure infligatas ipso facto incurrant." Hucusque Trident.

5to. Ordinatio semel facta, licèt in ea sit quid prætermissum, non iterabitur, sed quantum fieri potest, id, quod per errorem prætermissum est, cautè supplendum. cap. fin. de Sacrament. non iterand. arg. cap. unic. de Clerico per salt. promot. Ubi Clericus, qui omisso Diaconatu Presbyteratum susceperat, non denuo Presbyter, sed Diaconus ordinari præcipitur; nisi omnino contra Ecclesiæ formam facta fuisset ordinatio.

J. Tertius.

DE

Qualitatibus Ordinandorum.

Quæres primo, Quæ requiruntur in ordinando qualitates? *1mo.* Debet esse masculus, fœminæ enim de jure Divino eorum, quæ sunt Ordinis, incapaces existunt. *cap. nova. 10. de pœnit. & remiss.* Ubi Innocent. III. *Licèt Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves Regni Calorum commisit.*

2do. Debet esse baptizatus; character

enim Ordinis de sui necessitate characterem Baptismi præsupponit. *cap. 1. cap. veniens. 3. de Presbyt. non baptizat.*

3tio. Confirmatus, non de Sacramenti, sed de præcepti graviter obligantis necessitate.

4to. Legitimam ætatem adeptus, de qua suprâ. Qui ante legitimam ætatem sacros Ordines suscipit, de jure communi usque ad legitimam ætatem est suspendendus. *cap. vel non est. 14. de temp. ordinat.*

dinat. Per constitutionem Pii II. quæ incipit: *Cum ex sacrorum.* ipso facto suspensionem incurrit, à qua, etsi ætatem à *Trident.* requisitam attigerit, non nisi per summum Pontificem absolvitur, Episcopus ordinans puerum vel impuberem à collatione Ordinum suspenditur, *cit. cap. vel non est.*

5to. Literatus, ita ut sciat implere officium & functionem Ordinis, ad quem aspirat.

6to. Liber à vitiis animi, corporis & originis.

7tmo. Solutus à vinculo personali vel civili.

8vo. Provisus de titulo sustentationis.

Quæres *secundo.* Qui animi laborant vitio? *1^{mo.}* Amentes, furiosi, à Dæmone possessi, *can. maritum. 2. dist. 34.*

2do. Graviori aliquo crimine commaculati, ut Hæretici, Schismatici, &c. *can. si quis. heretica. 42. can. Arianos. 73. caus. 1. q. 1. Simoniaci. cit. can. maritum.*

3tio. Homicidæ voluntarii & culpabiles, *cap. 1. de homicid.* "Qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, inquit *Trid. Sess. 14. de reform. cap. 7.*"

4to. Censurâ aliquâ irretiti, qui, si Ordines suscipiunt, fiunt irregulares, sicut si in Ordine ministrassent. *dist. 81. per totum. cap. fin. de eo, qui ord. furt. suscep. cap. cum illorum. 32. de sentent. excomm.*

5to. Infames infamiâ juris vel facti. *can. infames. 17. caus. 6. q. 1. cap. fin. de*

testib. Cap. Omnipotens DEUS. 4. de accusation. cap. infamibus. de Regul. Juris. in 6.

6to. Qui publicam pœnitentiam pro gravi & publico delicto egerunt, *cit. can. maritum. dist. 33. can. ex pœnitentibus. 55. dist. 50.*

Quæres *tertio.* Qui laborant vitio corporis? *1^{mo.}* Omnes qui habent defectum corporis vel ordinis executionem impediendem, vel magnam deformitatem inducentem, si hoc ex carentiâ membri cujusdam, sive ex debilitate vel infirmitate alicujus contingat, ut non nisi cum scandalo vel horrore in Ordinibus ministrare possit, qualem habent laborantes continuâ podagrâ, obnoxii morbo comitiali vel caduco, infecti leprâ &c. *cap. 1. de corpore vitiat. Quis autem defectus sit hic & nunc notabilis Episcopus determinabit.*

2do. Si quis per alium sit mutilatus, non tamen membro principali, quamvis non sine culpa mutilationem passi, qui directè non fuit cooperatus, si absque scandalo functiones Ordinis exercere potest, ad Ordines admittitur. *cit. cap. 1.* Non tamen, qui cum sua culpa absque directâ cooperatione membrum principale amisit, licet occultum, nec Ordinis usum impediens. *cap. fin. de corpore vitiat.* Membrum principale hic dicitur, quod ab aliis partibus distinctum officium habet, ut oculus, manus, pes, &c.

3tio. Si quis sibi ipsi membrum vel partem membri præscidit, est irregularis, nec ad Ordines admittendus, sive mutilatio usum Ordinis notabiliter impediat, vel deformitatem inducat, sive non. *can. pœnitentes. 3. can. si quis abscedit.*

dit. 4. can. qui partem. 6. can. si quis pro
agritudine. 9. can. lator. 11. can. si Evange
lica. 13. dist. 55. Dummodò mutilatio
tanta sit, ut sine peccato mortali fieri
non potuerit, aliàs si quis membrum sine
sua culpa perdidit, quod nec Ordinis
executionem impedit, nec notabiliter
difformem reddit, ad Ordines promo
verì non prohibetur. In hac irregulari
tate dispensare ad summum Pontificem
pertinet. Cui non obstat *cap. significavit.*
4. de corp. vitiat. Illud enim loquitur de
dispensatione ab Episcopo facta authori
tate Apostolicâ.

Quæres quarto. Qui laborant vitio
originis? *Re. 1mo.* Omnes filii Presbyte
rorum, aliique illegitimi extra matri
monium procreati. *cap. 1. cap. ad hæc.*
12. de filiis Presbyt. Ex triplici autem cau
sa ab Ordinibus excluduntur: ob excel
lentiam Sacramenti, in detestationem
paterni criminis, ob timorem, ne hæ
reditaverint paternam incontinentiam.

2do. Vitio originis laborant hæreti
corum eorumque fautorum & defenso
rum filii, qui usque ad secundam gene
rationem ad Ordines non sunt admitten
di. *cap. quicumque. 2. §. hæretici. cap. sta
tutum. 15. de hæreticis. in 6.* Nati ex Ju
dæis vel Gentilibus, qui fidem suscepe
runt, ad Ordines promoveri possunt;
de Judæis enim & Gentilibus conversis
fundata est Ecclesia. *Gloss. in cap. eam te.*
7. de rescriptis. verb. Judæus. Et non ge
neris, sed virtutum nobilitas, vitæ quo
que honestas gratum DEO faciunt &
idoneum servitorem. *cap. Venerabilis.*
*37. de præbend. cap. ad decorem. 5. de in
firmis.* Neophyti noviter ad fidem con

versi non facilè statim ad Ordines pro
moveantur. *can. Monasteriis. 6. caus.*
19. q. 3.

Quæres quinto. Quomodo cum ille
gitimis dispensatur? *Re. 1mo.* Illegitimi
in Ordine Religioso professi ad Ordines,
non ad dignitates, officia & curam ani
marum promoveri possunt. *cap. 1. de
filiis Presbyt.*

2do. Ex dispensatione Episcopi illegi
timi Ordines minores suscipere, & be
neficia simplicia obtinere possunt. *cap. 1.*
de filiis Presb. in 6. Non tamen majores,
nec beneficia curata obtinere, quamvis
defectus natalium sit occultus; Episcopus
enim ulterius dispensare non potest, quia
Trid. Sess. 24. de reform. cap. 6. dans Epi
scopis facultatem dispensandi in irregu
laritate, loquitur de occulta irregulari
tate, quæ ex delicto, intellige: pro
prio, orta est.

3tio. Dispensatus illegitimus à summo
Pontifice majorum Ordinum capax exi
stet, si tamen Pontifex in dispensatione
non exprimat, quòd ad omnes promo
verì possit, dispensatio de minoribus in
telligenda est, cum dispensatio stricta sit
interpretationis. *cap. 1. §. ille vero. de filiis
Presbyt. in 6.* Ita etiam dispensatio ad be
neficia de simplicibus est intelligenda.

4to. Quamvis dispensatio Pontificis
illegitimum ad beneficia habilem faciat,
non tamen habilitat eum ad beneficia in
eadem Ecclesia, in qua pater præest, præ
fuit, vel beneficium habuit. *cap. 2. §. 3.*
de filiis Presbyt. Trid. Sess. 25. de reform.
cap. 15. Quinimò filius legitimus patri
in eodem beneficio immediatè succedere
nequit. *cap. ad extirpanda. 11. de filiis
Presbyt.*

Presbyt. Quamvis in eadem Ecclesia, in qua pater beneficiatus, beneficium obtinere valeat. Mediata successio in jure prohibita non est. *cap. ex transmissa. 7. de filiis Presbyt.* Bene tamen ex constitutione Clement. VIII.

Quæres *sexto.* Quo vinculo debent esse expediti, qui ad Ordines, maximè sacros, promoventur? R. Quadruplici: reali, personali, civili & matrimoniali, *imo.* Vinculo reali impediuntur omnes, qui ad reddendas publicas rationes obligati ob aliquam administrationem, ut Syndici Universitatum vel Collegiorum, Tutores, Curatores, testamentorum Executores, &c. *Can. legem. dist. 53. can. magnus. 3. dist. 54. cap. unic. de obligatis ad ratioci.* Ratio est; quia curis & negotiis hi ita distrahuntur, ut Ordinum ministerio vacare nequeant, & talium promotione Ordini Clericali nota timenda foret, si non potentes rationes reddere ad fugiendam jurisdictionem Laicalem Ordines susciperent. Fiunt sequentes limitationes: imprimis non prohibentur promoveri debitores Reipublicæ ex alia causa, quàm administrationis, veluti ex mutuo, conductione, emptione, etiam obligatione adhuc pendente, nisi are alieno gravatus tantùm in bonis non haberet, ut satisfacere posset. Deinde nec administratores Ecclesiarum, miserabilium personarum, vel cujuslibet alterius causæ piæ publicæ vel privatæ etiam administratione pendente. *Can. fin. dist. 86. can. indicatum. 5. dist. 89.* Item qui ratiociniis quidem publicis astricti, fidejussores tamen adhibent, qui se ut principales constituent, vel à dandis rationibus sunt absoluti.

2do. Vinculo personali impediuntur servi, ut videre est *titul. de servis non ordinand. § dist. 54. per totum.* Et ratio est partim justitiæ, ne domino ex re sua illi subtracta fiat injuria; partim Religionis, quia ministerio Ordinis vacare non potest servus, si in servitio domini relinquatur. *can. quicumque. 5. dist. 54. cap. 2. de servis non ordinand.* Limitatur: Hæc intelligenda sunt, quamdiu servitus durat, & dominus non consentit, sive expressè. *cit. cap. 2.* sive tacitè, si servum ordinari sciat, & non contradicat. *can. si servus. 20. dist. 54.* Vel si intra annum à die scientiæ servum esse ordinatum illum non repetat. *cit. can. si servus.* Servus ordinatus domino ignorante vel contradicente validè quidem Ordinem suscepit, si tamen solum in minoribus Domino repetenti restituitur, & ab executione Ordinum deponitur. *can. ex antiquis. 9. can. frequens. 10. dist. 54. cap. 2. de serv. non ordinand. junct. gloss.* Sacerdos ordinatus absque consensu Domini ob reverentiam Sacerdotii in gradu suo permanet, peculii tamen amissione mulctatur, quod cedit Domino, si aliquid habet. *cit. can. ex antiquis.* Ordinans scienter servum invito Domino, servum quidem per ordinationem liberum facit, at tamen Domino duos alios servos atque idoneos dare debet. *can. si servus absente. 19. dist. 54.* Ad servos reducuntur liberti, qui manumissi Domino vel patrono suo adhuc ad quædam officia temporalia obligantur; "nam à servitio humano liber recedat, qui Divino amore districtiorem subire appetit servitutem." *can. fin. dist. 54.* Coloni originarii vel ad-

adscripti, qui terræ colendæ perpetuò sunt adscripti, Curiales, qui in quacunque seculari Curia in caulis sanguinum sunt ministri, demum Monachi, qui sine consensu Abbatis ordinari non possunt. *can. 1. dist. 58. cap. ad aures. 5. de tempor. ordinat.*

3tio. Vinculo civili ab Ordinibus excluduntur bigami. *cap. 1. & 2. de bigam. non ordinand. cap. unic. eod. in 6.* non ratione peccati, quod transiens ad secundas nuptias non commisit. *can. fin. dist. 26. can. aperiant. & seq. caus. 31. q. 1.* sed ratione defectus significationis; matrimonium enim carnale ad significandum matrimonium spirituale, quod Christus per incarnationem cum Ecclesia veluti cum Sponsa sua contraxit, institutum est, hoc unionis mysterium matrimonium bigami perfecte non significat, ideo à susceptione Ordinum in Ecclesia excluditur, etiam ab initio nascentis Ecclesiæ, ut videre est ex Canonibus Apostolorum, & *cap. fin. de bigamis non ordinand.*

4to demum vinculo Sacramentali matrimonii. Vir, qui de facto est in matrimonio absque licentia uxoris, vel non facto divortio ab uxore ob adulterium, ordinari prohibetur.

Quæres septimo. Quotuplex bigamia ab Ordinibus excludens? R. 3plex: Vera, interpretativa & similitudinaria. In bigamia vera & interpretativa solus summus Pontifex, in similitudinaria Episcopus dispensat. Ordinans bigamum sine dispensatione potestate ordinandi, & ordinatus executione Ordinis privantur.

1mo. Bigamia vera est in eo, qui cum

R.D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.

pluribus successivè contraxit, & consummavit matrimonium. *can. 4. & 5. dist. 26.* ita, ut, qui ante Baptismum uxorem habuit, & post Baptismum aliam duxit, sit bigamus, nec ordinari possit. *can. 1. 3. & 4. dist. 26. can. si quis viduam. dist. 34.* Baptismus enim tollit quidem crimina & provenientem inde irregularitatem, defectum tamen significationis ex divisione carnis per plura matrimonia successivè consummata non impedit, cum Christus sibi perpetuò unicam copulaverit Ecclesiam.

2do. Bigamia interpretativa est, quando verè non intercessit duplex matrimonium in eodem viro, sed interpretativè carnem suam vir divisit, quod in sequentibus est casibus: 1mo. Si vir contraxit cum una sola, & consummavit, quæ cum alio consummaverat matrimonium. *can. si quis viduam. 8. dist. 50. can. curandum. 9. dist. 34.* 2do. Si consummavit matrimonium cum ea, quæ ab alio per fornicationem corrupta. *can. maritum. 2. dist. 33.* 3tio. Si contraxit & consummavit cum virgine matrimonium, quam post commissum ab eadem adulterium cognovit. *can. si quis. can. si Laici. dist. 34.* Hujus bigamiæ ratio in hoc consistit, quòd sit unus cum ea, quæ carnem suam in plures divisit, ita, ut & ipse in plures divisisse censeatur, ubi non est facienda distinctio inter scientem & ignorantem, cum non agatur de vitio, quod causat voluntas, sed de significationis defectu, quam etiam ignorans patitur. 4to. Qui cum una contraxit & consummavit matrimonium validum, & cum alia ivalidum, vel cum duabus

T

de

de facto nulliter contraxit matrimonium. *cap. nuper. 4. de bigam. 5to.* Qui cum vidua vel corrupta nulliter contraxit, & consummavit matrimonium, quia propter affectum intentionis opere securo duorum fit interpretatio matrimoniorum.

3tio. Bigamia similitudinaria est, quando in Ordinibus sacris constitutus, vel voto solemniter Religionis astrictus cum aliqua etiam Virgine contrahit, & consummat matrimonium. *can. quotquot. 24. caus. 27. q. 1.* Ratio est; quia postquam per Ordinem sacrum vel votum solemniter spiritualiter & similitudinariè matrimonium cum Christo contraxit, dum cum alia matrimonium carnale contrahere & consummare attentat, adest duplicis similitudo matrimonii.

Quæres octavo. Qualis ad ordinationem requiritur titulus? R. Nullus ad aliquem sacrum Ordinem promoveri potest, nisi prius de titulo, unde commodè sustentari valeat, provisus fuerit. *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 2.* Ubi præcipit ad sacros Ordines non esse promovendos, qui beneficium Ecclesiasticum, pensionem vel patrimonium, quod ad victum sibi honestè sufficiat, pacificè non possideant, vel ut addit S. Pius V. professionem in Religione approbata non fecerit. Ratio est: quia dedecet eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem questum exercere. *Trid. l. c. can. Diaconi. 23. dist. 93.*

Quæres nono. Quale beneficium est titulus ordinationis? R. Id exprimit *Trident. loc. cit.* "Ne quis deinceps Clericus

"sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus
"moribus, scientiâ & ætate, ad sacros
"Ordines promoveatur, nisi prius legi-
"timè constet, eum beneficium Eccle-
"siasticum, quod sibi ad victum honestè
"sufficiat, pacificè possidere. Id verò
"beneficium resignare non possit, nisi
"factâ mentione, quòd ad illius bene-
"ficii titulum sit promotus, neque ea re-
"signatio admittatur, nisi constiterit, quòd
"aliunde commodè vivere possit, & al-
"ter facta resignatio nulla sit." Debet
igitur beneficium 1mo esse sufficiens ad
victum honestè acquirendum juxta con-
suetudinè regionis, & ordinariè
Clericorum conditionem, hujus suffi-
cientiæ determinatio, cum non sit à jure
taxata, Episcopi relinquatur arbitrio, ut
declaravit S. Congregatio.

2do. *Pacificè possessum.* Pacificè possidere dicitur, qui sine lite possidet, nullamque patitur juris vel facti, in judicio vel extra, controversiam. Ex hoc non satis est: quòd ordinandus ad beneficium per nominationem, præsentationem vel electionem jus habeat, priusquam collatio, vel confirmatio, & successivè possessionis traditio subsequatur. *Gloss. in can. Osius. 10. dist. 61.*

3tio. Actum ex beneficio fructus debet posse percipere, ideoque quis promoveri non posset ad sacros Ordines Diaconatus & Subdiaconatus titulo beneficii, cujus fructus lucrari non potest, nisi post susceptum Sacerdotium, quia sic promotus multis modis à suscipiendo Sacerdotio impeditur, ac contra intentionem S. Concilii ad mendicandum obligari posset. *Pignat. tom. 5. cons. 77. n. 32. adfo-*

rens pro hac parte declarationem sacrae Congregationis. Oppositum sustinet Jordanus *lib. 3. tit. 6. n. 302.* etiam pro se adferens decretum S. Congregat.

4to. Debet esse beneficium perpetuum, adeoque Vicaria temporalis vel manuale beneficium non sufficit, ut probatur *ex cap. constitutus. 8. de filiis Presb. junct. gloss. verb. perpetuus.* Ex eadem ratione ordinari non permittitur, qui in Seminarium, Collegium vel Gymnasium adoptatus victum ibidem habet, si inde dimitti possit.

5to. Certos redditus habere debet; aliàs enim ordinatus certam sustentationem habere nequit. *Garz. p. 2. cap. 5. n. 111.* Quòd si cum beneficio vel patrimonio jungantur pitantiæ, eleëmofynæ, anniversaria, confraternitates & alia emolumenta, quæ ex celebratione Missarum, & exercitio sacrorum Ordinum, si ad eos promoveantur, percipere & lucrari possunt, quæ ad victum honestum sufficiant, S. Congregatio respondit: non posse promoveri, etiamsi Episcopus obliget se suppleturum, vel et si ex industria vel honesto labore lucrari posset, quod deficit, ut promovendus Musicus, juventutis instructor &c. esset, nihilominus ordinari prohibetur. Putat tamen Jordanus *loc. cit.* quòd quotidiana distributiones, quæ beneficiato dantur, insufficientiam tituli supplere possint; quamvis enim regulariter nomine fructuum non veniant, certæ tamen sunt, & possessorem seu participantem congruenter sustentare valent.

6to. Resignatio talis beneficii est invalida etiam in foro conscientia, nisi sit

expressum, quòd ad tale beneficium ordinatus, & acceptanti constet, quòd aliunde sit provisum resignanti.

Quæres decimo. Qualiter patrimonium vel pensio possit esse sufficiens ordinationis titulus? *Id quoque expressit Trident. loc. cit.* "Patrimonium verò vel pensioem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensioem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint." Circa quæ notanda sunt sequentia:

1mo. Ad titulum patrimonii vel pensionis nemo simpliciter ordinari potest, sed tantum, si iudicio Episcopi necessitas vel utilitas Ecclesie id suadeat, ideòque si ordinandus singularem doctrinam vel pietatem, quæ Ecclesie præ cæteris servare possit, non habeat, Episcopus habentem sufficiens patrimonium ab Ordinibus excludere potest.

2do. Nomine patrimonii comprehenditur, quidquid Clerico non solum ex bonis paternis, verum etiam undecunque obvenit, ita etiam intentioni Canonum & Tridentini satisfieri valet.

3tio. Patrimonium ab ordinando actum possideri debet; sicut enim ad hunc effectum non sufficit beneficium de futuro obtinendum, cujus spem v. g. Coadju-

tor habet, ita etiam, ut in spe futurae successione ordinari possit, patris vel propinquorum haud satis est opulentia.

4to. Assignatio patrimonii super rebus immobilibus, certis & determinatis fundari debet, ut cognosci possit, an ad congruam sustentationem sufficiant, quare minimè sufficeret, quòd quis obligaret se ad ministrandum Clerico, quidquid illi opus fuerit ad congruam sustentationem.

5to. Patrimonium per parentes eà conditione donatum, ut filius interim, dum aliud beneficium aliave bona ad congruam ejus sustentationem sufficientia acquirat, usumfructum habeat, est sufficiens. Item patrimonium super certis annuis & perpetuis censibus constitui potest, cum cautione, quòd si census redimerentur, pecunia ex decreto Judicis apud certas personas ad effectum reapplicandi deponatur.

6to. Pensio Ecclesiastica, quæ à Tridentino quidem separatim nominatur, in omnibus patrimonio parificatur, ut etiam pensio non Ecclesiastica super re vel bonis frugiferis in quantitate sufficiente fundata, si congruis temporibus illam exigere in pensionarii sit facultate.

7imo. Qualibet pensionis vel patrimonii, ad cuius titulum quis ordinatur, venditio, obligatio de vendendo, transactio, divisio, permutatio, in solum traditio, hypothecatio, & qualibet alienatio etiam latè dicta, invalida est, nisi ordinatus assecutus sit beneficium, vel bona, unde vivere possit, ac præterea interveniat licentia Episcopi, ut cognoscat, an res in patrimonii locum surro-

gata, pariformiter ut in beneficio ad congruam sustentationem sufficiens existat. *Jordanus cit. n. 343.*

Quæres undecimo. Qualiter professio Religiosa sit sufficiens ordinationis titulus? *re.* Quilibet in Religione professus sine titulo ad sacros Ordines promoveri potest. Ita S. Pius V. in constitutione, quæ incipit: *Romanus Pontifex.* Promajori securitate disponit Concilium Mediolanense Provinciale sicut: Regulares titulo paupertatis ordinari possunt, sed jurent coram Episcopo se spontè professionem solemnem emisisse, vel ratam habuisse. Excipiuntur Religiosi Societatis JESU, qui ex privilegiis Gregorii XIII. & XIV. post vota simplicia, quæ emittere solent, ad sacros Ordines admitti possunt, cum veri sint Religiosi, hæc nondum emisissent professionem solemnem.

Quæres duodecimo. Quæ pænæ sine titulo ordinationis & ordinatorum? *re.* 1mo. Jure antiquo ordinati sine titulo erant ipso facto suspensi, & si in tali suspensione functioni Ordinum sese ingererent, irregulares. *can. neminem. can. Sanctorum. dist. 70.* Qui rigor per posteriores Canones remissus, juxta quos non sunt suspensi, sed taliter ordinatis per ordinantes vel eorum successores de sustentatione, donec beneficia consequantur, provideri debet. *cap. cum secundum. 16. de prebend. cap. accepimus. 13. de atar. & qualis.* Quin & Episcopus dans licentiam non habenti titulum, ut à quocunque ordinetur, ad sustentationem taliter ordinati obligatur per *cap. Si Episcopus. 37. de preber. d. in 6.* Pænæ antiquorum

quorum Canonum innovavit Tridentinum *Seff. 21. de reform. cap. 2.* Quam innovationem Pignatelli *rom. 5. cons. 77.* ita explicat: si quis ordinatus sine titulo beneficii, vel patrimonii, vel pensionis sciente Episcopo vel cum Episcopi culpa, innovata est pœna. *cap. cum secundum Apostolum.* Ut scilicet Episcopus teneatur ad alimenta, ipse verò ordinatus non sit suspensus, si autem ordinatus solus fuerit in culpa, v. g. finxit titulum, ipse ordinatus incurrit pœnam suspensionis, juxta *cit. can. Sanctorum. 70.*

2do. Religiosi non professi, vel non validè professi suscipientes Ordinem sacrum ipso facto pœnam suspensionis, ordinans verò pœnam suspensionis per annum à collatione talium Ordinum incurrunr, quòd si Religiosus sciat quidem suæ professionis invaliditatem, attamen contra eandem absque gravibus incommodis reclamare non audeat, atque ita ad suscipiendos sacros Ordines astringatur, hanc pœnam suspensionis non incurrit, ut declaravit S. Congreg. apud *Pign. cit. cons. 77.*


3tio. Si quis Ecclesiæ Rectorem rogavit, ut eum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret, ut ordinari posset, firmiter promittens, nunquam in Ecclesia sua pe-

tere aliquam portionem, ad eum titulum ordinatus est suspensus, ita, ut in sic susceptis nec ministrare, nec ad superiores ascendere possit, donec cum eo dispensetur. *cap. si quis ordinaverit. 45. de simon.*

4to. Si quis aliquem ordinavit, vel ad Ordines ex officio præsentavit, promissionem vel juramentum suscipiens, quod super provisione sua non inquietabit eum, collator à collatione, præsentator ab executione Ordinum per triennium, & ordinatus absolutè ab Ordine cum tali fiduciario titulo suscepto, donec à Sede Apostolica dispensationem meruerint, sunt suspensi. *cit. cap. si quis ordinaverit.*

5to. Ordinatus paciscens taliter cum patre, donatore, vel alia persona obligata vel obliganda ad sustentationem ejus, ratione patrimonii se non illaturum molestias, & patrimonio non usurum, quamvis illicitè paciscatur, ac ipsum pactum ac juramentum juxta probabiliorrem sit nullum, suspensionem tamen non incurrit, nec pactum est simoniacum; pœnales enim dispositiones ad casum non expressum haud sunt extendendæ.





TITULUS DECIMUS - OCTAVUS.

DE

B E N E F I C I I S.

Latissimam hanc materiam in compendium redacturi, dividimus in quinque sphos: In primo explicaturi naturam beneficiorum, eorum honorem & onus. In secundo personas,

quibus, & à quibus conferuntur. In tertio, quâ formâ & modo acquirantur. In quarto vacationes & amissiones. Quinto actiones pro beneficiis competentes,

I. Primus.

DE

Natura Beneficiorum.

Quæres primo. Quid est beneficium? *Re.* Est jus spirituale utendi & fruendi fructibus rei Ecclesiasticæ in perpetuum, Clerico ob ministerium sacrum Ecclesiasticâ autoritate institutum. Explicantur singula:

1mo. Jus. Quia numeratur inter res corporales.

2do. Spirituale, puta, non per essentiam, sed quatenus ab officio spirituali, ob quod exercendum datur, dependet, in quo à feudo distinguitur, quod beneficium temporale est, diciturque jus habendi usum fructum rei immobilis perpetuum, propter obsequium vel corporale servitium.

3to. Utendi: Imprimis ipsa bona Ecclesiastica ad Clericos non pertinent; jus enim utendi & fruendi semper est salvâ

rei substantiâ, nec Clerici rerum Ecclesiasticarum proprietatem & dominium habent. *cap. fraternitatem. 2. de donation. Sed earum tantum usu gaudent, unde se suamque familiam alant, ac superfluum pauperibus vel ad alias pias causas erogent. can. Clericus. 5. can. duo sunt. 7. can. res Ecclesie. 26. caus. 12. q. 1. Et sunt tantum nudi dispensatores. can. precipimus. ibid. can. non satis. 14. dist. 86. quibus non obstat, quod fructus beneficii elocare possint. cap. vestra nobis. 2. de locat. & conduct. quia id nomine Ecclesie faciunt, nec adversatur, quod de fructibus testari valeant, quia hoc intelligendum de fructibus aliunde, quam occasione Ecclesie ad eos pertinentibus. juxta cap. relatum. 12. de testament.*

4to. Fruendi: quia multi docent, Cle-

Clericos non tantum usum habere reddituum Ecclesiasticorum, sed etiam usum fructum. *Gloss. in cap. fin. de offic. ordin. in 6. verb. reservari.* Et saltem in aliquibus æquiparantur usufructuariis. *cit. cap. relatum.*

5to. *In perpetuum.* Quia, cum ad tempus Minister Ecclesiæ ordinari non possit, ab Ecclesia sine justa causa amoveri nequit. *cap. unic. de Capell. Monach. in 6. junct. gloss. verb. perpetui. cap. 1. de Cleric. agrotante.*

6to. *Clerico.* Hoc est: primâ tonsurâ initiato, qui eo ipso est persona Ecclesiastica, & non amplius Laicus. *cap. fin. de temp. ordinat. in 6.*

7imo. *Ob ministerium sacrum:* quia sicut beneficia militaria & profana militibus & hominibus profanis ob fidem & obsequium dantur, ita hæc beneficia DEO consecratis ob sacram & spiritualem functionem conceduntur. *cap. fin. de rescript. in 6.* Et ex hoc capite beneficium est res spiritualis, quia etsi proventus beneficiales non sint spirituales, sacro tamen ministerio sunt connexi, ita, ut ab eo separari non possint. *can. si quis objecerit. 7. caus. 1. q. 3. cap. ad nostram. 21. de simonia.*

8vo. *Ecclesiasticâ autoritate institutum;* beneficium enim Ecclesiasticum autoritate Episcopi fundari debet. *Gloss. in Clement. 2. de decim. verb. Beneficiorum.*

Si aliqua ex conditionibus explicatis deficiat, non est beneficium propriè, sed impropriè dictum. Qualia sunt 1mo Coadjutoria; nam is, cui datur Coadjutor, manet titularius & possessor beneficii, & qui datur Coadjutor, habet tantum

administrationem. 2do. Feuda Ecclesiastica. 3tio. Patrimonia Clericorum, quæ pro beneficiis supponuntur, & sunt tituli ordinationis. *cap. Episcopus. 4. cap. tuis questionibus. 23. de prabendis. 4to. Pensiones super beneficiis, cap. quamvis plenissima. 4. eod. in 6. 5to. Religiosæ domus, 6to. Officia curandi Ecclesiæ fabricam, pullandi campanas, quorum capaces Laici. 7imo. Præstimoniam, id est, portiones fructuum Ecclesiæ institutæ pro Studentibus, pro subsidio contra infideles. 8vo. Commendæ militares, quæ non Clericis, sed Laicis convertis Ordinum militarium conferuntur. 9no. Officia Vicariatus Generalis, Officialatus, Cellariæ, sacristiæ, &c. quæ non dantur Clericis in titulum.*

Quæres secundo. Qualiter beneficia dividuntur? *Re. 1mo.* Beneficia alia curata, alia non curata. Curata sunt, quæ curam animarum annexam habent, de quibus *in cap. cum singula. 32. de prabend. in 6.* Vel quoad forum interius, quia Sacramenta administrandi, Verbum DEI prædicandi, &c. habet potestatem. De quibus *in cap. ut Dominicus. 2. de parochiis. cap. omnis utriusque sexus. 12. de poenit. & remiss. can. placuit. 3. de poenit. dist. 6.* Vel quoad forum exterius, quia visitandi, corrigendi, excommunicandi, &c. habet jurisdictionem. Beneficia non curata sunt, quæ talia munera annexa non habent, de quibus *in cap. in Ecclesia. 2. de institut.*

2do. Alia sunt beneficia duplicia, alia simplicia: Duplicia sunt, quæ vel dignitatem, vel personatum, vel officium annexum habent. Dignitas est præeminentia,

nentia, vel administratio rerum Ecclesiasticarum fori externi, ut Episcopatus, Decanatus, Abbatia, &c. Personatus est præ eminentia in sessione, processionibus, aliisque actibus publicis sine jurisdictione, ut in hisce partibus communiter Præposituræ. Officium est administratio rerum Ecclesiasticarum sine jurisdictione & præ eminentia, ut Scholasteria. Beneficia simplicia sunt, quæ nec curam animarum, nec aliquam administrationem annexam habent, sed solam Divinis Officiis interessendi obligationem, ut Canonicatus.

310. Alia beneficia collativa, alia electiva: Collativa sunt, quæ collatione aliõve provisionis modo ab electionis forma & ordine distincto obtinentur; electiva sunt, quibus per electionem Canonicam à Superiore confirmandam providetur. Quod ultimum additur, quia beneficia, quæ obtinentur per electionem quidem, sed confirmatione Superioris non indigent, non propriè electiva, sed collativa sunt, ut si Capitulum eligat Canonicum.

410. Beneficia alia patronata, alia non patronata: patronata sunt, quæ ad præsentationem idoneæ personæ à patrono, hoc est, à fundatore, dotatore, eorundemque Successoribus per Episcopum conferuntur, factâ præsentati institutione. Non patronata sunt, quæ collationi liberæ sine alicujus patroni præsentatione relinquuntur.

510. Alia beneficia Collegiata, alia non Collegiata: Collegiata sunt, in quibus tres vel plures per Superiorem auctoritatem Collegium approbandi

habentem instituuntur, ut cultui Divino inserviant, unum corpus faciant, ac unum sigillum habeant, sicut & unum Syndicum, & arcam communem. *cap. significavit. 48. de appellat. cap. dilecta. 14. de excess. Prælat.* Non Collegiata sunt, in quibus sunt quidem plures Clerici, quorum unus subest alteri, unum tamen Collegium non faciunt. Ecclesiæ Collegiata personarum Regularium Convencuales, Sæcularium Capitula nuncupantur.

610. Demum alia beneficia sæcularia alia regularia: Sæcularia sunt, quæ Clericis non Religiosis conferuntur; regularia sunt, quæ personis alicujus Religionis Regulam professis conferuntur. *cap. cum de beneficio. 5. cap. cum singula. 32. de præbend. in 6. Clement. unic. de suppl. neglig. Prælator. Trid. Sess. 14. de reform. cap. 10.* Beneficia omnia sæcularia esse censentur, nisi contrarium probetur. Rationem præsumptionis hanc dat *Corvin. de benef. Ecclesiast. lib. 1. tit. 9. n. 3.* quia cum S. Dionysius Papa beneficiorum omnium instituerit titulos, & ipse non regularis, sed sæcularis fuerit, omnia beneficia esse talia, qualis fuit eorum author, præsumitur.

Quæres tertio. Quomodo beneficium esse regulare probatur? 32. Beneficium probatur esse regulare vel ex fundatione, si in erectione beneficii per Episcopum statutum sit, ut id per Regulares administraretur, vel ex consuetudine & præscriptione, si per 40. annos per Regulares fuerit administratum. Ad hanc præscriptionem naturam beneficii ex sæculari in regulare & econtra mutantem requi-

requiruntur sex conditiones : 1^{ma}. Ut tempore ad legitimam præscriptionem à jure definito per 40. scilicet annos administratum fuerit per sæculares, ut sæculare, vel per regulares, ut regulare fiat. 2^{da}. Ut beneficia possidentes in eo sint instituti. 3^{tia}. Ut tanquam Rectores, & non tanquam Vicarii vel substituti beneficium rexerint. 4^{ta}. Ut beneficium administratum fuerit à Regularibus tanquam Regularibus ad hoc, ut in Regulare transeat, & e contra. Ideoque si Regularis Ecclesiæ parochiali Sæculari ex privilegio præficiatur, vel si beneficium regulare sæculari ex dispensatione conferatur, non ideo natura beneficii mutatur. *cap. nemo deinceps. 15. de elect. in 6. junct. gloss. verb. commenda. 5ta.* Ut conferens eo animo & intentione imprimendi beneficio statum, quem exprimit, conferat. 6^{ta}. Ut in possidente bona fides adsit, alias regularis manet regula : Sæcularia beneficia sæcularibus, regularia regularibus conferri debent, nisi Papa dispenset, quæ sumitur ex *cap. cum ad nostram. 37. cap. officii. 38. de elect. cap. cum pro beneficio. 5. de præbend. in 6. Trident. Sess. 14. de reform. cap. 10.*

Quæres quarto. Quæ Beneficiorum onera? *¶* Onera Beneficiorum alia sunt realia, alia spiritualia : Onera realia sunt erogationes, quas è sumptibus & proventibus beneficii superioribus Prælatiis facere debent Beneficiati, ut quarta decimarum, primitiarum, oblationum, mortuorum, Cathedraticum, subsidium charitativum, procuraciones in visitatione, annata decimæ. De quibus alibi. Onera spiritualia omnibus benefi-

R.D. Schurzenberg Instit. 7. Can.

ciis communia sunt : 1^{mo}. Ut deserviat Ecclesiæ, in qua est intitulatus, & beneficium possidet. 2^{do}. Ut officium diurnum & nocturnum certis diebus dicat. *cap. 1. & cap. dolentes. 9. de celebr. Missar. 3tio.* Professionem fidei emittat. 4^{to}. Ordines suscipiat. Onera specialia sunt secundum diversas beneficiorum qualitates, ut si præbendæ Missæ celebratio, Sacramentorum administratio, &c. annexa.

Quæres 5^{to}. Qualis residentia obligatio? *¶* 1^{mo}. Regula generalis est, quod residentiam omne beneficium requirat. *cap. quia nonnulli. cap. relatum. 4. de Cleric. non resident. cap. ad hæc. 13. de præbend. can. Singula. 1. dist. 89.* Quamvis etiam modica sint beneficia. *cap. conquirente. 6. cap. inter quatuor. 10. de Cleric. non resident.* Vel etiam simplicia. *cap. fin. de rescript. in 6.* Ratio est : quia nullus Clericus ordinari potest, quin certæ Ecclesiæ intuletur. *cit. cap. quia nonnulli.* In illa autem perseverare debet, cui nomen dedit, nec ab una Ecclesia ad alteram transire licet. *can. Sanctorum. 2. dist. 70.*

2^{do}. Consuetudo generalis ab omni residentia beneficia simplicia absolvit, nisi aliquam administrationem, vel exercitium curæ animarum annexum habeant, aut aliquod statutum vel consuetudo ad residentiam obliget.

3^{tio}. Episcopi, Parochi, ac omnes, quibus animarum cura commissâ, de jure Canonico & Divino residere tenentur, ut supra dictum.

4^{to}. Qui in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis dignitates, Canonicatus

V

vel

vel præbendas obtinent, residere debent, ita, ut cujuslibet statuti vel consuetudinis vigore, ultra tres menses continuos, vel interpolatos ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse non liceat, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* additâ declaratione S. Congregationis.

Absentiæ licentiam ultra tempus à *Trident.* permissum, quamvis breve & ex causa iusta ac rationabili, sed in iure non comprehensa, dare non potest Capitulum, cum in lege Superioris, qualis est hæc de residendo, dispensare non possit. Ita declaravit S. Congreg. apud Garziam.

5to. Canonici residentes per se, & non per Substitutos Divina Officia suo Canonici incumbunt, ut cantare Missas, Evangelium, &c. peragere tenentur. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* & declaratio S. Congregationis.

Quæres sexto. Qualis in Beneficiato ad Officium Canonicum obligatio? *110.* Officium Canonicum sunt certæ preces certis & designatis horis juxta sacrorum Canonum præscriptum à Ministris Ecclesiæ persolvendæ, quæ ideo Canonice dicuntur Horæ. *can. fin. dist. 92. cap. 1. de celebrat. Missar.*

2do. Officium Canonicum, quod in *cit. cap. 1. de celebrat. Missar.* pensum Clericalis servitutis vocatur, in septem Horas dividitur: tres nocturnas & quatuor diurnas, scilicet Matutinum, Laudes, & Primam, quæ ad noctem & crepusculum pertinent. Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas, quæ diei sunt, &

Completorium, quod initium noctis est. Hæc divisio in iure Divino Legis veteris & novæ fundata est. In Lege veteri de oratione matutina est in *Psl. 118. Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* De Laudibus Matutinis *Psl. 5. Psl. 62. Psl. 118.* De Prima, Tertia, Sexta, & Nona *Lib. 2. Esdra. cap. 9. Legerunt in volumine legis Domini DEI sui quater in die. & quater confitebantur & adorabant Dominum DEUM suum. Dan. 6. v. 10 Daniel tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturque coram DEO. Psalm. 54. Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. Psl. 140. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In novo Testamento de hora 3tia. *Act. 2. v. 16.* De sexta. *Act. 10. v. 9.* De hora nona. *Act. 10. v. 3. & Act. 3. v. 1.* Mysticam significationem exprimit *Glossam cap. 1. de celebrat. Missar. verb. septenarius numerus.* versibus sequentibus:

Hæc sunt, septenis propter quæ psalimus horis:

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,

Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,

Sexta cruci neckit, latus ejus Nona bipartit,

Vespera deponit tumulo, completa reponit.

3tio. Horæ Canonice in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis tam regularibus, quam sæcularibus à personis Choro deputatis publicè sunt recitandæ. *can. fin. dist. 92. cap. dolentes. 9. de celebrat. Missar. Clement. 1. cod. tit.*

4to. Privatim ad quotidianam Horarum recitationem Clerici beneficium Ecclesiasticum obtinentes obligantur, ut desumitur *ex cap. fin. de rescript. in 6.* Beneficium enim datur propter officium, & clarius *ex Concil. Lateran. Sess. 9. & constitutione S. Pii V. De quibus infra.*

5to. Hanc Officium Canonicum quotidie recitandi obligationem habent etiam illi, qui tenue obtinent beneficium, cujus fructus ad moderatam sustentationem sufficientes non sunt, ut verior docet sententia, & probatur 1mo *ex can. Clericus. 3. & 4. dist. 91.* ubi ab Ecclesia sustentationem non habens Clericus, victum & vestitum artificio vel agriculturâ sibi parare jubetur, absque officii sui sive pensâ horarii detrimento. 2do. Ratione: quia beneficium, quamvis tenue, est verè beneficium. *cap. si proponente. 42. de rescript. cap. si motu. 23. de prebend. in 6.* Cum sit jus perpetuum percipiendi fructus ratione officii spiritualis, obligatio autem pensâ horarii quotidie persolvendi à Concilio Lateran. & S. Pio V. Beneficiatis sine ulla exceptione imposita est, unde sicut ille, qui unum beneficium pingue vel plura obtinet, ad Horas semel duntaxat recitandas obligatur, ita qui tenue habet beneficium, ad illas integre quotidie recitandas tenetur, & sicut Ecclesia onus illud omnibus in Sacris constitutis, quamvis nullum beneficium obtineant, imponit, ita omnibus Beneficiatis imponere potuit, cum onus hoc honore, exemptione ceterisque Clericalibus sufficienter compensetur privilegiis.

Dixi: Verior: Sunt enim Doctores,

qui tenue beneficium habentem ab Horis Canonicis saltem diebus singulis dicendis exculant, ita ut si beneficium tertiam partem moderatæ sustentationis non attingat, solum ad Horas aliquoties in septimana recitandas v. g. diebus Dominicis & festivis obligetur.

6to. Ad contrahendum Officium Canonicum recitandi obligationem beneficii sufficit titulus, quantumvis nondum habeat possessionem; etenim per collationem vel institutionem jus in beneficio accepit. *cap. si tibi. 17. de prebend. in 6.* Ideoque si per Beneficiatum stet, quò minùs collati beneficii possessionem obtineat, ad Horas obligatur; quia possessionem habere, & quò minùs eam habeat, per Beneficiatum stare, paria reputantur. *cap. licet Episcopus. 28. de prebend. in 6.* Quinimò penes quem non stetit beneficii obtenti capere possessionem, si ramen certam cum possessione fructus à tempore collationis provenientes percipiendi spem habeat, ad Horas obligatur; est enim verus Beneficiatus fructus officio correspondentes percipiturus.

7tmo. Beneficiati, qui post possessionem captam primis duobus vel quatuor, quos vocant expectantia annos, nullos fructus percipiunt, si illi fructus iisdem post mortem applicentur, ut si hæredes eorum eos percipiunt, vel Beneficiati applicentur sepulturæ, officium primis annis persolvere tenentur; nam fructus tempori, quo possiderunt, correspondentes virtualiter percipiunt, & in vita de fructibus post mortem percipiendis disponendi habent facultatem, quòd

quamvis juri & rationi sit consentaneum, attamen consuetudinem in Germania contrariam damnare non audet Wisner *de celebrat. Missar. n. 62.* vi cujus primis annis nullos fructus percipientes Officium Canonicum non perfolvunt. Quamvis enim talis consuetudo novis Canonicis omnes fructus subtrahens per *Extrav. suscepti. 2. de elect.* & constitutiones S. Pii V. & Innocent. XII. sit reprobata, has tamen constitutiones in Ecclesiis Collegiatis Germaniæ receptas non videmus.

8vo. Beneficiati nullos fructus percipientes, quia illorum fundi ab hostibus occupati, vel quia fructus certis annis ad fabricam Ecclesiæ aut aliam causam piam applicantur, à recitatione Officii Canonici excusantur à Laym. & Navarr. ed quoddam beneficia cum facultate fructus percipiendi plenè non obtineant, sicut etiam Canonicus nullâ suâ culpâ, sed alienâ vi, fraude, vel alio injusto modo à fructuum consecutione aliquot annis impeditus sine ulla spe eosdem recipiendi ad Horas non tenetur; illo enim tempore beneficii titulum cum effectu non habere censetur.

9no. Beneficiatus fructus, cum possit, non percipiens ob culpam suam, ut quia excommunicatus, vel suspensus, à loco beneficii sine justa causa absens, vel præsens Ecclesiæ non deserviens, ad pensum horarium obligatur, quia Ecclesiam servitio & officio ratione beneficii ab ea accepti defraudare nequit. Eodem modo si Beneficiatus nimis juvenis alteri pro ipso deservienti fructus beneficii cedere debeat, orare tenetur, quia quoddam

non percipiat fructus, non beneficii, sed illius est defectus.

10mo. Beneficiatus per alterum obligationi Officium Canonicum privatim recitandi satisfacere non potest; servitium enim illud Ecclesiasticum Beneficiatos ad recitandas privatim Horas obligans est quid personale, & ipsi persone beneficiatæ ita affixum, ut per se ipsum satisfacere teneatur, vel si ob legitimum impedimentum nequeat, obligatio alterum substituendi cesset. Constat ex propositione 21. ab Alexandro VII. damnata: *Habens Capellaniam collativam, vel aliud quodvis beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacti obligationi, si officium per alium recitet.*

11mo. Qui totum Canonicum Officium recitare non potest, ad perfolvendam, quam potest, partem obligatur, qui enim totum solvere nequit, ad partem divisibilem, quam potest, solvendam astringitur. Ratio est: quia quando objectum obligationis est divisibile in partes sive æquales sive inæquales, per quas finis, per obligationem Religionis vel justitiæ intentus, saltem particulariter obtineri potest, tunc si non possit impleri totum præceptum, pars tamen, quæ possibilis, est adimplenda. Confirmatur ex propositione 54. ab Innocent. XI. damnata: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

12mo. Demum Horarum Canonicarum recitatio studiosè & devotè fieri debet. *cap. dolentes. 9. de celebr. Miss.* tam quoad expressionem oris, quam quoad inten-

intentionem cordis ; si enim cor non orat , in vanum lingua laborat , magis corde , quam voce cantandum. *can. cantantes. 1. dist. 92. Ubi Gloss. verb. in voce :*

Non vox , sed votum , non cordula musica , sed cor ,

Non clamans , sed amans , cantat in aure DEI.

Quæres septimo. Qualis in - & attentio ad recitationem Officii Canonici requiritur ? *ꝛ.* Hoc explicat *Gloss. in Clement. 2. de reliq. & venerat. Sanctor. verb. orationes.* Nihil aliud cogitet animus , quam quod precatur ; nam , ut inquit Gregor. illam orationem DEUS non audit , cui ille , qui orat , non attendit. Dicunt tamen Theologi hoc intelligendum , quando intentio nullo modo orationi conjungitur ; non enim requiritur , quod attentio semper maneat in oratione per actus essentiam : Unde *Psalm. 37. Cor meum conturbatum est in me , dereliquit me virtus mea.* Satis enim est , quod maneat per virtutem , hoc est : quando cum bona attentione quis ad orationem accedit , etsi in prosecutione mens ad alia rapiatur , semper tamen primæ intentionis vis permanet , nisi tanta sit evagatio , ut attentio omnino depereat , & tunc locus esset dicto *S. Cypriani lib. de Oration. Dominica :* Quomodo à DEO audiri te postulas , cum ipse te non audias ?

Quæres octavo. Quæ pœna Beneficiati Horas omittentis ? *ꝛ.* 1^{mo} ex decreto Concilii Lateran. quod *S. Pius V.* in sua constitutione refert , quicumque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura &

sine cura , si post sex menses , quam illud obtinuerit , Divinum Officium legitimo cessante impedimento non dixerit , beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officii & temporis suos non facit , sed eos tanquam injustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum , vel pauperum eleemosynas erogare tenetur.

2^{do}. Hanc pœnam *S. Pius V.* in sua constitutione ita declaravit , ut , qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermisit , omnes beneficii vel beneficiorum fructus , qui illi vel illis diebus responderent , si quotidie dividerentur , qui verò Matutinum & Laudes , dimidiam , qui ceteras omnes Horas , aliam dimidiam , qui harum singulas , sextam partem fructuum ejus diei amittat , ac ita medietas fructuum correspondet Officio nocturno , hoc est : cæteris sex Horis , ita ut , qui omiserit Laudes ex Officio nocturno , sextam partem medietatis , & qui unam ex Officio diurno Horam omiserit , sextam quoque partem medietatis restituere obligetur. Ut probat *Wez. p. 4. decad. 5. casu 5.*

3^{io}. Qui Horas neglexit , fructus tali negligentia correspondentes ante omnem sententiam & declarationem in conscientia restituere tenetur , ut constat ex *proposit. 20. ab Alexand. VII. damnata: Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus , non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis , eò quod sit pœna.* Ratio est : quia recitatio Horarum est conditio , sine qua Beneficiati fructus non faciunt suos , & fundatores eo pacto proventus beneficii obtulerunt , & Beneficiati eâ conditione beneficia

neficia admiserunt, quemadmodum curati simili pacto curam susceperunt.

4to. Restitutio ob omissionem Horarum facienda per eleemosynas ante neglectam recitationem ex fructibus beneficii datas non compensatur. Ut patet ex propos. 33, ab Alexand. VII. damnata: *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiatus ex fructibus sui beneficii fecerit.* Ratio disparitatis inter eleemosynas ante omissionem Horarum, & post eam datas, hæc est: quod, qui ante omissionem eleemosynam fecit, expendit rem suam eo tempore, quo nondum præceptum Ecclesiæ de restitutione facienda obligabat, cum culpam tunc nondum commissam præsupponat, nec Beneficiatus per anteriorem eleemosynæ erogationem menti Ecclesiæ à culpa abstergere volentis satisfaciat: in posteriori autem casu menti Ecclesiæ satisfacit, dum Beneficiatus rem non suam, vel fructus, quos ob omissionem Horarum suos non fecerat, piè expendit, licet obligationis restituendi fuerit ignarus, dum hæc tacita & virtualis in dante eleemosynam sit intentio, ut per eam, quas pro peccatis contraxit, satisfaciat obligationibus.

5to. Beneficiatus primis sex mensibus Horas omittens ex præcepto Ecclesiæ ad restitutionem fructuum non obligatur, attamen sub peccato mortali, & fortè ex iustitia orare tenetur, ac ita ex lege naturali ad restitutionem adstrictus erit. Ex declaratione S. Pii V. in cit. constitut. Qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum

excusaverit, grave peccatum intelligatur admisisse.

6to. Non solum Beneficiati ob omissionem pensæ Canonici, sed etiam Clerici pensionem Ecclesiasticam habentes ob omissionem Officii B. M. V. ad restitutionem obligantur, ut declaravit S. Pius V. "Quicumque pensiones, fructus, aut alias res Ecclesiasticas ut Clericus percipit, is modo prædicto ad dicendum Officium parvum B. M. Virginis obligetur, & pensionum, fructuum, & rerum ipsarum amissioni est obnoxius."

7imo. Si Beneficiatus præter onus citandi Horas Canonicas alia onera subeat, ut in Beneficiato curam animarum exercente clarum est, omnes fructus perceptos omissionis temporis correspondentes restituere non tenetur, sed tertiam vel quartam partem ratione aliorum onerum beneficio incumbentium, quibus ipse Beneficiatus Horas licet omittens satisfacit, sibi reservare potest. benignè Theologi Pianam interpretantur constitutionem.

Quæres nono. Quæ ad professionem fidei obligatio? R. 1mo. Provisus ad beneficium intra duos menses à die adeptæ possessionis juxta constitutionem Pii IV. professionem fidei facere debet, Curatus in manibus Episcopi vel ejus Vicarii Generalis, Canonicus Cathedralis non solum coram Episcopo seu ejus Officiali sed etiam in Capitulo juxta decretum Trident. Sess. 24. de reform. cap. 12.

2do. Qui semel professionem fidei fecit, si secundum obtineat Canonicatum, professionem fidei secundò facere debet. Ut declaravit S. Congregatio.

310. Lapsus duorum mensium à die captæ possessionis ab hoc onere non liberat; terminus enim duorum mensium non ad finiendam, sed ad non ulterius differendam obligationem est præfixus.

4to. A tempore professionis factæ fructus suos facere incipiunt, antea autem perceptos fabricæ vel pauperibus perinde ac fructus non residentium in conscientia restituere tenentur, nisi enim taliter provisum professionem emittant, fructus non faciunt suos, nec illis possessio suffragatur. *Trident. loc. cit.*

Quæres decimo. Quæ Beneficiati ad Ordines suscipiendos obligatio? *Re. 1mo.* Beneficiatus habens beneficium, cui certus Ordo annexus, infra annum à die pacificæ possessionis, vel quo per eum steterit, quò minus eam habeat, Ordines requisitos suscipere obligatur. *cap. licet Canon. 14. cap. commissæ. 35. de elect. in 6. Clement. ut ii. 2. de atat. & qualitat. Trident. Sess. 22. de reform. cap. 4.*

2do. Non suscipiens talem Ordinem intra annum, si beneficium parochiale, est ipso jure privatus. *cit. cap. licet canon. & cap. commissæ.* Si est Canonicatus vel aliud beneficium, est privandus.

3to. Suscipientes beneficium curatum sine intentione Ordines illis annexos assumendi, peccant mortaliter, & ad restitutionem fructuum obligantur. *cit. cap. commissæ.* Secus est de beneficiis simplicibus, quibus non est annexus sacer Ordo, dummodò adsit animus aliis beneficii oneribus satisfaciendi.

Quæres undecimo. In quo jus beneficii consistit? *Re.* Id maximè consistit in perceptione fructuum vel reddituum Ec-

clesiasticorum, directè ad ejus sustentationem ratione tituli beneficii & residentie deputatorum.

Quæres duodecimo. An Beneficiati illorum fructuum sint domini? *Re.* Duplex est sententia: Una Beneficiatos non dominos, sed tantùm dispensatores esse tenet, ita, ut sibi quidem & ministris suis necessaria ad sustentationem ex fructibus sumere valeant, cætera tamen ex lege non solùm charitatis, sed etiam justitiæ pauperibus vel in utilitatem Ecclesiæ convertere debeant, & si aliter faciant, sacrilegium committant, & ad restitutionem obligentur. Ut probatur *ex principio distinctionis 42. §. ordinandus.* Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur. *ex can. fin. caus. 16. q. 1.* Quidquid habent Clerici, pauperum est, *can. sicut ii. 8. dist. 47.* Esurientium panis est, &c. *can. quod autem. 3. caus. 23. q. 7.* Non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodò gerimus.

2da hodièque communior Clericos post distributionem reddituum in quatuor portiones, de qua *in can. quatuor. 27. caus. 12. q. 2.* Et post beneficiorum institutionem fructuum ratione beneficiorum perceptorum dominos esse affirmat. Probat *ex cap. unic. de Cleric. non resident. in 6.* Ubi Clerici, qui Divinis Officiis non intersunt, quotidianarum distributionum non acquirere dominium, nec facere eas suas dicuntur. Unde necessariò præsupponitur, quòd, si intersint, earum acquirant dominium, easque suas faciant. Eodem modo *Tridentin.* declarat Beneficiatos non residentes fru-

fructus non acquirere, ergo residentes fructuum dominium acquirunt. Et ratio est: quia ista reddituum Ecclesiae distributio quoad portionem Clericis assignatam juxta qualitates & merita, nihil aliud fuit, quam redditus aliàs communes facere proprios eorum, quibus in particulari in stipendium computabantur; titulus enim divisionis emptioni & permutationi æquiparatur, dominium transfert, & proprium facit, quod antè commune & indivisum, & quamvis divisio illa non mutaverit naturam illorum bonorum, quæ à fidelibus ad cultum Divinum data sunt, *arg. Clement. quia conringit, 2, de Religios. domib.* Qualitatem tamen mutavit, ita ut, quod tempore illo, quo Clerici in communi vivebant, & reddituum Ecclesiae tantùm dispensatores erant, ex eis sumentes, quantum cuique erat necessarium, in pauperes reliquum distribuentes, cum eis portio nondum esset discreta, erat commune, modò fit singulorum. Attamen non malè Ecclesiae redditus adhucdum bona DEI & pauperum vocantur; quia peculiari ratione vel ex obligatione justitiæ vel Religionis Beneficiati superflua in pauperes aliàque opera pia erogare tenentur, ita ut Clerici quoad beneficiorum fructus usufructuario quidem in acquirendo, non tamen in disponendo æquiparandi videantur. *Trid. Sess. 25, de reform. cap. 1.* Non tantùm Episcopis, sed omnibus Ecclesiastica beneficia obtinentibus interdicit, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos familiarèsve suos secundùm carnis affectum augere studeant, sed in pauperes distribuant, quæ superflua fuerint.

Porro fructus necessarii sunt, qui ad Beneficiati & illius familiae sustentationem, scientiæ, literaturæ, nobilitatis vel dignitatis ratione habità necessarii judicantur, de quibus non aliter ac de bonis patrimonialibus beneficiatus disponere potest. Cæteri fructus & proventus appellantur superflui, & in pauperes aliosque pios usus sunt expendendi. Hæc ab omnibus admittuntur: *1mo*, Beneficiati patrimonium sufficiens habentes, illo reservato ex fructibus beneficii vivere possunt, quia dignus est operarius mercedem suam, & nemo militat propriis stipendiis. *can. charitatem, 45, caus. 12, q. 2.* Cuius ratio & usus obtineat neminem cogit proprio facere beneficium. *can. precaria, 4, caus. 10, q. 2.* Canones, qui hinc doctrinæ contrariæ videntur, ut *can. Clericos, 6, can. pastor, 7, can. si quis, 1, caus. 1, q. 2, can. illi autem, 25, caus. 1, q. 1.* De consilio, non de præcepto sunt intelligendi.

2do, Beneficiati de bonis intuitu Ecclesiae acquisitis absque licentia summi Pontificis nequidem ad piam causam testari possunt. Hodie tamen ex generali consuetudine absque licentia vel approbatione Episcopi testari solent. *cap. 1, § 2, cap. cum in officiis, 7, cap. quia nos, 9, cap. relatum, 12, de testament.* Ratio est, quia Canones bona ejusmodi post mortem Beneficiati ad Ecclesiam redire volunt, ut videre est in *cit. cap. 1, § cap. cum in Ecclesiis.* Ut Beneficiatos ab accumulandis bonis averterent, & ad res in vita liberaliter ad pios usus expendendas excitarent, ex quo capite Clericis donationem talium bonorum ad pios usus per-

permittit, non autem ad testamenti confectionem.

3^{to}. Beneficiati de iis bonis, quæ ante Clericatum habuerunt, testari possunt. *cit. cap. 1. de testament.* Et quæ post Clericatum ex successione amicorum vel industria acquisiverunt. *cit. cap. relatum.*

4^{to}. Beneficiatis, si ab intestato de-

cedant, in bonis patrimonialibus, vel proprio labore vel industria acquisitis cognati: in bonis autem intuitu Ecclesiæ acquisitis Ecclesiæ, cui servièrant, id est: cujus est beneficium, quod morientes obtinebant, succedit. *cap. fin. de pecul. Clericor.*

§. Secundus.

DE

Personis, quibus, & à quibus Beneficia conferri possunt.

Quaeres 1^{mo}. Qui beneficia conferre possunt? *Re. 1^{mo}.* Summus Pontifex, qui plenam, liberam, & nullis legum vinculis adstrictam omnium beneficiorum dispositionem habet, cum Episcopis omnibus, quotiescunque placet, concurrat. *can. cuncta per mundum. 17. caus. 9. q. 3. ad honorem. 4. de authorit. & usu pallii. cap. proposuit. 4. de concess. Præbend. cap. dudum. 14. de præbend. in 6.* Ratio est: quia in summo Pontifice est plenitudo potestatis. *can. decreto. 11. & seqq. caus. 2. q. 6.*

2^{do}. Legatus summi Pontificis, si sit de latere, id est, ex Collegio Cardinalium, in sua provincia in beneficiorum collatione cum omnibus Ordinariis concurrat, & beneficia conferre potest. *cap. 1. de offic. Legati. in 6.* etiam quæ sunt patronatûs Ecclesiastici. *cap. dilectus. 6. de offic. Legati. cap. cum dilectus. 28. de jure patronatûs,* etiam quorum collatio ad summum Pontificem devoluta. *cap. Venerabilis. 37. de præbend. Gloss. in ca. 1. de officio Legat. in 6. verb. ampliori. & in R.D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.*

Clement. si de beneficio. 5. de præbend. verb. sive ad nos. Beneficia quoque nondum vacantia sibi reservare potest. *cap. præfenti. 3. de officio Legat. in 6.* Legati sequentia prohibentur conferre beneficia: 1^{mo}. In Ecclesiis regularibus vel Cathedralibus & Collegiatis majores post Episcopatum dignitates. *cap. deliberatione. 4. de offic. Legat. in 6.* 2^{do}. Beneficia summo Pontifici reservata. *cap. quod translationem. 4. de offic. Legati. 3^{to}.* Beneficia litigiosa. 4^{to}. Beneficia juris patronatûs Laicorum. *Gloss. in Clement. per literas. de præbend. verb. Apostolicis. nisi per negligentiam ad Episcopi collationem fuerint devoluta.*

3^{to}. Ordinarii collatores, qui jure proprio, sive illud ex lege sive ex concessione summi Pontificis, sive ex præscriptione, sive ex consuetudine habeant, beneficia conferunt, quantumvis ordinariam non obtineant jurisdictionem. *cap. cum nostris. 6. cap. accedens. 14. cap. postulastis. 15. de concess. præbend.* Et imprimis præbendas Ecclesiæ Cathedralis

X

Episco-

Episcopus cum consilio Capituli de jure communi confert. *cap. novit. 4. cap. quanto. 5. de his, que sunt à Pralat.* Et generaliter omnium beneficiorum in sua Diocesi collator est Episcopus, nisi aliter fundatione, consuetudine, vel statuto sit cautum. Sede vacante, quanquam Capitulum Cathedrale in administratione succedat, beneficia tamen ad collationem Episcopi pertinentia conferre nequit. *cap. illa devotionis. 3. ne Sede vacante. cap. unic. eodem. in 6.* Quamvis ex jure devotuto ad Episcopum pertineat collatio, quod intelligendum de collatione libera, Capitulum enim Sede vacante electos confirmare. *cap. cum olim. 14. de majorit. & obedient. & præsentatos instituire potest. cap. 1. de institut. in 6.* Ratio est: quia Capitulum in his, quæ ex mera liberalitate & donatione Episcopi, inter quæ est beneficii collatio, procedunt, non succedit, quamvis enim Episcopus intratempus à jure definitum collationem facere debeat, non tamen magis huic, quam illi, unde etiam collatio vocatur donatio. *cap. relatum. 9. de præbend. cap. post electionem. 7. de concess. præbend.*

40. Vicarius Generalis Episcopi beneficia liberæ collationis conferre non potest, nisi ei talis facultas ab Episcopo expressè sit commissa. *cap. fin. de offic. Vicar. in 6.*

50. Qui est in quasi possessione juris conferendi, illud confert, licet eum proprietarium non fuisse postmodum appareat. *cap. querelam. 24. de elect. cap. cum olim. 7. de caus. possess. & propriet. cap. consultationibus. 19. de jure patronat. Ra-*

tio est: quia præsentatio, collatio, electio ad eum, qui est in quasi horum juriurum possessione, pertinent, cum sint quasi fructus, qui possessori bonæ fidei obveniunt. Unde provisus, præsentatus, vel electus à possessore, proviso à proprietario præfertur. *cit. cap. querelam.*

60. Laici beneficia conferre nequeunt, cum enim ministerium, propter quod conceditur beneficium, sacrum sit & spirituale, consequenter ipsa beneficia sunt spiritualia, ut per Laicos Ecclesiæ obtineri non debeant.

Quæres secundo. Quibus beneficiis conferenda? 1. Idoneis, & capacibus. *cap. causam. 8. de elect. cap. grave nimis. 29. de præbend. cap. in Ecclesia. 2. de institut. cap. relatum. 3. de concess. præbend.* Quæ ad capacitatem requirantur, constat ex supra dictis.

Specialiter quantum ad ætatem in Beneficiato requisitam notanda sequentia:

1mo. Ad beneficia simplicia jure antiquo ætas septennis solum requirebatur. *Gloss. in cap. si eo tempore. de rescriptis in 6. verb. ætatem.* Hodie ex decreto Trident. *Sess. 23. de reform. cap. 6. 14. annorum ætas requiritur; nisi in fundatione aliud reperiat expresse, vel beneficium Ordinem annexum habeat, qui majorem exigat ætatem.*

2do. Ad dignitatem, Canonicatum, vel portionem, cui certus Ordo annexus, nemo recipi potest, nisi qui eo Ordine initiatus, quem illa dignitas, præbenda vel portio requirit. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* Vel in tali ætate, ut intra tempus à jure statutum, scilicet intra annum initiari valeat. *Trident. Sess. 22. de reform. cap. 4.*

3tio. Quia juxta *Trident.* in Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus Ordinem sacrum Presbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus annexum habere debent, idèd, ubi *Trident.* quoad hoc receptum, in Ecclesia Cathedrali ad Canonicatum talis requiritur ætas, ut provifus intra annum sacrum Ordinem annexum fufcipere poffit.

4to. Ad parochiales Ecclesias & dignitates, quibus subeft animarum cura, promovendus annum ætatis 25. attigiffe debet. *cap. cum incunctis. 7. §. inferiora. de election. cap. licet Canon. 14. eod. in 6. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 12.*

5to. Ad alias dignitates vel personatus, quibus nulla subeft animarum cura, jure antiquo eadem, quæ in curatis, requireretur ætas. *cit. cap. cum incunctis. §. inferiora.* ita tamen, ut in majoribus 20. annis Epifcopus difpenfare poffet. *cap. unic. de at. & qual. in 6.* Hodie ex difpofitione *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 4.* requiritur annus 22. nec Epifcopo permittitur difpenfatio.

Quæres tertio. An promovendus ad beneficium debeat effe persona dignior? Eft autem persona dignior, quæ confideratis omnibus circumftantiis, ac animi corporisque dotibus utilior Ecclefie creditur futura. Persona digna eft, quæ qualitates ad ministerium beneficio annexum requifita habet. Indigna eft, cui aliqua ex his qualitatibus deeft, vel quæ muneri, quod beneficio incumbit, nequit fatisfacere. His præmiſſis

Re. 1mo. Ad Epifcopatus promovendos debere effe digniores exprimit *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 1.* obteftans

omnes Ecclesiis Cathedralibus providentes alienis peccatis communicando, peccare mortaliter, nisi quos digniores & Ecclefie magis utiles ipfi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, fed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.

2do. Mens Tridentini circa Ecclesias parochiales constat ex *Sess. 24. de reform. cap. 18.* ubi Epifcopo injungitur, ut ex concurrentibus ad Pastorum cum eligat, quem præ cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi & non alteri collatio Ecclefie ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Patronis præcipitur, ut quem digniorem inter probatos ab examineribus judicaverint, Epifcopo præſentare teneantur, ut ab eo inſtituatur, ſi verò inſtitutio ab alio quàm Epifcopo facienda, tunc Epifcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem ſpectat inſtitutio.

3tio. Hæc non ſolùm locum habere in Parochiis, quæ à patrono Ecclefiaſtico conferuntur, in quibus juxta difpofitionem *Trident. loc. cit.* concursus fieri debet, ſed etiam in aliis Parochiis, quæ patronorum Laicorum ſubſunt collationi. Deducitur ex propoſit. 47. ab Innocent. XI. damnata: *Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes peccare mortaliter, qui, niſi quos digniores & Ecclefie magis utiles ipſi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel videtur 1mo per hos digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo propoſi-*

tivo : vel 2do. Locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur, quando sit concursus. Ergo etiam extra concursum dignior est preferendus.

4to. Etiam ad beneficium simplex promovendus dignior esse debet, ut docet verior Canonistarum & Theologorum sententia, ex his fundamentis:

1^{um}. Cap. unic. ut Ecclesiast. benef. si e diminut. Ubi ita loquitur Pontifex de beneficio simplici: "Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare."

2^{dum}. Quia aliàs in materia gravi fit personarum acceptio juxta Doctor. Ang. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. "Si potest haberi magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius preferatur, oportet, quòd hoc sit propter aliquam causam, quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus, si verò non pertineat ad negotium, id, quod consideratur ut causa, erit manifestè acceptio personæ. Clarius q. 158. a. 3. O. Quidam non quarunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti vel dediti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptiorem personarum, quæ in talibus est grave peccatum."

3^{ium} fundamentum. Finis primarius beneficia instituendi fuit major DEI cul-

rus majusque Ecclesiarum bonum, finis autem secundarius bene meritum remuneratio; si autem digniores excludantur, uterque hic finis impeditur, & sic excludens contra fidelitatem ex officio debitam agit, cum Ecclesia huic vel illi potestatem providendi de beneficio eâ conditione commiserit, ut eâ tanquam fidelis dispensator secundum fines ab Ecclesia in erectione beneficiorum intentos utatur. Violatio autem fidei in re gravi ac ex officio debita peccatum mortale esse cognoscitur.

Quæres quarto. Quando alicui de beneficio provideri potest? R. Si beneficium per mortem vel naturalem vel civilem, vel alio modo vacat, primò congruentia est, ut tumulato Beneficiati corpore Ecclesia vacans alteri prius conferatur. cap. bona memoria. 36. de elect. Ideo 1^{mo} beneficium non vacans in casum mortis vel vacaturæ dari nequit. cap. 1. & 2. de concess. præbend. cap. detestanda. eod. in 6. Ne quis mortem alterius desiderare videatur.

2^{do}. Quamvis olim beneficium vacaturum, sub conditione: si vacaverit, vel cum potuero, promitti poterat. cap. accedens. 14. de concess. præbend. Hodie tamen ne directè vel indirectè via ad vacaturas aperiatur, beneficium actu nondum vacans nec promitti, nec acceptari potest. cap. ne captanda. 3. de concess. præbend. in 6. Potest tamen aliquis sine præbenda recipi in Canonicum cum promissione, quòd ei præbenda proximè vacatura sit conferenda. cap. relatum. 9. de præbend.

3^{io}. Antequam beneficium vacet, à pa-

à patrono nec presentatio, nec promissio obligatoria de facienda presentatione ad beneficium vacaturum fieri potest. *cap. fin. de concessione præbend.*

4to. Quamvis Legatus Apostolicus beneficiorum resignationes recipere & beneficia conferre valeat. *Gloss. in cap. de liberatione. 4. §. prohibemus. de offic. Legati. in 6. verb. cuicumque.* Receptionem tamen resignationis beneficiorum, vel ipsorum collationem si vacaverint, in genere vel in specie alteri committere nequit. *cit. cap. de liberatione.* Ubi *Gloss.* hæc inquit: "Non potest (Legatus) resignationem committere uni, qui recipiat, & alteri, qui demum conferat; quia quâ ratione committendo hæc eidem daretur via ad vacaturas, eadem ratione committendo hæc diversis, & iste est casus specialis, quo possum per me, quod non per alium, contra *Regul. 69. de Regul. Jur.*"

5to. Episcopus licet suo Vicario Generali recipiendi resignationes & beneficia conferendi facultatem committere possit. *cap. fin. de offic. Vicar. in 6.* Personæ tamen singulari, nec ipsi Vicario de certo beneficio committere potest. *Gloss. loc. cit.*

6to. Procurator ad presentandum in specie ad beneficium sive per mortem, sive per renuntiationem, sive aliâs vacaturum constitui nequit. *Arg. cap. de liberatione.*

7tmo. Pœnæ beneficium nondum vacans impetrantis sunt: 1mo. Privatio communionis. *cap. 1. de concess. præbend.* 2do. Habetur ut fur & latro. *can. non furem. 10. caus. 7. q. 1.* 3tio. Infamia.

can. audivimus. 4. caus. 3. q. 2. Privatur honore & gradu Ecclesiastico. *can. imprimis. 7. §. quia ergo. caus. 2. q. 1. 4to.* Si beneficium illud, quod vivente altero obtinuit, postmodum vacare contigerit, illud obtinere non potest; ut enim quis eam nequit obtinere uxorem, cum qua vivente marito contraxit. *cap. 2. de eo, qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* Ita nec potest habere Ecclesiam, quam vivente Beneficiato adulteravit. *can. sicut alterius. 39. caus. 7. q. 1.*

Quæres quinto. Intra quod tempus provisio de beneficio fieri debet? R. Ne propter diutinam vacationem in spiritualibus & temporalibus Ecclesiæ patiantur detrimentum. *cap. quoniam. 5. §. porro, ut lite non contest.* Intra tempus à jure statutum provisio fieri debet: 1mo. Defuncto Episcopo vel Prælato regulari perpetuo, Ecclesiæ Cathedrali vel regulari vacanti de novo Prælato intra tres menses est providendum. *can. postquam. 11. dist. 5. can. obeuntibus. 35. dist. 63. cap. ne pro defectu. 41. de elect. cap. dilectus. 12. de concess. præbend.*

2do. In cæteris Ecclesiarum sæcularium vel regularium Prælaturis vel beneficiis quibuscunque intra sex menses provisio fieri debet. *cap. de multa. 28. de præbend. cap. nulla. 2. de concess. præbend. cap. licet. 3. de suppl. neglig. Prælat.*

3tio. Similiter patronus Ecclesiasticus vacante beneficio intra sex, patronus autem Laicus intra quatuor menses presentare debent. *cap. unic. §. verum de jure patronat. in 6.*

4to. Hoc tempus trimestris, quadrimestris, & semestris à die habitæ scientiæ

tiæ vacationis de momento in momentum est numerandum. *cap. quia diversitatem. 5. de concess. preb.* Vel quo scire potuit, & debuit, Nec currit legitimè sive de jure, sive de facto impeditum, cum non imputari debeat ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. *Reg. 41. de Reg. Juris. in 6.*

5to. Si is, ad quem de beneficio vacante providere spectat, intra tempus præfixum non providerit. *cap. licet. 3. de suppl. neglig. Prælat. cap. nulla. de concess. præbend.* Vel indigno notabiliter aut incapaci contulerit, gradatim ad Superiores fit devolutio, quibus iterum à die habite notitiæ currit semestre, nisi devolutio facta fuerit à patrono Laico, qui solum quadrimestre habet, fit autem cum onere & qualitatibus pro prima provisione requisitis devolutio.

Quæres sexto. Quot modis summus Pontifex alicui de beneficio providere potest? R. Duobus modis: Jure videlicet ordinario & extraordinario, Jure suo, hoc est, ordinario confert: 1mo. Beneficia suæ Diocesis, 2do. Vacantia in Curia Romana, 3tio. Beneficia ab ordinariorum potestate exempta. *cap. fin. de renuntiat. 4to.* Ad summum Pontificem devoluta. Jure extraordinario confert beneficium extra Diocesi concedendo, vel promovendo Ordinarium, vel dando mandatum de providendo.

Quæres septimo. Quid circa rescriptum, per quod Papa beneficium confert, notandum? R. 1mo. Papa beneficia per signaturam & Bullam, ut vocant, confert, quamvis enim Papa solo verbo gratiam conferre possit. *can. institutionis.*

7. *caus. 25. q. 2.* Ex stylo tamen Curie gratia non expeditur, nisi per signaturam & Bullas. Signatura fit in charta, quæ supplicationem partis & Papæ concessionem continet: Bulla fit in membrana, cui sigillum rotundum appendet per modum Bullæ, sive sit plumbeum, sive aureum, sive argenteum. Per expeditionem Bullæ gratia est perfecta.

2do. Bulla vel rescriptum ad beneficia omnia, quæ Papam à concessione gratiæ dimovere, vel difficilem reddere potuissent, continere debet, aliàs gratiis contenta censetur subreptitia. *cap. postulasti. 27. de rescript. cap. gratia. 7. eod. in 6.* Illa autem, quæ sunt exprimentum vel sunt de beneficio, quod quis impetrare nititur, vel de eo, quod jam est obtentum.

3tio. De beneficio obtinendo sunt exprimentum: Qualitas beneficii, an sit curatum. *cap. cum in illis. 16. de præb. in 6.* An requirat residentiam. *cap. fin. de Cleric. non resident.* An sit sæculare vel regulare: an patronatum patrono Laico. *cap. cum de beneficio. 5. de præb. in 6.* Valor beneficii. An sit litigiosum. *cap. fin. 2. ut lite pendente. in 6.*

4to. De beneficio, quod impetratum jam habet, exprimi debet imprimis valor illius beneficii. *cap. ad aures. 8. cap. cum adeo. 17. cap. si proponente. 42. de rescript. cap. non potest. 21. de præbend. in 6.* Deinde memoranda illius beneficii qualitas. *cap. ad aures. Clement. 1. de præbend. in 6.* Demum exprimentum est beneficium, quo quis spoliatus, vel quod impetratum & collatum, sed per impetratum nondum est acceptatum.

410. In rescriptis clausula, subreptionem ejusque suspicionem, non tamen falsitatem excludentes, adjici solent, quarum

1^{ma}, per quam impetrans ad effectum gratiæ concessæ à censuris absolvitur, cum excommunicatus gratiam impetrandi capax non sit. *cap. postulastis. 6. de Cleric. excomm. cap. 1. de rescript. in 6.*

2^{da}, quæ habentur expressa beneficia impetrantis. In vim hujus gratiæ subreptitia non est, quantumvis beneficia impetrantis in supplica non exprimentur, ex hoc tamen impetrans beneficia, si incompatibilia existant, retinere nequit. *cap. non potest. 21. de prebend. in 6.* Nec sanantur inhabilitas & vitia impetrantis. *Gloss. in Clement. si Romanus. 4. de preb. verb. validam.*

3^{tia}: Ex motu proprio. Hæc clausula quamvis plenissimam faciat interpretationem juxta *cap. si pluribus. 24. de preb. in 6.* Et tollat omnem subreptionis suspicionem. *cit. Clement. si Romanus.* Nihil tamen contra jus commune operatur. *cap. si motu. 23. de prebend. in 6.*

4^{ta}: Vel alio quovis modo vacet. Hæc est necessaria; quia aliàs si modo vacationis expresso beneficium non vacaret, gratia nulla foret.

5^{to}. Rescriptum falsum præsumitur, si vel in ipsius tenore Bullæ, vel in charta, filo, vel stylo quidquam falsitatis deprehendatur. *cap. licet. 5. cap. quam gravi. 6. de crimine falsi.* Vel si aliqua ratura inveniatur. *cap. inter dilectos. 6. de fide instrument.* Si per scripturam intermediam aliquid sit additum. *cap. cum venerabilis. 7. de religios. domib.* Si data

non sit apposita. Juxta *L. 4. C. de divers. rescript.* Ibi: Si quæ beneficia personalia sine die & Consule fuerint deprehensa, autoritate careant, Si in constructione apertum sit vitium. *cap. ad audientiam. 11. de rescript. junct. gloss.*

Quæres octavo. Qualiter jure præventionis beneficium à Papa impetratur? *1^{mo}.* Cum Pontifex cum omnibus Ordinariis in provisione de beneficiis vacantibus concurrat, jus præventionis est: si aliquis beneficium vacans à summo Pontifice impetravit, & alius idem beneficium postmodum impetret ab Ordinario, provisos à summo Pontifice præfertur, & econtra si quis vacans beneficium prius impetravit ab Ordinario, is præfertur postmodum impetranti à Papa. *cap. si à Sede. 31. de prebend. in 6.*

2^{do}. Simili ferè modo Legati à latere in provincia, in qua legatione funguntur, jus præventionis habent, quod ad alios Sedis Apostolicæ Nuntios non extenditur. *cap. 1. de offic. Legat. in 6. junct. gloss. verb. ampliori.*

3^{tio}. Si beneficium vacans eodem die à Papa & Ordinario conferatur, nec appareat, quæ collatio prius facta, potior est conditio possidentis. *cit. cap. si à Sede.* Quod si uterque possideat, potior est, qui primus possessionem cæpit, quod si neuter possideat, vel dubium sit, quis prior possederit, propter conferentis majorem prærogativam, cui Sedes Apostolica contulit, erit alteri præferendus. *cit. cap. si à Sede.*

4^{to}. Factâ præsentatione à Patrono etiam Clerico, quamvis Papa Ordinarium conferendo præveniat, collatio præ-

præveniens in effectu præventionem non habet, quia hæc præsentatio à patrono facta vim habet electionis.

Quæres nono. Quid circa mandata Pontificia de providendo observandum? 2o. Mandatum de providendo est rescriptum summi Pontificis, quo alicui de beneficio vacaturo provideri mandat. *cap. mandatum. 38. Et seqq. de rescriptis. cap. executor. 4. de concess. præbend. in 6.* Hæc mandata de providendo sive omnes gratiæ expectatiæ sacris Canonibus sunt contraria, cum mortem alterius expectare faciant, ac variis artibus & circumflexibus ducant indignos ad beneficia exclusis dignioribus, ideo prohibita sunt in *Concil. Basiliensi*, & novissimè in *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 19.* Quia tamen Papa & Curia Romana manus sibi ligari non permittit, circa rescripta beneficiorum observanda sunt sequentia:

1mo. Antiquitus Papa tribus modis ad beneficia vacatura literas dare solebat: imprimis dabat monitorias, quibus Ordinarios hortabatur, ut Ecclesiis idoneos, maximè verò eos, quos sine titulo ordinassent, præficerent. *cap. accepimus. 13. de arat. Et qualit.* Si hæ monitoriæ nihil efficerent, dabat deinde præceptorias, quibus iisdem Ordinariis, ad quos monitorias dederat, præcipiebat, ut impetranti beneficium vacans, & si nullum vacaret, primò vacaturum conferret. Hisce nihil operantibus addebantur demum executoriæ, quibus Pontifex executores deputabat, vel ut Ordinarios ad providendum cogerent, & dicebantur executores ad compellendum, vel qui recusantibus Ordinariis ipsi confer-

rent, & dicebantur executores ad providendum. Hi non solum conferebant, *cap. si Capitulo. 5. cap. si soli. 6. de concess. præbend. in 6.* sed etiam collationem Ordinario interdicebant, & beneficia collationi suæ reservabant. *cit. cap. si Capitulo.* De tribus his rescriptorum speciebus agitur in *cap. constitutus. 19. cap. Capitulum S. Crucis. 30. cap. ex insinuatione. 37. cap. literis. 39. de rescriptis.*

2do modo Pontifices Romani jure proprio & speciali Ordinariis collatoribus absolute mandant, ut beneficium proximè vacaturum impetranti conferant, & executoribus in mandato expressis potestatem tribuunt conferendi, si Ordinarii post præsentationem mandati legitime & suo tempore factam consensu negligant, aut reculent. *cap. si Apostolica. 22. de præbend. in 6.*

3tio. Communiter Canonistæ rescripta Pontificia in rescripta justitiæ & rescripta gratiæ dividere solent: Rescripta justitiæ dantur ad lites & justitiam administrandam, Rescripta gratiæ ad beneficia, dispensationes, &c. Attamen præsentia rescripta ad beneficia in rescripta justitiæ & rescripta gratiæ dividi possunt; quamvis enim omnia mandata de providendo gratiæ sint, eò quòd Papa per similes literas potius huic, quàm illi provideri velit, sunt tamen etiam quandoque justitiæ, quando scilicet concessionem talium literarum justitia exigit. Videatur *Gloss. in Extrav. Joannis XXII. de præbend.* Cum enim nihil justius sit, quàm initiatum sacris Ordinibus, & sine titulo ordinatum ab Episcopo suo consequi beneficium. *cap. 2. Et 4. de præbend.* Ideo
lire.

literæ, quæ dantur hujusmodi ordinatis ad beneficium, literæ justitiæ, vel *litera in forma communi* vocantur. Cùm enim ex hac causa, quòd Ordinarii his, quos ordinassent, beneficia non conferrent, originem literæ monitoriæ & præceptoris habeant, ideo rescripta, quæ ordinatis sine beneficio dantur, literæ in forma communi appellantur. Dicuntur etiam *litera in forma pauperum*, quia Clericis pauperibus sufficiens patrimonium & sustentationis titulum non habentibus conceduntur. Vocantur quoque *litera in forma secundum Apostolum*; quia earum fundamentum ex Apostolo est: *Qui altari servit, vivere debet de altari.* Ut refertur in *cap. cum secundum. 16. de præbend.*

4to. Rescripta gratiæ ad beneficia juxta stylum Curie varias habent formas: Alia sunt *in forma dignum*; alia *in forma gratiosa*. In forma dignum conditionem, si impetrans sit repertus idoneus, annexam habent. *Clement. unic. de offic. judic. delegat. junct. gloss.* Ideo Episcopus vel executor, ad quem diriguntur, in vitam & mores impetrantis, antequam ei provideat, inquirere debet, quod non fit, quando literæ *in forma gratiosa* expeditæ sunt, *arg. cap. accepimus. 13. de etat. & qualit.* Aliæ appellantur literæ facultatis, si Papa Ordinario mandat, ut beneficium reservatum, vel alio modo sibi affectum personis conferat idoneis, *cap. dudum. 14. cap. quamvis. 38. de præbend. in 6.* Et quia per has Ordinarius jus suum recuperat, provisus vi harum literarum non Apostolicus, sed Ordinarii provisus est. *cap. cum aliquibus. 4.*

R.D. Schnorrenberg *Instit. 7. Can.*

de rescript. in 6. Cùm per literas gratiæ provisus apostolicè sit provisus. Demum alia sunt rescripta *in forma si neutri, si nulli, si alteri.* Hæc rescripta in litis eventum dantur, quando super beneficio vacante duo vel plures litigant, ut si ex fine litis appareat nullum collitigantibus jus competere, vel uni ex collitigantibus provideatur, & tunc sunt *in forma si alteri*, vel conferatur tertio vi literarum, *si neutri*, dum duo litigant, vel vi literarum, *si nulli*, dum plures, quàm duo litigant.

5to. Sub literis expectativis quælibet beneficia etiam dignitates, Canonicatus, &c. continentur. *cap. si soli. 6. de concess. præbend. in 6.* Pertinentia ad collationem Ordinarii, ad quem mandatum de providendo dirigitur, nisi sint certo modo excepta, uti excipiuntur 1mo beneficia sæcularia, si mandatum sit ad officium regulare, & e contra. *cap. cum de beneficio. 5. de præbend. in 6.* 2do beneficia summo Pontifici reservata. 3tio beneficia electiva. *cap. cum in illis. 16. de præbend. in 6.* Dummodo sint propriè electiva, quæ talia sunt, ut indigeant confirmatione, unde non comprehenditur Scholasteria, &c. 4to. Quæ diversi Ordinis, quàm impetrans. 5to. Post datas literas noviter erecta. *Clement. fin. de rescript. junct. gloss.* 6to. Quæ alio modo quàm per obitum, ut causâ permutationis, vacant. *cap. unic. de rerum permut. in 6.* 7mo ea, quorum collatio ex negligentia Episcopi ad Capitulum, devoluta. *Clement. si de beneficio. 5. de præbend. 8vo.* Quæ expressa & unita. *cap. cum accessissent. 8. de constitutionibus. 9no.*

Y

Quæ

Quæ sunt de mensa Prælati, *Clem. unic. de excessib. Prælat. 10mo.* Quæ ex consuetudine Ecclesiæ optioni sunt subiecta. *cap. fin. de consuetud. in 6. 11mo.* Quæ paterna, ne in beneficiis fiat successio. *cap. ad presentiam. 2. cap. ex transmissa. 7. de filiis Presbyt. 12mo* ea, quorum impetrans tempore dati mandati incapax fuit. *cap. si eo tempore. 9. de rescriptis. in 6.* Demum si collator unicum beneficium ad suam collationem pertinens habeat, quod beneficium monoculum appellatur. *Gloss. in Clement. 1. de præbend. verb. incerta.*

Quæres decimo. Quid circa reservationem beneficiorum observandum? *q. 1mo.* Reservatio est: alicujus beneficii Ecclesiastici vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio. Cujus effectus est, adimere jus conferendi Ordinariis; cum enim ordinarii Collatores sapius abuterentur jure collationis, plus deferentes carni & sanguini, quam justitiæ, utilitati & necessitati Ecclesiæ, ut Ecclesiis de viris pietate & literaturâ præstantibus provideretur, sub hoc prætextu Romani Pontifices reservationes introduxerunt. *Arg. Extrav. Execrabilis. de præbend. junct. gloss. verb. reservamus.*

2do. Solus summus Pontifex, & cum certis limitationibus Legatus de latere ejus beneficia reservare possunt. *cap. presentis. 3. cap. deliberatione. 4. de offic. Legat. in 6.*

3tio. Reservatio alia generalis, quando Papa sibi omnia beneficia tali modo vacatura reservat, ut beneficia, quæ vacant per adeptionem secundi incompatibilis. *Extrav. Execrabilis. de præbend.*

Quæ in Curia Romana vacabunt, beneficia Officialium summi Pontificis, beneficia Cardinalium, & quoties reservatio in corpore juris est clausa, vel per Extrav. vel per Regulam Cancellariæ inducta.

4to. Alia reservatio specialis, quando vel reservatur beneficii corpus, ut beneficium talis in tali Ecclesia, vel incertum in individuo, ut quod primò in tali Ecclesia vacaverit.

5to. Alia est reservatio expressa, alia tacita. Expressa fit per actum verbalem & expressum verbo: *Reservamus.* Tacita, quæ etiam affectio dicitur, est: cum Papa super dispositione alicujus beneficii semel apposuit manum, etiamsi provisio nulla fuerit, utpote incapaci & inhabili facta, vel quia subreptitia, vel alio laborans vicio; tunc enim beneficium summo Pontifici dicitur affectum, ita, ut inferiores omnes circa dispositionem hujus beneficii taliter sese intrmittere non valeant.

6to. Sede Apostolicâ vacante beneficia reservata quovis modo vacantia ab Ordinariis conferuntur; tunc enim omnes regulæ cessant reservatoriæ.

Quæres undecimo. Quæ beneficia in Germania sunt reservata? *q.* Attendenda sunt concordata inter Nicolaum V. Pontificem & Fridericum III. totamque Nationem Germanicam inita Anno 1447. vi quorum reservata sunt: *1no.* Beneficia quæcunque majora & minora, cum cura & sine cura, sæcularia & regularia, quæ vacant apud Sedem Apostolicam, seu in Curia, & sunt reservata per Extrav. *Execrabilis. Et: Ad regimen. de præbend.*

2do. Majores dignitates post Pontificales

cales in Cathedralibus, & principales dignitates in Ecclesiis Collegiatis.

310. Quælibet alia beneficia vacantia in mensibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri & Novembri. Quoties autem vacante beneficio taliter reservato in his mensibus intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii non apparuerit, quòd alicui de illo Apostolicâ dignitate provisum fuerit, ex tunc Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebat, de illo libere disponendi habet facultatem.

Quæres *duodecimo*. Quid circa preces Cæsareas observandum? *Re. 1mo*. Imperator Rom. neo-electus in quavis Ecclesia intra Romanum Imperium personam aliquam idoneam beneficiorum Collatoribus nominare potest, cui beneficium quodcumque vacans vel proximè vacaturum conferre debeant. Hæc Imperatoris nominatio preces primariæ vocatur, vel quia cuius juri nominandi, conferendi, vel præsentandi præferuntur, vel quia sunt veluti prima Cæsaris electi petitio. Ipsa persona à Cæsare nominata per preces precista appellatur. Hoc privilegio precum non tantum nominatus per Cæsarem gaudet, sed etiam nominatus per eum, cui illud jus nominandi per Cæsarem est concessum, cum de mandato alterius nominatus à mandante nominatus esse censeatur. Imò quia Cæsares tale nominandi jus Electoribus demandare solebant, ideo S. R. I. Electores ex consuetudine in omnibus Ecclesiis suæ Diocesis preces sibi arrogant Electorales.

2do. Preces hanc habent originem:

Neo-electus Imperator de jure Canonico approbandus vel confirmandus est à summo Pontifice. *Juxta cap. venerabilem. 34. de elect.* Electus & approbatus à summo Pontifice eidem juramentum defendendæ Ecclesiæ Romanæ &c. præstabat, quo præstato à Pontifice coronabatur tertia coronâ aureâ, quâ ultimò Bononiæ à Clement. VII. Anno 1530. 24. Febr. Carolus V. coronatus fuit. Postmodum electi Imperatores summo Pontifici per solemnem legationem suam electionem solùm indicarunt, qui præstato per Legatum juramento eandem approbare solebat, modò nec hanc solemnem pro approbatione legationem Imperatores Rom. mittere volunt: ideòque Curia Romana privilegium quoque precum, quod Rom. Imperatoribus post approbationem vel confirmationem dari solitum fuit, vult denegare.

3tio. Germani Canonistæ sustinent, quòd Imperator electus ante confirmationem à Papa acceptam preces dare possit, hoc nixi fundamento, quia quamvis spectato jure communi in Imperatorem electus ex sola electione jus & auctoritatem administrandi imperium non habeat, spectatâ tamen consuetudine, post divisum per hæresin imperium introductâ, Imperator electus statim imperium administrat, nec confirmationem à Pontifice petit: ideòque etiam privilegia & gratias Imperatoriæ dignitati ex consuetudine & Romanorum Pontificum indultis annexas, inter quas preces numerantur, concedendi obtinet potestatem.

4to. Cæsar preces primarias porrigendi,

di, seu personas idoneas nominandi præ quibusvis Collatoribus vel Collatricibus habet potestatem, quâcunq; illi vel illa dignitate præfulgeant, ad quâcunq; beneficia Ecclesiastica per S.R. Imperium ubilibet constituta, sive in Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis vel aliis quibusvis Ecclesiis, sive sint curata, sive non, nisi excepta sint beneficia.

5to. Excipiuntur autem beneficia sequentia: 1mo. In Ecclesiis extra Roman. Imperium de facto constitutis, licet sint in territorio, quod olim ad Rom. Imperium pertinebat, preces locum non habent, & quamvis Collator in Germania domicilium habeat, si beneficia extra Germaniam existant, precibus haud sunt affecta. Econtra si Collator extra Imperium domicilium habeat, beneficia tamen saltem quatuor in Imperio, quorum collatio ad illum pertinet, preces recipere obligantur. 2do. Excipiuntur beneficia juris patronatus Laici. 3tio. Beneficia manualia. 4to. Beneficia ex causa permutationis vel resignationis simplicis in manus Papæ vacantia. 5to. Beneficia post preces Cæsareas erecta. 6to. Beneficia ad duorum collationem spectantia, si preces ad unum sunt directæ. 7tmo. Beneficia incorporata & unita. 8vo. Beneficia regularia. Hanc exceptionem quidam probant hoc fundamento: Beneficia regularia vel sunt talia ex natura sua, quâ videlicet Statum Religiosum requirunt, vel præsupponunt, ut Abbacia, vel Præpositura Regularis, Monachatus, & hæc sub precibus non cadunt Cæsareis, ut patet ex praxi & consuetudine; Im-

perator enim electus Prælatos vel Præfectos in Monasteriis non nominat; vel sunt beneficia regularia solum ex fundatione, vel longæva præscriptione, quæ Professionem Religiosam per se non requirunt; sed nec ad hæc Imperator per preces nominare solet, ne Religiosam turbet disciplinam, sed totam dispositionem Prælati & Superioribus Ordinis relinquit. 9no. Preces in dignitatibus majoribus post Pontificalem in Cathedralibus, & in principalibus dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum locum non habent. Quæ autem majores sint dignitates, ex praxi & consuetudine locorum cognosci debet: in Germania majores dignitates in Cathedralibus, & principales in Collegiatis sunt Decanatus & Præpositura, & cum privilegium à Paulo V. Ferdinando II. datum utatur numero plurali: *Post Pontificatum majores*, videtur, quod neque Præpositura neque Decanatus precibus gravari possint. 10mo. Preces in pluribus beneficiis ad eundem Collatorem pertinentibus locum non habent; non enim Cæsar eundem Collatorem per preces bis gravare intendit, quare si nominatus à Cæsare ad primum vacaturum primum vacans negligat, secundum petere nequit, sed gratia Cæsaris est extincta. 11mo. Preces cum, qui non habet jus conferendi saltem quatuor beneficia, non gravant Collatorem.

6to. Potest Imperator vel simul, vel successivè unum per preces nominare ad diversos Canonicatus in diversis Ecclesiis, & tunc acceptione unius in una Ecclesia cæteræ nominationes in aliis Ecclesiis extinguuntur.

tinguntur; neque enim ideo plures nominationes ejusdem personæ ad diversas Ecclesias à Cæsare fiunt, ut unus plura adipiscatur beneficia, sed ut citius nominato provideatur. Cæsar quoque eisdem personæ novas preces post primæ nominationis vel gratiæ extinctionem concedere potest, cum per hoc nec Sedi Apostolicæ, cujus non interest, cui fiat collatio, neque Collatoribus Ordinariis, qui semel tantum gravantur, neque juris dispositioni ratione pluralitatis beneficiorum præjudicetur.

7^{imo}. Postquam Imperator uni preces dedit, eas revocare ac alterum nominare potest, quia quamvis, qui semel præsentavit, variare non possit, cum præsentatus jus ad beneficium vacans per præsentationem acquirat, in beneficio tamen vacaturo non jus per preces, sed solum jus ad implorandum Executoris officium acquiritur.

8^{vo}. Si preces concessæ ob mortem v. g. præcistæ effectum non sint sortitæ, Imperator alium nominare potest; quan-

do enim actus secundum intentionem disponentis effectum non habet, ad unum actum non restringitur, quare si præcista gratiam non admittat, Cæsar eam libere alteri conferre potest, donec preces plenum sortitæ sint effectum.

9^{no}. Ut preces facilius habeant effectum, Cæsar in concessione earum Executorem nominare solet, qui in Ecclesiastica dignitate constitutus, vel Ecclesiæ Cathedralis Canonicus. Isti autem Executores Subexecutores constituere valent, cum delegatam à Papa, ex cujus privilegio Cæsar Executores nominat, habeant jurisdictionem. Mortuo Executore, alium Imperator nominare potest.

10^{mo}. Nominatus ad beneficium per preces illud intra mensem à tempore, quo ipsi vacatio beneficii innotuit, numerandum petere debet.

11^{mo}. In privilegio Pontificio preces Cæsareas concedente quibuslibet juribus contrariis, Regulis Cancellariæ, Concordatis Germaniæ, & quibuscunque privilegiis ac consuetudinibus derogatur.

S. Tertius.

Quâ formâ, & modo Beneficia acquirantur.

Quæres *primo*. Quâ formâ de beneficio facienda provisio? *2^a*. In provisione parochialium præscripta est forma à *Concil. Trident. Sess. 24. de reform.* De qua alibi. Beneficiis simplicibus nulla specialis forma est præscripta, solum si quædam requiruntur conditione: *1^{mo}* debet esse gratuita *2^{do}* integra, *3^{io}*

4^{to} non subreptitia. *5^{to}* publica. *6^{to}* probabilis.

1^{mo} debet esse gratuita, sine omni ambitu & largitione. *can. ordinationes. caus. 1. q. 1. can. 1. 2. 3. 4. 5. can. fin. caus. 1. q. 3. cap. 1. 2. 3. de simon.* Non debent intervenire preces, obsequia, aliæque humana gratia. *Gloss in cap. tuam. 10. de*

at. & qual. verb. nullum. Ideoque neque in collationibus, neque in institutionibus, ac præsentationibus, vel processionum mandatis aliquid pro juribus exigere potest, non obstante quacunque consuetudine. *cit. can. fin. caus. 1. q. 3. cap. non satis. 8. cap. cum in Ecclesia. 9. cap. Jacobus. 44. de simonia.* Nec Notarii confidentes tabulas aliquid recipere debent. *cap. 1. de simon.* Nisi de consuetudine salarii ex publico non haberent, juxta moderationem *Trident. Sess. 21. de reform. cap. 1.* Nec aliquid pro introitu, vel investitura, sive consistat in pecunia, vel aliqua tractatione, exigere potest. *cap. veniens. 19. cap. sicut pro certo. 39. de simon.* Quinimò & transactiones de beneficiis interpositæ non subsistunt, nisi iusta causa cum Superioris insuper autoritate intervenerit. *cap. constitutus. 4. de transaction. cap. nisi esset. 21. de prebend.* Vel nisi pro jure quæsito conservando ad redimendam vexam aliquid detur. *cap. dilectus. 28. de simon.* Provisio facta per simoniam realem, id est: quando per dationem & acceptationem beneficii pro re temporali completa est simonia, vel per conventionalem, id est: quando facta promissio, quæ nondum executioni mandata, ipso facto nulla est. *can. Sanctorum. 10. caus. 1. q. 1. can. ea qua. 5. & seqq. caus. 1. q. 3. cap. cum Clerici. 6. de pactis. Extrav. cum detestabile. de simon. inter comm.* Quamvis provisio ignorante simonia facta. *cap. ex insinuatione. 26. cap. nobis fuit. 27. de simon.* Aut etiam Collatore inscio. Simonia mentalis nullitatem non inducit. *cap. fin. de simon.* Simoniaci ad istud & quodcunque aliud

beneficium obtinendum inhabiles existunt.

2do. *Integra.* Collator enim partem fructuum beneficii sibi retinere nequit. *cap. unic. ut Ecclesiast. benefic. sine diminut. confer. cap. prohibemus. 7. de censibus.* Nec potest uni conferri beneficium, & alteri pensio ex beneficii redditibus attribui. *cap. extirpanda. 30. de prebend.* A Superiore tamen Ecclesiastico vacanti beneficio onus spirituale imponi potest, v. g. ut de B. V. Missam cantet. *cap. significatum. 11. de prebend.* Vel temporale, modò ad pios usus ordinetur. *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 14.* Ut in subsidium seminarium, pauperum eleemosynas, aut fabricam Ecclesiæ.

3tio. *Pura.* Hoc est: purè & absque conditione fieri debet; est enim collatio actus legitimus. *cap. solet. 2. de sentent. excomm. in 6.* Actus autem legitimi nullam conditionem admittunt. *cap. in electionibus. 2. de elect. in 6.* Et Regul. 50. *Actus legitimi conditionem non admittunt. de Reg. juris. in 6.* Si autem talis sit conditio, quæ tacitè inest; ut confero tibi beneficium, si capax es: actus non vitatur.

4to. *Non subreptitia,* id est: per falsam narrata impetrata; subreptio enim ipso jure gratiam vitiat. *cap. ad aures. 8. cap. constitutus. 19. de rescriptis. cap. si motu proprio. 23. de prebend. in 6.* Quod intelligendum de provisione à summo Pontifice vel ejus Legato facta, non verò de provisione Ordinarii, qui Ecclesiis, & non personis motu proprio providere dicitur: ideoque provisio Ordinarii ex capite subreptionis nequit impugnari. *Clement. 2. de offic. Ordinar. 510.*

5to. *Publica*, id est: non clandestina; collatio enim clandestina & secretò facta suspitione non caret. *cap. unic. ut Ecclesiast. benef. sine diminut. conferantur.*

6to. *Probabilis*, id est: ut per testes & instrumenta fides de provisione probari possit.

Quæres secundo: Quot modis acquiruntur beneficia? *ꝛ.* Beneficia acquiruntur vel modo ordinario vel extraordinario. Modi ordinarii, quibus acquiruntur, sunt sequentes: Electio, postulatio, translatio, &c. De quibus supra. Collatio sive jure devoluto sive jure ordinario, præsentatio, institutio, unio, commendatio, possessio triennalis. Modi extraordinarii: collatio Papæ extra Diocesim, præventio Papæ, mandatum de providendo, reservatio, nominatio.

Quæres tertio. Quotuplex collatio jure ordinario? *ꝛ.* 2plex: Necessaria, & libera. Necessaria est, quando Collator certæ personæ, vel certo personarum generi, etiam nolens, conferre debet, ut 1mo. Si mandatum habenti & acceptanti beneficium primò vacaturum conferre teneatur. *cap. tibi. 12. cap. duobus. 14. de rescripte in 6. 2do.* Si præsentatum à patrono Laico vel Clerico instituere obligetur. *can. decernimus. 32. caus. 16. q. 7. cap. illud. 8. cap. relatum. 21. de jure patronat. 3tio.* Quando fit provisio à Papa ad Regis vel Principis nominationem. 4to. Quando graduatis in vim nominationum, quas ex Academiis privilegiatis habent, fit collatio. 5to. Ratione opionis, quando ex privilegio vel consuetudine antiquiori optanti debetur beneficium. 6to. In beneficiis in favorem, vel permutationis causâ renunciatis.

Collatio voluntaria fit, quando Collator sponte, cui vult, confert, dummodo digno & idoneo conferat. *cap. relatum. 9. de præbend. junct. Gloss.* Factâ collatione Collator beneficium secundò conferre nequit, quia functus est officio suo, & jus alteri est acquisitum. *cap. si tibi absentis. 17. de præbend. in 6. Clement. unic. de renunciat.* Quod procedit, si digno contulit, si autem indigno contulit, idque scienter, jure conferendi privatur. *cap. cum in cunctis. 7. §. fin. de elect.* Si ignoranter, secunda collatio post primam cassatam, vel declaratam irritam facta valebit.

Quæres quarto. Quid circa collationem ex jure devoluto observandum? *ꝛ.* Sequentia:

1mo. Collatio ex jure devoluto locum habet, si is, qui jus conferendi habebat, amisit illud vel ob negligentiam non conferendo intra tempus à jure statutum. *cap. nulla. 2. cap. quia diversitatem. 5. de concess. præbend.* Ne Ecclesiæ diu maneant viduatae. *cap. ne pro defectu. 41. de elect. cap. quam sit. 6. eod. in 6.* Vel propter delictum, conferendo indignis. *cap. cum in cunctis. 7. de elect. cap. si Compromissarius. 37. eod. in 6.* Vel ob non servatam formam. *cap. quia propter. 42. cap. nihil est. 44. de elect.*

2do. In Ecclesiis patronatis patrono intra tempus à jure statutum non præsentante jus conferendi ad instituentem, tanquam ad proximum hujus negotii Superiorem devolvitur. *Clement. unic. de suppl. neglig. Prælat. junct. gloss. verb. dissolutionem.* Si Prælati Episcopo inferiori conferre negligat, ad Episcopum loci, in

in quo vacat beneficium, devolvitur collatio. *cap. nulla. 2. de concess. prebend. cit. Clement. unic.* Capitulo Cathedralis Ecclesie beneficium, quod ad suam collationem Episcopo excluso pertinet, conferre negligente, ad Episcopum fit devolutio: Si Episcopus cumulativè cum Capitulo conferat, fit devolutio ad Archi-Episcopum. *cit. cap. nulla. gloss. in cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinarii. verb. per Capitulum. cap. postulastis. 15. de concess. prebend.* Episcopo beneficium seorsim à Capitulo ad suam collationem spectans conferre negligente, fit devolutio ad Capitulum. *cit. cap. nulla.* Et hic est casus, quo ad inferiorem fit devolutio. Si Episcopo ex jure devoluto competat collatio, & ipse conferre negligat, ad Superiorem fit devolutio.

3tio. Si devolutio fiat ob delictum, ut quia provisum est indigno, si omnes peccaverunt, hodie in Ecclesiis Cathedralibus immediatè ad Papam fit devolutio. *cap. quanquam. 18. de elect. in 6.* In Ecclesiis inferioribus ad immediatum Superiorem. *cit. cap. quanquam. cap. cum in cunctis. 7. de elect.* Si non omnes peccaverunt, jus providendi manet penes innocentes.

Quæres quinto. Quando mediante præsentatione acquiritur beneficium? R. Quando beneficium est patronatum; quemadmodum enim jure civili olim Domini per servorum manumissiones consequantur jus patronatûs, quod in operis, bonorum successione & obsequiis patrono debitum consistebat, ita per ædificationem vel dotationem Ecclesie fundatori vel dotatori de jure Cano-

nico jus patronatûs accrescit, vi cuius vacante Ecclesia vel beneficio aliquem habilem præsentandi obtinet facultatem.

Quæres sexto. Quid & quotuplex est jus patronatûs? R. 1mo. Jus patronatûs est: Instituum ad beneficium vacans præsentandi potestas. Vel est jus alicui in Ecclesia acquisitum, eò quod ipse vel majores ejus Ecclesiam fundaverint, ædificaverint, vel dotaverint adhibito Episcopi consensu, ex quo jure cum utilitate honor & onus simul resultant.

2do. Jus patronatûs 3plex est: Ecclesiasticum, Laicale, & mixtum. Ecclesiasticum est, quod ratione Ecclesie vel beneficii competit, licet ex bonis Laicibus originem habeat, vel ab initio, vel fundatione, vel testamento, vel donatione, aut alio quovis titulo in Ecclesiam, Collegium Ecclesiasticum ratione Ecclesie, dignitatis, vel beneficii est translatum. *cap. unic. de jure patronat. in 6.* Laicale est: quod personæ Ecclesiasticæ vel Laicali ex titulo competit Laicali, ut quia ex suis bonis patrimonialibus Ecclesiam fundavit, vel Laico fundatori successit. Fit ex Ecclesiastico Laicale, si non lucrativo, sed oneroso, ut permutationis titulo cum autoritate Sedis Apostolicæ in Laicos transeat, uti etiam ex Laicali fit Ecclesiasticum, quando in Ecclesiasticas transit personas. Mixtum est, quod partim est Ecclesiasticum, partim Laicale, si convenerint patroni, ut unâ vice persona Ecclesiastica, alterâ vice persona Laica præsentet. *Clement. plures. 2. de jure patronat.* Tunc jus patronatûs in turno patroni Laici est Laicale, in turno Ecclesiastici est Ecclesiasticum.

Di-

Dividitur quoque jus patronatûs in hæreditarium & gentilitium. Hæreditarium est, quod ad hæredes quosunque etiam extraneos transit. *cap. quoniam. 3. de jure patron.* & tale in dubio præsumitur, nisi ex fundatione vel aliunde contrarium probetur. Gentilitium est, quod tantum ad illos, qui de familia sunt, transit. Dividitur rursus in reale & personale. Reale est, quod competit personæ ratione rei, & transit ad omnem, ad quem res transit. Personale est, quod immediatè personæ competit, & cum persona extinguitur.

Quæres *septimo*. Quid circa jus patronatûs observandum? &c. *Sequentia; 1mo.* Tribus potissimum modis jus patronatûs acquiritur, scilicet: fundatione, constructione, & dotatione, juxta vulgarem versum:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Fundatione jus patronatûs acquirit, qui Ecclesiam in proprio Solo suis sumptibus construxit. *can. Abbatem. 4. caus. 18. q. 2.* Vel qui solum aut fundum, in quo Ecclesia ædificari possit, assignat, vel donat. *can. pia mentis. 36. can. Frigentius. 27. caus. 16. q. 7. cap. nobis. 25. de jur. patronat.* Acquiritur autem eo ipso, quo fundatur Ecclesia, nec est necesse, quod fundator jus patronatûs in fundatione sibi reservaverit, ut colligitur *ex cit. cap. nobis. ibi: ex eo jus patronatûs acquirit.* *Gloss. in can. si quis basilicam. 10. de consecrat. dist. 1. verb. subtributaria.* Constructione vel ædificatione jus patronatûs acquirit, qui sine assignatione vel donatione proprii fundi suis sumptibus

R. D. Schnorrenberg Instit. 7. Can.

Ecclesiam construit. *can. monasterium 33. caus. 16. q. 7. cit. cap. nobis.* Vel Ecclesiam dirutam, ut novâ indigeat consecratione, reparat, talis enim reparatio ædificationi comparatur.

Dotatione jus acquirit, qui Ecclesiæ dotem dedit. *can. filius. 31. caus. 16. q. 7.* Quemadmodum enim in matrimonio carnali ad alendam uxorem & sustinenda matrimonii onera dos datur marito, ita in fundatione Ecclesiæ certa dos ad Ministrorum Ecclesiæ alimentationem, ad luminaria, aliâque ad Divinum Officium necessaria in redditibus vel annuis censibus constitui debet. *can. nemo. 9. de consecrat. dist. 1. cap. cum sicut. 8. de consecrat. Eccles.* Veruntamen tam in dotatione, quàm fundatione, vel ædificatione consensus Ordinarii interveniat, necesse est. *cit. cap. nobis. de jure patronat.* Sive præcedens, sive ex post dotationi, ædificationi, vel fundationi superveniens. Ratio est: quia jus patronatûs Ecclesiæ onus est, quale Laici Ecclesiis propriâ autoritate imponere non possunt. *cap. Ecclesia. 10. de constitut.* Consensum Ordinarii, hoc est, Prælati Episcopalem jurisdictionem exercentis intervenisse ex diuturnitate temporis præsumitur.

2do. His tribus jus patronatûs acquirendi modis additur titulus præscriptionis, quæ si immemorialis, dubium non est, quin per eam jus patronatûs acquiratur, cum vim tituli habeat. *Arg. cap. 1. de præscript. in 6. Trid. Sess. 25. de reform. cap. 9.* De ordinaria præscriptione disputant Canonistæ: plures concedunt, quod Laicus jus patronatûs per præscriptionem ordinariam acquirere valeat,

Z cum

cum hac tamen differentia, si Ecclesia sit libera, & nullum patronum habeat, ad præscriptionem adversus eam spatium 40. annorum requiritur. *cap. cura pastorali. 11. de jure patron. cap. querelam. 24. de elect.* Si Ecclesia patronum Laicum habeat, & alius Laicus contra talem patronum jus patronatûs præscribat, inter præsentés 10. inter absentes 20. annorum sufficit spatium. Alii tamen Canonistæ absolutè negant per ordinariam præscriptionem à Laico jus patronatûs acquiri posse, eò quòd Laicus spiritualia & spiritualibus annexa possidere nequeat. Sicut autem per præscriptionem, ita quoque per summi Pontificis privilegium jus patronatûs acquiri potest.

310. His modis jus patronatûs in Ecclesiis non Collegiatis tantùm acquirere possunt omnes, qui rerum suarum administrationem habent, ideòque & scemina patrona fieri potest. *cap. ex literis. 7. de jure patron. cap. fin. de concess. præbend. Filiusfamilias habens bona Castrensia minor 25. annis.*

410. Prohibentur esse patroni Religiosus particularis, quia nec administrationem habet, nec bonorum dominium. Infamis; jus enim patronatûs bonum honorificum est. Hæreticus, excommunicatus excommunicatione majori, Judæus, Paganus; quia Canones hoc jus Fidelibus & Christianis tantùm concedunt.

510. Jus patronatûs partim honorificum, partim utile, partim onerosum est patrono, ut exprimit *Gloss. in cap. nobis. 25. de jure patron. verb. modeste.* his verbis:

Patrono debetur honos, onus, utilitasque,

Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus.

Honor patroni in hoc consistit, ut Ordinario personam ad vacantem Ecclesiam præsentet, in Ecclesiis, Processionibus &c. honoratiorem locum obtineat. *can. pia mentis. 26. can. Frigentius. 27. caus. 16. q. 7.*

Utilitas, quòd patronum ad inopiam redactum alat Ecclesia. *can. quicumque. 30. caus. 16. q. 7.*

Onus, quòd Ecclesiam ejusque ministros contra vim hostilem defendere. *can. filius. 31. can. decernimus. 32. caus. 16. q. 7.* dilapidantes bona Ecclesiæ denuntiare, indebitè alienata revocare debeat, &c. Est enim patronus Ecclesiæ Protector & Advocatus. *cap. præterea. 23. cap. cum autem. 24. de jure patron.*

610. Modos, quibus jus patronatûs in alium transferri possit, exprimit *Gloss. in cap. cum seculum. 13. de jure patron. verb. emptorum.* his verbis:

Jura patronatûs transire facit novus hæres,

Res permutata, donatio, venditiòque.

Imprimis transfertur successione. *can. considerandum. 35. caus. 16. q. 7. cap. quoniam. 3. de jur. patr. In hæredes. cap. significavit. 41. de testibus. Clement. fin. de jure patron.* quoscumque cum bonorum universitate, cui tanquam accessorium adhæret. *cap. ex literis. 7. de jure patron.*

Deinde permutatione cum alia re spirituali, sive cum alio jure patronatûs. *cap. ad quæstiones. 6. de rer. permut. vel jure decimarum.*

Donationis vel legati titulo transit jus patronatûs, si alteri legetur, vel donetur, cum hac diversitate, quòd si Laico donetur, consensus Episcopi accedere debeat, qui non requiritur, si Ecclesiæ, vel loco pio, vel compatrono donetur. *cap. unic. de jure patron. in 6.*

Demum titulo venditionis transfertur, si universitas bonorum, cui jus patronatûs cohæret, vendatur. *cit. cap. ex literis. 7. de jure patron.* Nomine universitatis intelligitur hæreditas, civitas, pagus, castrum, prædium, &c. Ratio est: quia quamvis jus patronatûs non sit vendibile, utpote res spiritualis, quia tamen cum re temporali connexum esse potest, ideo si res temporalis, ut universitas principaliter, jus patronatûs cum universitate velut aliquod accessorium ad emptorem transit; quòd si jus patronatûs in venditione expressum, vel pretium intuitu illius auctum, venditio utpote simoniaca est irrita, & consequenter jus patronatûs non transit ad emptorem. *cap. de jure. 16. de jure patr.* Ut etiam non transfertur, si in venditione universitatis jus patronatûs exceptum, & venditor sibi illud reservavit. *Gloss. in cap. cum saculum. 13. de jure patron. verb. emptorum.*

Ad titulum venditionis conductio universitatis ad longum tempus reducitur, quâ apud conductorem tempore conductionis est exercitium juris patronatûs, quod tamen non tenet apud conductorem universitatis oppignorata. *cap. cum Bertholdus. 18. de sentent. & re judic.* Disparitas est, quia per conductionem dominium utile & commodum rei con-

ductæ in conductorem transeunt, quod tamen non fit per oppignorationem.

81mo. Ortâ controversiâ de jure patronatûs, si proprietas controvertitur, ad judicium Ecclesiasticum pertinet decisio, nam jus patronatûs conjunctum & connexum cum spiritualibus est res spiritualis. *cap. quanto. 3. de judic.* Si de possessione vel quasi possessione disceptatur, Judex sæcularis cognoscere potest, quia, ut dicunt Juristæ, possessorium est quid temporale.

82o. Si Ecclesiam juris patronatûs esse constat, & inter quosdam, quis sit patronus, controvertatur, ordinariæ sufficiunt probationes, si verò in dubium vocatur, an libera, vel patronata sit Ecclesia, libera præsumitur. *Arg. L. alius. 8. C. de servit. junct. gloss.* Et ut jus patronatûs discernatur, exactiores probationes requiruntur, juxta dispositionem *Trid. 25. de reform. cap. 9.* "Sicuti legitima patro-
"natum jura tollere, piâsque fidelium
"voluntates in eorum institutione viola-
"re æquum non est; sic etiam ut hoc colo-
"re beneficia Ecclesiastica in servitatem,
"quod à multis imprudenter fit, redi-
"gantur, non est permittendum. Ut
"igitur debita in omnibus ratio observe-
"tur, decernit S. Synodus, ut titulus
"juris patronatûs sit ex fundatione, vel
"dotatione, qui ex authentico docu-
"mento, & aliis jure requisitis osten-
"datur, sive etiam ex multiplicatis præ-
"sentationibus per antiquissimum tem-
"poris cursum, qui hominum memo-
"riam excedat, aliâsve secundum juris
"dispositionem, in iis verò personis, seu
"Communitatibus seu Universitatibus,
"in

“in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes, etiam continuatæ, non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur.”

9no. Amittitur jus patronatûs vel ob delictum, vel ob aliam causam. Ob delictum amittitur 1mo ob hæresin, vel crimen læsæ Majestatis. *cap. vergentis. 10. de Hæret. 2do.* Si patronus Rectorem vel alium Ecclesiæ patronatæ Beneficiatum per se vel per alium occiderit, aut mutilaverit. *cap. ad aures. 10. cap. in quibusdam. 12. de pœnis. 3tio.* Si jura, bona, census Ecclesiæ patronatæ sibi patronus quocunque prætextu usurpavit. *Trid. Sess. 22. de reform. cap. 11. 4to.* Si venditionis vel alio quovis titulo contra Canones jus patronatûs in alium transferre præsumpserit. *cap. quia Clerici. 6. de jure patronatûs. 5to.* Publicatis bonis patroni, si jus patronatûs bonis publicatis annexum, illud ad Fiscum transit. *Gloss. in can. filiis. caus. 16. q. 7.* Si autem bonis non annexum, manet apud delinquentem, donec per Judicem illo privetur. *Gloss. in cit. can. filiis. & Gloss. in Clement. Pastoralis. de sentent. & re judicat. verb. subjecta.*

Alio modo jus patronatûs amittitur 1mo Ecclesiæ sine spe reparationis destructione. 2do. Si jus suum patronus Ecclesiæ cedat, vel Ecclesiam juris patro-

natûs sine reservatione sui juris fieri Collegiatam, vel Monasterio conferri patiatur. *cap. nobis. 25. de jure patronatûs. junct. gloss. verb. Capella.*

Quæres octavo. Quæ circa præsentationem observanda? R. 1mo. Patronus, qui est in quasi possessione juris patronatûs, præsentare debet. *cap. consultationibus. 19. de jure patronat.* Hæc autem quasi possessio acquiritur per unicam præsentationem, his tamen concurrentibus: 1mo. Si præsentatio bonâ fide facta. 2do. Admissa. 3tio. Eamque secuta institutio. Et 4to. Ille, in cujus præjudicium possessio juris patronatûs acquisita, hoc sciens passus fuerit.

2do. Plures patroni ejusdem beneficii vel singuli alternis vicibus præsentare, vel omnes simul in præsentatione concurrere possunt, prout inter se conveniunt. *cap. 1. 2. & 3. de jure patronat.* Plures hæredes unius patroni in præsentatione pro uno habentur. *Clement. plures. 2. de jure patronat.* Quòd si plures concurrentes in præsentatione discordent, is præsentatus admittendus, in quo præsentando major pars concordat. Ubi distinguendum, an præsentatio fiat à pluribus, ut à Collegio, & tunc requiritur, ut à majori parte respectu Collegii concorditer sit præsentatus. *cap. Ecclesia vestra. 48. de elect. cap. ea noscitur. 6. de his, quæ sunt à Pralato &c.* Quo casu etiam omnes, ad quos spectat collatio, sunt convocandi. *cap. quia propter. 42. de elect.* Aliàs absentes præsentationem rescindere possunt. *cap. quod sicut. 28. cap. bona memoria. 34. de elect.* Vel præsentatio spectat ad plures tanquam personas sin-

singulares, & tunc sine convocacione quilibet patronus sigillatim presentare potest, & ille presentatus preferendus, qui à majori parte patronorum respectu aliarum partium est presentatus.

3tio. Patronus se ipsum presentare nequit, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis & meritis adjuvetur. *cap. per nostras. 26. de jure patron.* Qualecunque sit beneficium, tum quia hoc est ambitiosum. *cit. cap. per nostras.* tum quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio personalis. *cap. fin. de institut.* Fiunt sequentes exceptiones:

1ma. Si patronus jus presentandi cessit, presentari potest, modò pro ea vice solùm non cesserit.

2da. Unus patronus ab aliis companionis presentari potest. *Gloss. in cap. consultuit. 15. de jure patronat. verb. concedant. arg. cap. cum in jure. 33. de elect.* Quo casu patronus à ceteris presentatus consentiendo auget numerum, sibi que jus firmat. *Arg. cap. cum in jure. cit.*

3tia. Episcopus patrono consentienti beneficium patronatum conferre potest, tunc enim patronus sibi ipsi beneficium non dat, sed patitur, & sibi dari consentit, & tunc sine patrono valet institutio, quia illa patrono non fit invito.

4to. Patronus filium suum vel aliter sibi conjunctum presentare potest. *Gloss. in cit. cap. consultuit. verb. concedant.*

5to. Differentiæ inter presentacionem patroni Laici & Ecclesiastici sunt: 1ma. Tempus, intra quod patronus Ecclesiasticus presentare debet, sunt sex menses, intra quod à patrono Laico presentatio facienda, sunt quatuor men-

ses. Si patronorum alter sit Laicus, alter Clericus, etiam Laico sex menses conceduntur; quia magis dignum trahit ad se minus dignum, & ita Laicus consequitur per Clericum, quod per se non habet. *Gloss. in cap. unic. de jure patronat. in 6. verb. Ecclesiasticus.*

2da. Patronus Laicus variare, hoc est: presentato uno alterum addere potest, & tunc Episcopo instituenti unum ex presentatis eligere licet. *cap. cum autem. 24. de jure patron.* Quod non licet patrono Ecclesiastico.

3tia. Si Episcopus vel presentatum à patrono Laico instituens ut indignum rejecerit, patronus Laicus alterum presentare potest, quòd si tamen Episcopus vel instituens malitiosè primum rejecerit, & alterum postea nominatum instituerit, primò de beneficio providere tenetur. *cap. pastoralis. 29. de prebend.* Si patronus Ecclesiasticus indignum presentaverit, suo functus est officio.

4ta. Clerico presentato à patrono Ecclesiastico statim ad institutionem jus acquiritur. *cap. cum autem. 24. de jure patronat.* Presentatum à patrono Laico Ordinarius non instituit, nisi post lapsum temporis ad presentandum dati, cum hoc in commodum patroni sit inductum, qui intra illud tempus, quoties ei libuerit, variandi habet potestatem. *Clement. plures. 2. de jure patron. junct. gloss.*

7timo. Patronus aliquid temporale à presentato præter id, quod in ipsa fundacione est impositum, exigere nequit. *cap. sicut nobis. 2. de suppl. negligent. cap. præterea. 23. de jure patron.* Quòd si aliquid pro presentacione datum vel pro-

missum, presentatio erit simoniaca, licet id presentato ignorante factum. *cap. si alicujus. 59. de elect. cap. nobis fuit. 27. de simonia.*

Quæres nono. Quid circa institutionem observandum? *Re. 1mo.* Institutio est beneficii juri patronatus subjecti à legitimo Superiore Ecclesiastico facta collatio. Hæc est necessaria, quia presentatio in Ecclesia patronata nullum jus tribuit presentato, cum patronus nullum jus obtineat. *can. noverint. 6. caus. 10. q. 1. cap. quod autem. 5. cap. querimoniam. 9. cap. cum Laici. 10. cap. consuluit. 15. de jure patronat.* Quamvis patronus sit Ecclesiasticus. *cit. cap. sicut nobis. 2. de suppl. neglig.*

2do. Ille, si idoneus est, instituendus, quem patronus presentaverit, alioquin ad Superiorem habebitur recursus. *cap. significasti. 18. de jure patron.* Et sicut institutio ab ipso patrono facta nulla est. *cap. illud. 8. de jure patr.* Ita etiam institutio, quam Episcopus fecit sine patroni presentatione; & quamvis non sit ipso jure irrita. *cap. illud. 8. de jure patr.* Secutâ tamen presentatione patroni intra tempus à jure præscriptum evanescit. *can. decernimus. 32. caus. 16. q. 7.*

3tio. Ad Episcopum pertinet institutio. *cap. ex frequentibus. 3. de institut. cap. 1. eod. in 6. cap. cum satis. 4. de offic. Archid.* Ad Capitulum Sede vacante. *cit. cap. 1. de institut. in 6.* Ad Vicarium Generalem Episcopi, etiam sine speciali mandato. *cit. cap. ex frequentibus.* Imò ad Prælatos inferiores jus illud ex privilegio, præscriptione vel consuetudine habentes.

4to. Institutioni locus est, quotiescunque jus patronatus saluum & incolume manet, quod duobus modis impeditur per negligentiam scilicet, & derogationem Papæ.

Per negligentiam, si vel intra tempus præscriptum patronus non presentaverit. *cap. sicut nobis. 2. de suppl. neglig.* Vel patroni ob discordiam illud tempus elabi permiserint. *cap. quoniam. 3. de jure patr.* Vel patronus Ecclesiasticus indignum presentaverit.

Per derogationem jus patronatus impeditur, si Papa presentationem præveniendâ Ecclesiæ de Ministro provideat, Papa autem juri patronatus tam Ecclesiastico quàm Laico derogandi habet potestatem. *Clement. 2. de præbend. juncti. gloss.* cum hac differentia, quòd juri patronatus Laicalis non derogetur, nisi per clausulam specialem fuerit expressum. *cit. gloss. verb. Apostolicis.* ne Laicos à piis foundationibus & dotationibus contingat deterreri.

5to. Factâ institutione jus percipiendi fructus beneficii, illudque administrandi potestatem nanciscitur institutus. Tempus institutioni non est præfixum, intra quod illa fieri debeat, nisi in beneficio curato, in quo juxta constitutionem S. Pii V. de concursu intra duos menses faciendâ institutio, aliàs ad summum Pontificem fit devolutio.

Quæres decimo. Qualiter beneficiorum fit unio? *Re. 1mo.* Unio est duorum vel plurium beneficiorum à legitimo Superiore facta connexio. Hæc unio vel est temporalis, vel perpetua. Temporalis est, in qua certum tempus expressum, vel

vel quæ fit non intuitu Ecclesiæ, sed ad vitam alicujus, vel quæ ad Papæ fit beneplacitum. Hæc tempore præfixo elapso, ut mortuo illo, ad cuius vitam est data, vel mortuo Papâ, si ad ejus data beneplacitum, dissolvitur. *cap. novit ille. 1. ne Sede vacante.*

Unio perpetua est, in qua expressum, quod perpetuò sit duratura, ut *in cap. exposuisti. 33. de præbend.* Vel quæ intuitu Ecclesiæ, vel alicujus dignitatis, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, quæ nunquam emoritur, facta est. *cap. gratiosè. 5. de rescriptis. in 6.* In dubio unio facta perpetuò præsumitur. *cit. cap. novit ille.*

2do. Tribus modis unio fieri potest. *Gloss. in cap. 1. ne Sede vacante. verbo: uniendo. 1mus.* Quando duæ Ecclesiæ vel duo beneficia in unum corpus coalescunt, ita, ut ex duobus beneficiis, vel duabus Ecclesiis una fiat. Hujus unionis effectus sunt *1mo.* Statuta & privilegia uni data competunt alteri, & si contraria, conservantur favorabiliora. *2do.* Canonici, qui sunt in una Ecclesia, sunt etiam Canonici alterius Ecclesiæ. *Gloss. in can. & temporis. 48. caus. 16. q. 1.*

2dus modus unionis, quando duæ Ecclesiæ ita uniuntur, ut una superior sit & principalis, altera inferior & secundaria, quo casu *1mo* inferius beneficium nomen amittit, estque per unionem suppressum & extinctum. *2do.* Inferius beneficium ejus beneficii, cui est unitum, nomen induit, & iisdem gaudet privilegiis. *cap. recolentes. 3. de Statu Monach.* *3tio.* Beneficium inferius jura propria non amittit, sed illa manent, & ad Ecclesiam, cui est unitum, transcunt,

3tius modus unionis, quando nulla ex Ecclesiis unitis alteri subjicitur, sed ambabus suum titulum & gradum retinentibus idem minister præficitur. *can. & temporis. 48. caus. 16. q. 1. Gloss. in cap. 1. ne Sede vacante. verb. uniendo.* Hoc casu utraque Ecclesia est æquè principalis, sua statuta habet, & quælibet propriis utitur privilegiis.

3tio. Beneficia tempore, quo vacant, vel non vacant, uniri possunt. *Clement. si una. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* cum hac differentia: si Ecclesia vel beneficium vacans uniatur, unio non nisi post mortem Beneficiati, vel si beneficium alicui expressè reservatum, post obitum expectantis tantum sortitur effectum.

4to. Episcopus cum consensu Capituli quælibet beneficia unire potest. *cap. sicut unire. 8. de excessib. Prælator.* nisi beneficia uniri prohibeantur, ut prohibentur *1mo* Ecclesiæ Parochiales. Juxta *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 13.* ibi: "Ecclesiæ Parochiales monasteriis quibuscunque, aut Abbatibus, seu dignitatibus, seu præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus militibusve non uniantur." *2do.* Beneficia regularia Ecclesiis parochialibus vel aliis beneficiis sæcularibus non sunt unienda. *Trid. ibid. 3tio.* Sine consensu patroni beneficia juris patronatus Laici uniri nequeunt. *Gloss. in cap. nobis. 25. de jure patronat. verb. in capella. 4to.* Beneficia unius Diocesis cum beneficiis alterius Diocesis uniri non possunt, ne unum beneficium duarum fiat Diocesium. *Trid. Sess. 14. de reform. cap. 9. 5to.* Beneficium

beneficium Ecclesiae, cuius Sedes vacat, uniri nequit, *cap. 1. ne Sede vacante. 6to. Episcopatus solus Papa unire potest. cit. cap. sicut unire. 8. de excess. Pralat. 7imo. Episcopus beneficia propria auctoritate mensae suae vel mensae Capituli unire non potest. cit. Clement. si una. 2. de rebus Eccles. non alienand.*

5to. Ut unio legitimè fiat, sequentes requiruntur conditiones: 1ma. Ut adsit causa utilitatis, vel necessitatis. *cap. exposuisti. 33. de prabend. 2da. Ut praevia causa fiat cognitione. 3tia. Ut omnes, quorum interest, vocentur, & audiantur. Trid. Sess. 7. de reform. cap. 6. Consensus tamen Rectoris vel possessoris beneficii non requiritur; fit enim sine illius praevio iudicio, cum unio non sortitur effectum, usque dum morte vel alio modo beneficium dimiserit. cap. consultationibus. 4. de donation. 4ta. Juxta Regulas Cancellariae valor beneficii uniendo est exprimendus.*

6to. Qui Ecclesias unire possunt, unitas quoque dissolvendi habent potestatem: ut quando per unionem tollitur hospitalitas, vel regularis fit dissolutio disciplinae. *cap. novit ille. 1. ne Sede vacante. Quando cessat causa factae unionis, si unio Ecclesiis nocere incipiat. cap. suggestum. 9. de decimis.*

Quaeres undecimo. Quid circa commendam observandum? *32. 1mo. Nominè commendae hic non intelligitur commenda, quae in Ordinibus militariibus esse solet, sed haec habet rationem beneficii regularis, cuius Rector Commendator.*

2do. Commenda est alicui concessa

Ecclesiae custodia. *Gloss. in cap. nemo de elect. in 6. verb. commendare.* Cum enim antiquitus Ecclesiae vacanti statim idoneus Rector praefici non posset, ea viro cuidam probo & fideli, qui illius interea curam tanquam Custos & Tutor haberet, commendabatur. *can. constitutum. 22. caus. 7. q. 1.* Erat Procurator in temporalibus & spiritualibus, & excepta bonorum immobilium alienatione, & exercitio eorum, quae consecrationem exigunt, omnia poterat, quae proprius Pastor. *cap. is cui. 42. de elect. in 6.* Ex redditibus Ecclesiae commendatae faciebat sumptus, subministrabat alimenta, debita solvebat, &c.

3tio. Commenda duplex est: temporalis & perpetua. Temporalis est, quando alicui ob Ecclesiae utilitatem beneficium ad tempus in custodiam datur, & Commendatarius ex beneficii fructibus alimenta & expensas in temporariae administrationis retributionem accipit. Tali modo Episcopus commendam Ecclesiae parochialis, non tamen ultra sex menses, dare potest. *cap. nemo. 15. de elect. in 6.* Quod correctum esse per Trident. declaravit S. Congregatio: Commendae, quae ad sex menses in Ecclesiis parochialibus sive curatis ab Ordinariis fieri poterant, juxta *cit. cap. nemo.* amplius post Concilium locum non habent, cum in iis deputari debeat Vicarius ad formam capituli. *18. Sess. 24. de reform.* Per commendam temporalem non datur titulus, nec jus in re, nec ad rem. *Gloss. in can. qui plures. 3. caus. 21. q. 1. cap. si constiterit. 12. de accusat.*

4to. Commenda perpetua est, quae con-

concedi solet in favorem certæ personæ cum facultate plenè disponendi de beneficio ac Beneficiariis. Eam solus Papa concedit, & est titulus Canonicus. *cap. dudum. 54. de elect.* Et reverà est palliata dispensativa provisio incapaci per Canones facta, ut imprimis, si habenti unum beneficium in titulum de alio incompatibili provideatur in commenda. *cit. cap. dudum. can. fin. caus. 21. q. 1.* Cum enim sicut quis duas uxores simul habere nequit, ita quoque titulum duorum beneficiorum incompatibilium habere non potest, ideo dat Papa unum in sponsam, alterum in commendam; quare optimè respondit conscientiosus Episcopus oblata in commendam Abbatia: Absit, ut cum sponsa habeam concubinam. Deinde dum seculari de beneficio provideatur Regulari, vel econtra. Terriò dum minori 18. annis de beneficio curato provideatur, illi Ecclesia ad 8. vel 10. annos in commendam, & postea in titulum confertur.

5to. Primus Author commendatarum perpetuarum & in favorem personæ refertur fuisse Leo IV. Mala, quæ ex his commendis in Rempublicam derivantur, graphicè describit *Rebuff. in praxi beneficiaria. tit. de commenda.* Hunc commendatarum abusum in semetipso correxit Clemens V. postquam infirmitate periculosâ visitatus ab Omnipotente prospexit evidentè, ut ipsemet refert in *Extrav. ex superna. de præbend. inter comm.* quòd Ecclesiarum & monasteriorum commendatarum cura negligatur, bona & jura dissipentur, ac subjectis eis personis & populis spiritualiter pluri-

R.D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.

mum & temporaliter derogetur, eisque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere in protectum. Idem agnoverunt Patres Concilii Lateran. sub Leone X. *Sess. 19.* ut refert *Fagn. in cap. cum ad nostram. de elect.* "Quoniam ex commendatariorum negligentia, partim avaritia vel injuria collabuntur, & indies Divinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis præsertim secularibus præbetur, non absque dignitatis Sedis Apostolicæ diminutione, à qua commenda hujusmodi proficiunt. Ut eorum indignitati salubrius consulatur, volumus, ac sancimus, ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo pacto cuiquam possint commendari." Ibidem quoque constituitur, ut Abbates Commendatarii, licet Cardinales, si in monasterio commendato mensa Abbatialis distincta à mensa Conventuali, quartam partem mensæ Abbatialis pro instauratione fabricæ, pro ornamentis sacris vel pauperibus applicare, si verò mensa Abbatialis cum Conventuali communis, tertiam omnium fructuum partem pro supradictis oneribus, & sustentatione Religiosorum impendere teneantur.

6to. *Trident.* quidem expressè has commendas perpetuas non reprobavit, dum eorum mentionem facit *Sess. 21. de reform. cap. 7. Sess. 25. de Regul. cap. 20.*

A a Imò

Imò *Sess. 14. de reform. cap. 10.* dum beneficia Regularia conferri secularibus prohibet, expressè addit: *In titulum.* Ut concessio per viam commendæ excluderetur. Attamen haud dubium est, quin tacitè commendas reprobet; nam *imo. Sess. 7. de reform. cap. 4.* submoveret unam ex principalibus commendæ causis: "Quicumque de cætero plura curatâ
" aut aliâs incompatibilia beneficia Ec-
" clesiastica, sive per viam unionis ad
" vitam, sive commendæ perpetuæ, aut
" alio quocunque nomine & titulo con-
" tra formam sacrorum Canonum &
" præsertim constitutionem Innocent. III.
" quæ incipit: *De multa.* recipere, ac
" simul retinere præsumpserit, benefi-
" cii ipsius juxta ipsius constitutionis di-
" spositionem ipso jure, etiam præsentis
" Canonis rigore, privatus existat."

Clarius *Sess. 25. de Regular. cap. 21.* ad intentum nostrum disponit, quæ dispositio ad minus consultiva esse ab omnibus admittitur; cavetur scilicet, ut iis monasteriis, quæ tunc commendata reperiebantur, & suos Conventus habebant, Regulares personæ ejusdem Ordinis præficerentur, quæ verò imposterum vacabunt, non nisi Regularibus conferantur. Eodem loco præceptivè decernit, ut in monasteriis, quæ capita sunt ac Primates Ordinum, sive Abbatia, sive Prioratus filia eorum Capitulum nuncupentur, teneantur illi, qui in præsentem ea in commendam obtinent, nisi sit eis de Regulari Successore provisum, infra sex menses Religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut eis cedere, aliâs commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur.

7^{imo}. Loco coronidis notandum consilium *Bernardi ab Espen. p. 1. Juris Ecclesiast. tit. 30. n. 54.* Ad Abbates Laicos & Commendatarios excludendos nihil efficacius vel convenientius esse potest, quàm ut in ipsis monasteriis perfecta bonorum ac proventuum communitio habeatur, relicta distinctio vel separatione mentis Abbatialis à Conventuali, quæ distinctio pro magna parte occasione commendis subministravit. Deinde ut juxta leges Ecclesiæ, intentionem Fundatorum, nec non Regularis Professionis monasticæ proventus monasteriorum ita moderatè Abbates utantur, ut in omni ipsorum suppellectili vel domo nihil appareat à professione paupertatis alienum, & quod mundi factum redoleat, & quod reliquum fuerit, in Christianam hospitalitatem ac pauperum alimoniam impendant, ut hoc pacto re ipsâ ostendant bona monasteriorum esse patrimonium pauperum, quod sine sacrilegio in usus profanos impendi non possit.

Quæres *duodecimo.* Qualiter per triennale possessionem acquiritur beneficium? R. Pacifica per triennium beneficii possessio cum colorato titulo vim justitiae & legitimi tituli obtinet, ex Regula *Cancellaria de trienniali possessione*, quæ sic habet: "Quod si quicumque Ecclesiastica
" beneficia, quæcunque sint absque
" simoniaco ingressu ex Apostolica & or-
" dinaria collatione, vel electione, vel
" electionis hujusmodi confirmatione,
" seu præsentatione & institutione illo-
" rum, ad quos beneficiorum hujusmo-
" di collatio & provisio, electio, præ-
" sentatio,

“sentatio, vel quævis alia dispositio per-
“tinet, pacificè possederit, super iis-
“dem beneficiis taliter possessis nequeant
“molestari.” Per quam Regulam titulo
colorato cum possessione pacifica trien-
niali beneficium canonicè obtinetur; hic
enim titulus pro institutione Canonica
habetur, ne lites super beneficiis sint im-
mortales. Requiritur autem *1mo*. Pos-
sessio per triennium completum, nec
Prædecessoris possessio, ut in præscrip-
tionibus, continuatur.

2do. Pacifica. Hoc est: ita, ut nul-
lam controversiam sive judicialem sive
extrajudicialem super beneficio possessio
passa fuerit.

3tio. Ab initio possessionis coloratus
titulus esse, & talis per totum triennium
manere debet: titulum autem coloratum
habere dicitur, qui titulum obtinet ab
eo, ad quem beneficii pertinet dispositio,
sed ex defectu aliquo accedit, ut
collatio sit invalida, v. g. est facta colla-

tio ab eo, cui ab Exeutore Apostolico
erat interdictum, ne conferret. *cap. se-
soli. 6. de concess. præbend. in 6.* Si electio
vitium habens facta fuit ab habentibus
eligendi potestatem. Si quis sine præsen-
tatione patroni in beneficio patronato
est institutus, hi habentes titulum colo-
ratum per triennem possessionem paci-
ficam beneficium acquirunt. Econtra
illi, qui talem titulum habent ab iis, qui
conferendi carent potestate, *cap. ex fre-
quentibus. 3. de institut. vel qui beneficia
propria invalerunt autoritate. cap. cum
qui. 18. de præbend. in 6.* vel titulo prius
legitimè habito sunt privati, & nihilo-
minus beneficia retinuerunt, vel habent
quidem titulum ab habentibus confe-
rendi facultatem, sed sunt interdicti vel
excommunicati, violenti & intrusi di-
cuntur possessores. *cap. cum dilectis. 15.
de purgat. canon.* nec trienniali juvantur
possessione.

J. Quartus.

De Modis, quibus Beneficia amittuntur.

Quæres primo. Quot modis vacant
beneficia? *Res. 1mo.* Beneficium
vacare dicitur, quod à nemine posside-
tur vel occupatur, sive de novo sit crea-
tum, & à nullo antea possessum, sive
post collationem suo Rectore sit destitu-
tum.

2do. Præcipui modi, quibus benefi-
cium vacat, sunt sex: Mors, renun-
tatio, promotio ad aliud incompatible,
matrimonium, Religionis ingressus, &
privatio.

Quæres secundo. Quo modo per mor-
tem vacant beneficia? *Res.* Beneficium
mortuo Beneficiario ita vacat, ut alteri
conferri possit. *cap. susceptum. 6. de re-
script. in 6. cap. ne capranda. 3. de concess.
præbend. in 6.* Fiunt sequentes exceptio-
nes: *1mo* quando beneficium à legitimo
Superiore suppressum, vel accessorie al-
teri unitum, *cap. cum accessissent. 8. de con-
stitut.* *2do* quando in aliqua Ecclesia non
est certus & definitus præbendarum nu-
merus,

merus, tunc uno ex Canonicis mortuo beneficium non vacare dicitur. *cap. ex parte. 10. de concess. prebend. 3tio* quando de mensa Prælati est beneficium, tunc per mortem Rectoris vel Vicarii non dicitur vacare.

Quæres *tertio*. Qualiter per adeptio- nem secundi beneficii vacat? R. Quan- docunque beneficium secundum cum primo est incompatible, vacat primum beneficium. Circa quod quotidie ob- vium observanda sunt sequentia:

1mo. Beneficiato duo vel plura bene- ficia qualiacunque, si unum ad commo- dam & honestam sufficiat sustentationem, obtinere vel retinere non est per- missum. Constat *ex can. 2. dist. 70. can. 1. caus. 13. q. 1. can. 1. & 2. caus. 21. q. 1. cap. cum adeo. 17. cap. postulasti. 27. de re- script. cap. quia in tantum. 5. de prebend. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 17.* Ratio est; quia hoc naturali simul & Divino ad- versatur juri, quod exigit, ut sicut unus unam carnalem habeat conjugem, ita etiam unam sponsam spiritualem. *can. sicut. 4. caus. 21. q. 2.* Repugnat Juri Canonico, juxta quod singula beneficia singulos ministros requirunt. *cap. cum singula. 32. de prebend. in 6.* Repugnat fini beneficiorum, quia non potest quis simul pluribus Ecclesiis, sicut par est, deservire. *cap. quia nonnulli. 3. de Cleric. non resident.* Contrariatur intentioni Fundatorum; ii enim plura beneficia pro pluribus Clericis fundaverunt, & multiplicarunt beneficia, ut Ecclesiæ multi- plicarentur ministri. Est contra justiciam distributivam, quæ exigit, ut non pau- cis, sed pluribus dignis & idoneis bona

communia distribuantur. Repugnat bo- nis moribus; quia multiplicatio benefi- ciorum in eadem persona ex radice ambi- tionis oritur, dat causam luxûs & disso- lutionis, minuit Divinum cultum, uni applicat stipendia, quæ multis viris pro- bis sufficerent ad sustentationem. Unde justè conqueritur *Trident. loc. cit.* his ver- bis: "Multi improbæ cupiditatis affectu "se ipsos, non DEUM decipientes, ea, "quæ bene constituta sunt, variis arti- "bus eludere, & plura simul beneficia "retinere non erubescunt." Ex quibus sequitur, quòd nullâ consuetudine, privilegio, vel dispensatione multipli- catio beneficiorum in eadem persona in- duci possit, quia consuetudo juri natu- rali repugnans est potiùs corruptela. *cap. ex parte. 10. & cap. fin. de consuetud.* Pri- vilegium contra jus Divinum & naturale concessum non dispensatio sed dissipatio est: ideòque Beneficiatus plura beneficia retinens ex dispensatione est quidem li- ber à pœnis jure positivo statutis, nequa- quam tamen in conscientia liber & tutus existit.

2do. Quamvis generaliter sit illicitum habere plura beneficia; quorum quod- libet ad honestam & congruam sufficit sustentationem, quia tamen id tam in- trinsecè malum non est, ut nullâ occur- rente circumstantiâ cohonestari possit, hinc beneficia alia sunt incompatible, quæ ex natura sua simul possideri non possunt, ita quidem, ut obtento secun- do vacet primum, vel quamvis secundo obtento ipso jure primum non vacet, se- cundum tamen cum primo absque di- spensatione retineri nequeat. Alia sunt com-

compatibilia, quæ, quantum est de se, simul sine dispensatione haberi possunt, eò quòd ab uno eorum satisfieri possit officiis.

Quæres quarto. Quænam beneficia incompatibilia? *1^{mo}*. Beneficia curata, ut dignitas, Personatus, Parochiæ, Vicariæ curatæ perpetuæ, *cap. dudum. 54. de elect. cap. referente 7. cap. præterea. 14. cap. ad hæc. 13. cap. de multa. 28. de præbend.* Ita ut juxta *Extrav. Execrabilis. unic. de præbend.* qui dignitatem, personatum, officium vel beneficium curam animarum habens annexum receperit, si ante simile obtinebat, quod non dimiserit, sit ipso jure etiam secundo privatus, & inhabilis ad quodcumque beneficium aliud obtinendum, & ulteriores Ordines suscipiendos, posteriora quoque beneficia, quæ ob illicitam retentionem prioris beneficii vacant, sunt Papæ reservata.

2do. Duo beneficia etiam simplicia uniformia sub eodem tecto vel in eadem Ecclesia, *cap. literas. 9. de concess. præbend. Clement. fin. de præbend.* Et videtur major repugnantia esse inter duo beneficia uniformia sub eodem tecto, quam inter duo beneficia curata; quia potest quis obtinere duo beneficia curata unum per se & alterum accessoriè, v. g. Dignitatem Decanatus, cui accessoriè annexa vel unita Ecclesia Parochialis. *cap. super eo. 6. de præbend. in 6.* Duos tamen Canonicatus sub eodem tecto unum per se & alterum accessoriè, ut Canonicatum in Ecclesia, & Parochiam, cui in eadem Ecclesia præbenda est annexa, nemo obtinere potest.

3tio. Duo beneficia simplicia continuam residentiam exigentia, aut unum curatum, & alterum simplex continuam residentiam exigens. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 17.*

Gravis est quæstio, an per adeptionem secundi Canonicatus prior continuam residentiam exigens ipso jure vacet. *Fagn. in cap. de multa. de præbend.* Affirmativam sustinet, quod probat ex decreto *Concilio Trident. Sess. 7. cap. 4. de reform.* "Quicumque de cætero plura curata aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica contra formam sacrorum Canonum & præsertim Constitutionis Innocent. III. quæ incipit: *De multa.* recipere ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius Constitutionis dispositionem ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore privatus existat." Alii tamen adhuc negativam tuentur, decretum *Tridentini* de solis curatis incompatibilibus explicantes.

4to. Duo beneficia Regularia non subordinata; Religiosus enim duorum monasteriorum non subordinatorum membrum esse nequit, nec Religiosus unius monasterii beneficium alterius monasterii non subordinati obtinere potest. *cap. cum singula. 32. de præbend. in 6.*

Quæres quinto. Quid requiritur, ut per adeptionem secundi incompatibilis vacet primum? *1^{mo}*. Ut adeptio possessionis secundi sit pacifica, vel saltem per provisum stet, quò minus eam adipiscatur. *cap. de multa. 28. de præbend. cap. licet. 28. eod. in 6.*

2do. Ut provisus non tantum pacificam possessionem tituli, vel exercitii v. g.

curæ, sed etiam bonorum & fructuum beneficii habeat, ita, ut si alius ex justa causa fructus percipiat, beneficium primum ipso jure non vacet. *cap. si tibi. 26. de prabend. in 6. junct. gloss.* Est tamen perinde, si jure, si per vim & violentiam secundum beneficium incompatible obtineatur. *cap. cum qui. 18. de prabend. in 6.* Quia non decet, ut stultus melioris, quam peritus, sit conditionis.

3tio. Non tantum primum, sed etiam secundum incompatible per dispensationem obtentum vacat in adeptione tertii incompatibilis. *Clement. si plures. 3. de prabend.* quia illæ plures dignitates per dispensationem erant unius loco dignitatis.

4to. Omnia beneficia etiam simplicia personalem residentiam non exigentia vacant, postquam Episcopus pacificam Episcopatus possessionem adeptus & consecrationem suscepit, vel trimestre elapsum, intra quod consecrationem suscipere debebat. *cap. cum in cunctis. 7. §. cum vero. de elect.*

Quæres sexto. Quis in pluralitate beneficiorum incompatibilium dispensat?

R. Solus Papa, si sint curata, si simplicia, sub eodem tecto, vel continuam residentiam exigentia. Ratio est; quia in Decretis Tridentini Episcopi non dispensant, nisi id exprimatur, hoc autem ita disponit *Sess. 24. de reform. cap. 17.* "Ut impostero unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrum-

que personalem residentiam non requirat, eidem conferri."

Quæres septimo. An ut quis plura beneficia obtineat, quorum quodlibet ad honestam sustentationem sufficiat, dispensari valeat?

R. Quia multiplicatio beneficiorum ad honestam proportionaliter sustentationem sufficientem juri naturali, Divino, & positivo repugnat, nullâ consuetudine, privilegio vel dispensatione à peccato potest excusari; nam

1mo repugnat bonis moribus, cum ex ambitione oriatur, causam luxui & dissolutioni præbeat, cultum Divinum minuat, stipendia, quæ multis viris probis ad sustentationem sufficientem applicet, ita, ut plura obtinens beneficia furtum & rapinam committere dicatur *in cap. dudum. 54. §. & retinendo. de elect.*

2do. Repugnat juri naturali, sicut enim vir unam tantum potest habere uxorem carnalem, ita Clericis unicam tantum Sponsam vel Ecclesiam, *Arg. can. sicut. 4. caus. 21. q. 2.* Quam pauci sunt, qui respondeant cum Episcopo, cui præter Episcopatum offerebatur Abbatia: Absit, ut habeam cum Sponsa concubinam.

3tio. Repugnat Juri Canonico; quia singula officia singulis personis sunt committenda. *cap. cum singula. 32. de prabend. in 6.* Nec quis, ut par est, pluribus simul Ecclesiis deservire potest. *cap. quia in tantum. de prabend.* Cum quis unum vix dignè valeat implere beneficium. *cap. quia nonnulli. 3. de Cleric. non resident.* Notanda sunt, quæ dicit Alexand. III. *in cit. cap. quia in tantum:*

Mul-

Multitudo prebendarum Canonibus inimica, dissolutionis materiam & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum.

4to. Repugnat juri civili, quia unus & idem pluribus militiis adscribi non debet.

5to. Repugnat intentioni Fundatorum, qui plura beneficia pro pluribus Clericis fundaverunt, ut Ministri Ecclesie multiplicarentur, & Divinus augetur cultus.

Demum repugnat justitie distributive, quæ exigit, ut non paucis sed pluribus dignis & idoneis bona communia distribuantur.

Quæres octavo. Qualiter per matrimonium vacat beneficium?

R. Si Clericus in minoribus constitutus de facto matrimonium contrahat, eo ipso omnia ejus beneficia vacant. *cap. 1. cap. quod à te. 3. cap. diversis. 5. cap. cum decorem. 8. de Clericis conjug.* Ratio est quia ex consuetudine Ecclesie Clerico datur beneficium sub tacita conditione: ne incompatibile matrimonii statum ineat; in Clericorum enim conversatione cythara cum psalterio malè concordat, & dum vit cogitat, quomodo placere possit uxori, minus quæ DEI sunt, valet cogitare, ut dicit *cap. diversis. cit.* Ideo ineundo matrimonium tacitè beneficium renuntiat, plus enim est factis demonstrare, quàm verbis dicere. *cap. dilecti. 52. de appellat. junct. gloss.* Sed quid si Clericus invalidè contrahat matrimonium?

R. 2do. Si matrimonium à Beneficiato contractum sit invalidum, distinguen-

dum est: Vel Beneficiatus contrahens sciebat impedimentum, vel nesciebat: si sciebat, multi sustinent beneficium non vacare; quia scienter invalidè contrahens nihil agit, imò nec sinceram intentionem contrahendi habere videtur, quod magis verum est, si matrimonium ex parte Beneficiati ob defectum consensûs, ut, quia ex metu vel fictè contraxit, nullum fuerit. Si nesciebat impedimentum, vacat beneficium, quia veram & ex parte sui habuit efficacem nubendi, & statim cum beneficio incompatibilem eligendi intentionem, & consequenter tacitè ipso facto renuntiavit beneficio. Simile est *in cap. nuper. 4. de bigamis.* ubi declaratur bigamus quidam viduus in sacris constitutus, eò quòd de facto secundum matrimonium quamvis invalidè contraxisset, ob rationem: quia in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attenditur.

Quæres nono. Qualiter per Religionis ingressum vacat beneficium?

R. Per Religionis ingressum Professione secutà ipso jure vacat beneficium. *cap. beneficium. 4. de Regular. in 6.* Ante Professionem beneficio renuntiare non potest, nisi juxta formam præscriptam à Trident. *Sess. 25. de Regul. cap. 16.*

Quæres decimo. Qualiter per privationem ob crimen vacant beneficia?

R. Dupliciter vacant per privationem. 1mo. Ipso jure, quando scilicet possessor beneficii eo ipso, quo crimen committit, illud amittit, ita ut alteri, licèt de facto possessionem ejusdem retineat, conferri valeat. *cap. licet. 28. de prebend. in 6.* nullum crimen licèt gravissimum, & privatione

vatione dignum beneficii vacationem ipso jure inducit, nisi in lege inveniatur expressum.

2do. Per sententiam Judicis privativam vacat beneficium, quando fundamentum vacationis est crimen, ipsum tamen beneficium non vacat, antequam Judex in vindictam commissi criminis beneficio de facto privat. Inter hos duos privationis modos notabiles reperiuntur differentia:

1ma. Beneficia ipso jure vacantia ob crimen ante sententiam Judicis condemnatoriam conferri & impetrari possunt, *cit. cap. licet. junct. gloss.* Sed post impetrationem sufficit, ut impetrans, si possessor se opponat, causam vacationis dicat, & probet. Secus dicendum, quando criminofus beneficio per sententiam est privandus; tunc enim ante sententiam beneficium non vacat, nec impetrari vel conferri potest.

2da. Ad dignoscendum, an beneficium vacet in mens Pontificis, vel mensse Ordinarii, quando crimen ipso jure privat, tempus commissi criminis, non autem tempus amotionis à possessione beneficii est inspiciendum: e contra in privatione beneficii per sententiam Judicis tempus latae sententiae privationis attendendum.

3tia. Ob crimen ipso jure privatus beneficium in foro poli sive conscientiae beneficium dimittere, ejusque fructus à die commissi criminis perceptos saltem post sententiam criminis declaratoriam restituere tenetur. Privatus per sententiam Judicis omnes fructus ante eam perceptos retinere potest.

4ta. Privatus ipso jure beneficio illud

resignare, aut alio modo de ipso disponere nequit: e contra Beneficiatus, qui crimen, ob quod beneficio privandus, commisit, illud renuntiandi, permu- tandi &c. habet facultatem.

Quæres undecimo. An in foro poli vel conscientiae Beneficiatus, qui crimen, ob quod beneficio ipso jure privatus, admisit, possessionem beneficii usque ad sententiam criminis declaratoriam retinere valeat?

R. Duplex est circa hanc quaestionem sententia: 1ma docet privationem beneficii ipso jure in poenam commissi criminis in foro conscientiae ante declaratoriam Judicis sententiam de crimine commisso non obligare, eò quod hæc poena externam executionem scilicet dimissionem beneficii possessi requirat, adeoque subintrat dispositio. *cap. cum secundum. 19. de heret. in 6.* Juxta quod quamvis per crimen hæresis ipso facto omnibus bonis privetur, hæreticus tamen bonus ante sententiam Judicis declaratoriam in conscientia dimittere non tenetur.

2da sententia est communior, quæ docet committentem crimen, ob quod ipso jure beneficio est privatus, teneri illud in conscientia dimittere etiam ante declaratoriam criminis sententiam; quamvis enim in poena amissionis priorum bonorum lex poenalis non obliget, ut criminofus ante sententiam declaratoriam criminis illius in se sit executor, attamen in bonis communibus, qualia sunt beneficia, delinquentem ad illa ante omnem sententiam dimittenda lex obligare potest, cum bona communia particulariter à lege Ecclesiae dependere dignoscantur.

Quæ-

Quæres duodecimo. Quenam crimina ipso facto inducunt privationem beneficii?

12. 1^{mo}. Simonia realis & conventionalis, ob quam Clericus non tantum beneficio adeptus, sed etiam aliis beneficiis jam legitime possessis privatur, *can. sane quisquis. 4. caus. 15. q. 3. cap. inquisitionis. 21. de accusat. Extr. av. cum detestabile. 2. de simon. inter com.* Idem per Constitutiones Pii IV. & V. est de simonia confidentiali.

2^{do}. Crimen hæresis. *cap. quicumque. 2. cap. ut commissi. 12. cap. cum secundum. 19. de hæret. in 6.*

3^{tio}. Crimen falsi in literis Apostolicis. *cap. ad falsariorum. 7. de crimine falsi.*

4^{to}. Percussio vel captio Cardinalis *cap. felicitis. 5. de pœnis. in 6.* vel Episcopi à proprio Clerico facta, qui privatur beneficiis à capiente in Ecclesia Episcopi capti obrentis. *Clement. 1. de pœnis.* Item si Beneficiatus Rectorem suæ Ecclesiæ aut alium ejusdem Ecclesiæ Clericum mutilat, vel occidat. *Arg. cap. in quibusdam. 12. de pœnis.* Item qui Clericum capit, donec resignet beneficium, vel ut citatus ad Romanam Curiam venire non possit.

5^{to}. Crimen Assasini commissum, procuratum vel mandatum. *cap. 1. de homicid. in 6.*

6^{to} demum nefandum Sodomix scelus, ex Constitutione S. Pii V.

§. Quintus.

DE

Actionibus & Judiciis beneficiariis.

Quia ratione cupiditatis, ambitionis & fraudis humanæ lites in materia beneficiorum sunt infinitæ, pauca Tyroni sufficientia in præsentem dicemus.

Quæres primo. Quodnam beneficium pacificè dicitur possideri?

12. Cui nec in - nec extra judicium quæstio juris aut facti movetur. *Arg. cap. cum olim. 7. de dolo & contumacia. cap. ex parte. 7. de testibus. Gloss. in Clement. gratia. de rescriptis.* Beneficium per triennium pacificè possessum nec in possessorio nec in petitorio per Regulam Cancellariæ 33. controversari potest.

Quæres secundo. Quodnam beneficium dicitur litigiosum?

R. D. Schnorrenberg Insti. 7. Can.

12. De cujus dominio vertitur quæstio inter petitorum & possessorem judiciaria contentione, vel precibus Principi aut Judici oblatis, & per eum reo futuro cognitis. *Gloss. in cap. 1. ut lite pendente. in 6. verb. litigantibus.*

Quæres tertio. Quot modis de beneficio litigari potest?

12. Omnis lis super beneficio est vel de possessione, vel de proprietate beneficii, vel de utroque; nam utrumque simul conjungi potest. *cap. cum dilectus. 6. de caus. possess. & proprietat. Clement. unic. eod. tit.*

B b

Quæ-

Quæres quarto. Quot modis in iudicio agitur de beneficii possessione?

ꝛ. Tribus. Vel enim agitur, ut possessio beneficii obtineatur, vel ut perditâ recuperetur, vel ut habita retineatur.

Quæres quinto. Quomodo agitur ad obtinendam beneficii possessionem?

ꝛ. Ut obtineatur possessio beneficii, agit interdico adipiscendæ possessionis, qui beneficii habet titulum, alio habente possessionem, in quam intitulus induci non potest, nisi possessore coram Iudice vocato ad relinquendam occupatam detentionem. *cap. licet Episcopus. 28. de præbend. in 6.* Qui enim ex aliquo titulo licet injusto possidet, sine causæ cognitione titulo privati nequit. *can. volumus. 2. caus. 16. q. 4.* Et ita intelligendi sunt textus in *cap. in literis. 5. de restitu. spoliator. cap. ad ultimum. 2. de caus. possess. & proprietat.*

Quæres sexto. Qualiter agitur ad recuperandam possessionem?

ꝛ. Ut recuperet possessionem, agit interdico possessionis recuperandæ, is, qui possessione beneficii fuit spoliatus; nam si habens Canonicum titulum alio possidente possessionem autoritate propria nanciscatur, jus, quod habet, tanquam intrusus amittit. *cap. eum qui. 18. de præbend. in 6.* Et adversarius interdico recuperandæ possessionis tanquam spoliatus uti potest. *cit. cap. in literis. 5. de restitu. spoliator.* Et prius de spoliatione quæritur, quam de titulo, cum spoliatus ante omnia sit restituendus. *can. 1. & 2. caus. 3. q. 1. Clement. unic. de caus. possess. & proprietat.*

Quæres septimo. Quomodo agitur ad

retinendam possessionem? ꝛ. Ut retineatur possessio beneficii, agit interdico retinendæ possessionis, cuius jus in possessione potentius, quia causa possessionis prius est discutienda, quam ad iudicium proprietatis perveniatur. *cap. fin. de iudiciis.*

Quæres octavo. Quæ forma in processu judiciali de beneficio servanda?

ꝛ. Procedendum est de plano sine strepitu & figura iudicii. *Clement. 2. de iudic. Quos terminos explicat Clement. sepe contingit. 2. de verb. signif.* "Iudex (summarie seu de plano procedens) necessarium libellum non exigit, litis contestationem non postulet, in tempore etiam Feriarum ob necessitates hominum inductarum à jure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breviorum, exceptiones, appellationes dilatorias & frustratorias repellendo, partium, Advocatorum & Procuratorum contentiones & jurgia, testiumque superfluum multitudinem refranando. Non sicut tamen Iudex litem abbreviet, quin probationes necessarias & defensiones legitimæ admittantur."

Quæres nono. An in causis beneficiariis pleno iudicii ordine procedi possit?

ꝛ. Licet summus Pontifex dispendiosam prorogationem litium, quam interdum ex subtili Ordinis iudicarii observatione causarum docet experientia provenire, restringere volens statuerit, ut in causis super præbendis seu quibusvis beneficiis Ecclesiasticis procedi valeat de cætero simpliciter, & de plano, & sine strepitu iudicii, & figura. *Clement. d. spen-*

dispensatio. 2. de judic. Si tamen his capitibus solemnibus ordo iudiciarius in toto, vel in parte non contradicentibus partibus observetur, non erit processus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. cit. Clement. saepe contingit. in fine.

Quæres decimo. Quis in lite beneficiarii Judex?

1. Lis de beneficio coram Iudice Ecclesiastico agitari debet. *cap. 3. de foro competent. Nec enim Iudices Laici rebus Ecclesie se immiscere debent. cap. decernimus. 2. de judic. cap. cum Laicis. 12. de rebus Eccles. non alienand. Attamen in pluribus locis Iudex Laicus cognoscit, si agatur interdicto retinendæ & recuperandæ possessionis, cum quid temporale dicant esse possessorium. Arg. cap. causam. 7. qui filii sint legitimi.*

Quæres undecimo. Quis Judex cognoscit de interdicto adipiscendæ possessionis?

1. Quia, dum agitur de interdicto adipiscendæ possessionis, causæ cognitio consistit in discussione, an petens habeat collationem Canonicam, & detinens possessionem obtineat justam, interdictum adipiscendæ possessionis plus habet petitorii, quam possessorii, ac proinde de eo non cognoscit Iudex, qui tantum de beneficiorum possessione, & non de

proprietate cognoscendi habet auctoritatem.

Quæres duodecimo. An in lite beneficiaria juramentum calumniæ præstandum?

1. Quamvis in *cap. literas. 7. de jurament. calumn.* dicatur: "Quod in casibus, in quibus de Ecclesiis, decimis, & rebus spiritualibus agitur, juramentum calumniæ nec dare nec recipere consueverit Ecclesia Romana, eò quod tales causæ non ex legum distinctione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiantur;" hæc tamen constitutio correctæ est per *cap. 1. eod. in 6.* ut innuit *Gloss. in cit. cap. literas. verb. literas.* Ibi enim ita statuit Bonifacius VIII. "Quamvis in causis spiritualibus Canones non indicant alicui calumniæ juramentum, nos tamen, quia frequenter calumniari videmus, in ipsis utile reputamus, quod simul tam de veritate dicenda, quam de calumnia, ut via præcludatur calumniis, jurari debeat in iisdem." Porro calumniæ juramentum non tantum præstandum, dum pleno iudiciario proceditur Ordine, sed etiam quando de plano sine strepitu & figura agitur iudicii. *Clement. saepe contingit. 2. de verb. signif.*



TITULUS ULTIMUS.

DE

REGULARIBUS.

FUssissimam hanc materiam, ut Tyronum captui accommodetur facilius, & via ad veritatem pateat apertius, in quinque contraximus *sphos*, acturi §. *1^{mo}* de Regularibus in commu-

ni. *2^{do}* de ingressu Religionis. *3^{tio}* de voto in communi. *4^{to}* de Professione Religiosa. *5^{to}* de obligationibus Religioforum, huic Libro per appendicem de Monialibus finem imposturi.

§. Primus.

DE

Regularibus in communi.

Quæres *primo*. Unde nomen Regularis?

ꝛ. Derivatur à Regula; ita omnes Clerici à primæva institutione appellantur Regulares vel Canonici, ob Canonem vel Regulam Ecclesiasticam, cui erant astricti. *can. si qui verò. 3. & seqq. dist. 32.*

Quæres *secundo*. An in primitiva Ecclesia omnes Clerici fuerint Religiosi?

ꝛ. Vivebant tunc quidem omnes Clerici sub Regula cum Episcopo in communi, clausurâ, paupertate, & obedientiâ, ut constat ex *Canon. dilectissimi. 2. can. necessaria. 3. can. quia tua fraternitas. 8. caus. 12. q. 1. can. in omnibus. 34. de consecrat. dist. 5.* Et ad talem vitam communem hortatur Gregor. VII. *in cap. quoniam. 9. de vita & honest. Cleric.* Non

tamen omnes erant Religiosi, quia non se omnes ad communem vitam & obedientiam per votum astringebant, sed quamvis ex communi Ecclesiæ patrimonio viverent, patrimonia tamen sæcularia privata habere poterant, unde inter Clericos sæculares & Regulares facta est distinctio.

Quæres *tertio*. Quid est Religio?

ꝛ. Religio 3pliciter sumi potest: *1^{mo}* pro virtute, quâ DEO debitus exhibetur cultus. *2^{do}* pro communitate, quæ DEUM per fidem & opera bona colit, unde Christiana dicitur Religio. *3^{tio}* pro Statu Religioso, qui est stabilis modus vivendi in communi editis tribus votis substantialibus, perpetuæ castitatis, paupertatis & obedientiæ ad Christianæ tendens perfectionem charitatis.

Quæ-

Quæres *quarto*. Quæ ad substantiam Status Religiosi requiruntur conditiones? *Re. Sequentes: 1ma.* Ut serventur tria consilia Evangelica perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ Statui Religioso essentialiter sunt annexa, ut colligitur *ex cap. cum ad monasterium. 6. de Statu Monach. in fine.* "Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis aded est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere." Cujus ratio est: quia Status Religiosus est via & tendentia ad Christianam perfectionem, quæ juxta Apostolum *ad Coloss. 3.* in charitate DEI consistit, acquirendam; ad perfectam autem charitatem requiritur renuntiatio rerum omnium creaturarum, quæ perfectum amorem impedire possunt, qualia sunt divitiæ, quæ per paupertatem, voluptates corporis, quæ per castitatem, & propria voluntas, quæ per obedientiam abdicatur.

2da. Ut hæc tria consilia Evangelica voto perpetuam obligationem inducente saltem ex parte voventis firmentur. Ratio est: quia Status aliquam immobilitatem significat, ut patet in Statu Episcoporum, conjugatorum, servorum, qui non ad tempus, sed stabiliter & in perpetuum sunt obligati. Dixi: *Saltem ex parte voventis*: quia ex parte illius, cui fit votum, non est necessaria reciproca perpetua obligatio, ut patet in servo, qui ex parte sua perpetuam Domino serviendi habet obligationem, quamvis Dominus eundem manumittere possit, ita in Societ. JESU Scholastici à Greg.

XIV. veri Religiosi sunt declarati, qui habent perpetuam in Societate manendi obligationem, licet Societas eosdem perpetuo retinere non teneatur, sed ob justas causas eos dimittendi habeat facultatem.

3tia. Ut ex parte voventis actualis fiat traditio, per quam se vovet DEO, & Religionis dedicat, ex parte verò Religionis externa acceptatio, quibus mediantribus homo Statum mutans peculiariter in dominium, sortem, & familiam DEI transit, Prælato sive Superiore Religionis profitentem in familiam & Corpus mysticum Religionis adoptante. Colligitur *ex cap. porrectum. 13. de Regular.*

4ta. Ut tria vota in Religione per Sedem Apostolicam approbata emittantur; approbatio enim omnium Religionum summo Pontifici est reservata. Ut constat *ex cap. fin. de Religios. domib. & cap. unic. eod. in 6.* Quamvis antiquitus Religiones ab Episcopis pro suis Diocesisibus approbarentur, hodie tamen approbatio Religionum inter majores Ecclesiæ causas supremo Capiti reservatas numeratur. Requiritur autem, ut non solum modus vivendi tanquam licitus sit approbatus, sed etiam pro vera Religione seu Statu Religioso approbari debet. Ratio est: quia super communem Christianorum Statum is nequit esse, nisi modo speciali à Christo descendat, mediante scilicet ipsius summo in terris Vicario.

Quæres *quinto*. Quis Author Status Religiosi, & unde ejus antiquitas probatur?

Re. 1mo. In ipso legis gratiæ diluculo divus Joannes Baptista ex eremo ad Jordanis

danis fluente veritatis & penitentiae
 Præco, vitæ Monasticæ & Religiosæ
 Antesignanus fuit, ut testatur S. Hiero-
 ny. n. in *Epist. ad Virg. Eustochium*. Chri-
 stus Præcursores secutus Statum Reli-
 giosum quoad substantiam instituit,
 quando ad tria consilia Evangelica ad-
 hortatur, ad paupertatem Luc. 14. *Nisi*
quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet,
non potest meus esse discipulus. Ad castita-
 tem Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos*
castraverunt propter Regnum cælorum. Ad
 obedientiam, quæ in abnegatione sui &
 propriæ voluntatis consistit, Matth. 19.
Vade, vende omnia, quæ habes, & da pau-
peribus, & sequere me, & habebis thesau-
rum in cælo. Apostoli doctrinam Christi
 secuti Matth. 19. dicunt: *Ecce nos reli-*
quimus omnia, scilicet conjugium, bona
temporalia per votum castitatis & pau-
peritatis, & secuti sumus te, obedi-
tiam profitendo.

2do. Post tempora Apostolorum, Cle-
 mens I. quem S. Petrus Succellorem ordi-
 navit, & post Linum & Cletum Sæculo
 primo Ecclesiam rexit de vita Religiosa
Epist. 5. ita scribit: Communis vita
 omnibus necessaria est, & maximè his,
 qui DEO irreprehensibiliter militare,
 & vitam Apostolorum eorumque Disci-
 pulorum imitari volunt. Sæculo 2do
 Pius I. qui Ecclesiam circa annum 136.
 gubernavit, ritum in sacris Virginibus
 velandis & consecrandis decrevit. *can.*
Virgines. 15. caus. 20. q. 1. Sæculo 3tio
 Urbanus I. qui circa annum 224. præfuit,
 in *can. scimus. 9. caus. 12. q. 1.* "Scimus
 vos non ignorare, quia hætenus vita
 communis inter omnes Christianos vi-

guit, & adhuc DEI gratiâ viget, &
 maximè inter eos, qui in sortem Do-
 mini sunt electi, id est, Clericos. Qui-
 cunque vestrum vitam communem
 susceptam habet, & novit se nihil pro-
 prium habere, videat, ne pollicita-
 tionem suam irritam faciat: Sed hoc,
 quod Domino est pollicitus, fideliter
 custodiat, ne damnationem, sed præ-
 mium sibi acquirat."

Eutychianus Papa, qui eodem Sæculo
 circa annum 277. sedit, in *can. si quis*
Episcopus. 91. caus. 11. q. 3. Monachorum
 facit mentionem. Sæculo 4to Sylvester I.
 qui circa annum 214. Apostolicam tenuit
 Cathedram, in *can. à Subdiacono. 5. dist.*
93. Abbati Monachus in omni loco re-
 prætentet obsequium. Concilium Nicæ-
 num, quod fuit circa annum 341. in *can.*
placuit. 1. caus. 16. q. 1. "Placuit omni-
 bus residentibus in sancta Nicæna Sy-
 nodo, ut Monachorum conversatio &
 vita secundum etymologiam nominis
 ab omnibus discrepet."

Syriscus Papa, qui circa annum 385.
 Ecclesiæ præfuit, in *can. Monachos. 29.*
caus. 16. q. 1. Monachos, quos tamen
 morum gravitas, & vitæ ac fidei institu-
 tio sancta commendat, Clericorum offi-
 cii aggregari & optamus, & volumus.
 Hoc eodem Sæculo plura monasteria à S.
 Antonio in Thebaide, à S. Pachomio in
 Ægypto, à S. Hilacione in Palaestina, SS.
 Basilio & Athanasio in Græcia sunt insti-
 tuta.

Sæculo 5to S. Augustinus in Africa
 Religiosas familias utriusque sexus insti-
 tuit, quo eodem Sæculo Canonici Re-
 gulares à Gelasio Papa I. qui Ecclesiam

An-

Anno 492. administravit, Romæ in monasterio vel Ecclesia Lateranensi sunt positi, à quo usque hodie Canonici Lateranenses vocantur. Sæculo 6to S. Benedictus Monachorum Pater appellatus floruit.

Quæres sexto. An ergo Status Religiosus Juris Divini?

R. Si Status Religiosus quoad particularem modum vivendi sive Regulam spectetur, non est ex Christi institutione, sed Ecclesiæ, quæ etiam certas condiciones ponere potest, sine quibus vota tanquam Religiosa acceptari non debeant, quæ condiciones etiam pro temporum varietate mutari possunt. Sic primis Sæculis vota Religiosa absolutam indissolubilitatem non continebant, ut probat *Suar. tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 14. n. 14.* Ita etiam vota Religionis matrimonium post Professionem non irritabant, quod quamvis illicitum & sacrilegum, validum tamen erat. *Arg. can. nuptiarum. 41. can. de viduis. 42. caus. 27. q. 1.* Innocent. II. in Concilio Rom. legem tulit, ut refertur *in can. ut lex. 40. caus. 27. q. 1.* ut qui S. Ordine initiati vel Religionem sunt professi, si uxores sibi copulare præsumpserint, separentur.

Quæres septimo. Qualis diversitas & distinctio Religionum?

R. Quamvis omnes Religiosi Ordines in iis, quæ ad essentiam Religionis spectant, scilicet tribus votis substantialibus ab Ecclesia acceptatis conveniant, inter se tamen vel ex fine proprio, ad quem quilibet Ordo in particulari est institutus, vel ex diversis mediis & exercitiis, quibus tum ad vota servanda, tum

ad eundem finem tendunt, distinguuntur.

Quæres octavo. Quinam Ordines ex fine distinguuntur?

R. Ob diversitatem finium Ordines in contemplativos, activos & mixtos dividuntur. Ordo vitam contemplativam habet, qui præter observantiam votorum substantialium in contemplatione rerum Divinarum potissimum se exercet, quales ferè sunt omnes Religiones Monastica Benedictonum, Cisterciensium, Carthusianorum, &c. quæ principaliter & ex fine suo ad solam contemplationem ordinantur.

Ordo vitam activam habet, qui ad opera misericordiæ circa proximum principaliter ordinatur, quales sunt Ordines militares, qui tribus substantialibus votis editis vi proprii instituti ad militandum pro Christianæ Religionis & Ecclesiæ defensione ordinantur, Ordines hospitalarii, qui tribus votis emissis ad hospitalitatem in curandis infirmis, vel excipiendis peregrinis, sepeliendis mortuis, redimendis captivis vi instituti diriguntur.

Ordo Religiosus vitam mixtam proficitur, qui tam ad contemplationem, quam ad actionem erga proximum principaliter est institutus, tales in Ecclesia illi sunt Ordines, qui ad docendum, prædicandum, Sacramenta administranda, &c. erecti sunt, & vocantur Ordines Clericales, in hoc ab Ordinibus Monachalibus distincti, quod per se primò ad ministeria Clericorum in Divino cultu, & procuranda animarum salute ordinantur, ut patet ex pluribus textibus.

canj. 15. q. 1.

Quæ-

Quæres nono. Quinam ex his Ordinibus perfectiores?

R. Cum S. Thom. 2. 2. q. 188. a. 6. 1mo. Religiones seu Ordines, qui ad docendum & ad Verbum DEI prædicandum sunt ordinati, ac vitam ex contemplativa & activa mixtam profitentur, cæteris omnibus procul dubio antecellunt, quia contemplata aliis communicant. 2do. Ordines, qui ad hospites excipiendos, eleëmofynas distribuendas, & ad similia externa pietatis opera exercenda sunt destinati, ac vitam profitentur activam, infimum inter Religiones locum obtinent. 3tio. Ordines ad contemplationem instituti medium inter utrasque tenent gradum excellentiæ.

Quæres decimo. Qualiter Ordines ex mediorem diversitate distinguuntur? R. 1mo. Ordines Mendicantes à non Mendicantibus distinguuntur, Ordines non Mendicantes sunt, qui bona immobilia in communi possident, possidere verò bona immobilia in communi non præjudicat Religiosæ perfectioni, ut probat Doctor Angel. 2. 2. q. 188. a. 7. Ordines Mendicantes sunt, qui etiam paupertatem in communi sectantur, & ex primæva institutione nulla bona immobilia in communi possident, licet de facto vel ex concessione Pontificis, vel ex consuetudine approbata quædam bona immobilia habere videantur. De his agitur cap. unic. de Religios. domib. in 6 ubi quatuor Ordines Mendicantes approbantur, scilicet: Prædicatorum, Fratrum Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, quibus postea alii accesserunt. Cap. unic. de excess. Pralat. in 6.

Clement. 1. de Regul. Clement. cupientes. 3. de panis. Extrav. unic. de offic. Custod. inter com. Extrav. vices. 2. de treug. & pace. inter com. Extrav. 1. de Regular. inter com.

2do. Religiones seu Ordines eundem finem habentes, sive Mendicantes, sive non Mendicantes secundum diversas regulas & particulares constitutiones, juxta quas vivunt, inter se distinguuntur. Ab Ecclesia autem approbatæ quatuor principales numerantur Regulæ, sub quibus omnes ferè militant Ordines: 1ma S. Basilii, quam ferè Ecclesiæ Orientalis Græci tenent Monachi. 2da S. Augustini, secundum quam vivunt infinitæ ferè Religiones, ut dicit Donatus tom. 2. de Regular. tract. 1. q. 2. 3tia S. Benedicti, sub qua vivunt Cistercienses & aliæ Reformationes. 4ta S. Francisci, quam tenent Minores de Observantia, Conventuales, Capucini, & tertia Regule de Pænitentia: singuli tamen Ordines, qui sub eadem Regula militant, proprias & speciales, quibus inter se discrepant, habent constitutiones. Præter prædictas quatuor Regulæ habent propriam & ab aliis distinctam Regulam vel Constitutiones à suis Fundatoribus datas Carthusiani, Minimi, Patres Societ. JESU.

Quæres undecimo. Quinam ex his Ordinibus digniores?

R. Inter Ordines eundem finem vel contemplationis, vel actionis, vel ex utroque mixtum habentes ille est perfectior, qui habet media non plura, vel austeriora, sed finem intento magis proportionata, ut similiter præclare docet Doct. Ang. l. c. a. 6. § 7.

Quæ-

Quæres duodecimo. Qualis inter Ordines præcedentia?

R. 1^{mo}. Clerus Sæcularis præcedit Clerum Regularem. *Tamb. de jure Abbat. tom. 1. disp. 25. q. 2. n. 19.* Ratio est: quia cætus Clericorum est dignior, quàm cætus Monachorum. *Gloss. fin. in cap. qualiter. 24. de accusat.* Et colligitur ex *can. legi Epistolam. 36. caus. 16. q. 1.* Abbas tamen Regularis omnes præcedit Canonicos etiam Cathedrales, & illis dignior habetur, quando singuli incedunt, hoc est: dum Abbas cum aliquo Canonico in singulari concurrat. Ratio est; quia dignitas Abbatialis major post Episcopum dignitas existit. *Arg. can. si quis deinceps. 12. caus. 16. q. 7.* ubi immediatè post Episcopatum ponitur Abbatia.

Dixi: *Dum singuli concurrunt*, quia quando Canonici collegialiter procedunt, & in omnibus actibus, quibus Ecclesiam Cathedralè repræsentant, Canonici Cathedrales præcedunt Abbates. Ratio est; quia Ecclesia Cathedralis præ aliis honorari debet. *cap. quamvis. 4. de præbend. in 6.* Et est dignior aliis Ecclesiis ob caput suum, quod Episcopalem habet dignitatem, quæ est culmen dignitatum. *cap. Venerabilis. 37. de præbend. Gloss. in cap. licet. 2. de præb. in 6. verb. dignitatum.*

2^{do}. Circa Ordines Monachales Greg. XIII, in constitutione, quæ incipit: *Exposcit pastoralis*. Anno 1583. hanc fecit ordinationem, ut appellationibus quibuscunque remotis ille Ordo Mendicantium præcedere debeat in processionibus, qui est in possessione præcedentiæ ac juris præcedendi: quando verò non

R. D. Schngrrenberg Instit. Jur. Can.

potest probari, vel constare de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi, illi Fratres Mendicantes in processionibus tam publicis, quàm privatis præcedere debent, qui in loco controversiæ sunt antiquiores, ita ut si contigerit nova monasteria vel domus alicujus Ordinis ex dictis Mendicantibus esse erecta vel instituta, ille Ordo, qui prius monasterium vel domum in loco habuerit, præcedat.

3^{tio}. Superest quæstio, quinam inter antiquos Ordines scilicet Monachales, inter quos præminet Ordo S. Benedicti, & Ordines Regularium Canonicales, inter quos præcipuus Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini præcedere debeant. Hæc quæstio acriter agitata tempore *Concilii Trid.* ac pro utraque parte famosissimi Canonistæ ac Facultates Juridicæ sua consilia juris ediderunt.

Fundamenta utriusque partis refert *Tambur. Abbas Benedictinus de jure Abbat. tom. 1. disp. 25. q. 1.* S. Pius V. finalem sententiam dedit, dicendo Abbates, Prælatos & Canonicos Regulares Congregationis Lateranensis, uti & Clericos in linea veste & Clericali habitu incedentes in processionibus & omnibus actibus publicis Abbates, Prælatos & Monachos Ordinis S. Bened. Cassinenses præcedere: quando verò prædicti pro se sine Conventibus in Conciliis Generalibus, Provincialibus, Synodalibus & aliis actibus publicis vel privatis conveniunt, inter se juxta singulorum ipsorum Abbatum ibidem intervenientium priorem & antiquiorem promotionem ad Abbatiam, ac illâ promotione duntaxat, non autem congregatione in ordine, cujus fuerint, attentis præcedere debeant. *Tamb. cit.*

Cc

§. 2^{dus}.

§. Secundus.

D E

Religionis Ingressu.

PER Religionis ingressum aliquando intelligitur ipsa Professio, per quam quis verè & propriè Religiosus efficitur, ut in *can. quia ingredientibus, 7. caus. 19. q. 3.* In præsentem ingressus in Religionem pro susceptione habitus Regularis sumitur, à qua aliquis in Novitium ad Religionem suscipitur probationem.

Quæres primo. Quænam à Religionis impediunt ingressu?

1. Sequentia: 1^{mo} defectus ætatis, de quo statim.

2^{do} defectus libertatis. Servus vel propriè dictus, vel etiam colonus originarius, aut glebæ, ut vocant, ascriptus, invito vel inscio Domino, si intra triennium à die, quo Dominus notitiam ingressus habuit, computando, repetatur, cum omnibus, quæ in monasterium attulit, fide de impunitate acceptâ, est restituendus, *can. fin. caus. 17. q. 2.* Triennio elapso, quamvis Professionem nondum fecerit, repeti non potest, cum Dominus renuntiâsse censeatur.

3^{tio} vinculum matrimoniale; conjux enim post matrimonium consummatum, nisi causa justa perpetui divortii adsit, vel alterius conjugis interveniat licentia, ad Religionem haud est admittenda, *cap. quidam, 3. cap. placet. 12. de convers. conjugat.*

4^{to} Dignitas Episcopalis; Episcopus enim sine licentiâ Papæ Religionem in-

gredi nequit. *cap. nisi cum pridem, 10. de renuntiat. cap. licet, 18. de Regular.* Tum quia vinculo spiritualis matrimonii suæ Ecclesiæ est alligatus, *cap. inter corporalia, 2. de transl. Episcop.* Tum quia populi subiecti commune bonum, quod in susceptione Episcopatus se procuraturum vovit, privata utilitati & quieti contemplationis præferre debet, ut probat *Doll. Ang. 2. 2. q. 188. a. 4. ad 1.*

5^{to} Æs alienum ex delicto vel contractu oneroso contractum, juxta constitutionem Sixti V. quæ incipit: *Cum de omnibus.* Limitatur, Tunc solum impedit, quando spes, quod in Sæculo ex officii vel beneficii fructibus, vel arte aut industria statui suo convenienti intra paucos v. g. tres annos debita solvere possit, alias si talis spes desit, debitor bonis cedens in favorem creditorum Religionem ingredi potest, quia inanis est actio creditoris, quam excludit inopia debitoris. *cap. olim, 16. de restit. spoliator.* Et ultra, quàm potest, nemo tenetur. *Reg. nemo, 6. de Reg. juris, in 6.* Si creditores incerti, Religionem quoque intrare non prohibetur.

6^{to} Ratiocinia, sive rationes ex administratione rerum publicarum reddendæ. *can. unio. dist. 53.* Quod constitutio Sixtina citata ad rationes privatas extendit, si ob istas dandas sit lis intentata, vel ne intentetur, timeatur.

7^{timo}.

7mo. Crimina, ob quorum enormitatem poena publica mortis, mutilationis, perpetui exilii, trirremium, fustigationis vel similis timetur, *cit. constit. Sixti V.*

8vo demum paupertas parentum filium, sine quo parentes honestè vivere vel sustentari nequeunt, ab ingressu Religionis impedit, & tales peccare mortaliter probat *S. Thom. 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. in can. 1. dist. 30.* Si qui filii parentes deseruerunt occasione DEI cultus, hoc justum esse judicantes anathema dicuntur.

Quæres secundo. Quæ ætas ad ingressum Religionis requiritur?

R. 1mo. Infantes ante usum rationis de consensu parentum ad Religionis habitum suscipi possunt. *can. 1. caus. 20. q. 2.*

2do. Parentes vel in illorum defectu tutores filium vel filiam impuberem etiam invitos Religionis offerre possunt, ut in ea non solum sub regulari disciplina vivant & educentur, sed etiam ut suo tempore Religiosi fiant. Colligitur *ex cap. cum virum. 12. de Regular. cit. can. 1.* Cujus oblationis hic est effectus, quod filius impubes à parentibus Religionis oblati intra ætatem pupillarem parentibus etiam consentientibus iterum egredi non possit, si monasterium vel Religio repugnet, cui per oblationem jus est acquisitum, ne ante annos pubertatis recedere liceat, cum impubes sine parentum oblatione vel imperio Religionem ulterò ingressus omni tempore liberè egredi valeat. *cap. significatum. 11. de Regular.*

3tio. Pueri ante annos pubertatis Religionem ingredi, habitum Religiosum

suscipere, ac etiam se voto Religionem ingrediendâ obligare possunt. *S. Thom. 2. 2. q. 189. a. 5. in O.* Si tamen parentes in talem ingressum non consenserint, filium revocare, ejusque votum irritare possunt, cum puerilis illa ætas à parentum voluntate dependeat. *can. puella. 2. caus. 20. q. 2.* Si verò aut expressè aut tacitè, scilicet habitâ notitiâ intra annum non revocando, consenserint, filium ingressum revocare nequeunt. *can. 1. caus. 20. q. 2. cap. si quis. 2. de Regular.*

Quæres tertio. Quænam ad inchoandum Novitiatum ætas requiritur?

R. Ad inchoandum Novitiatum requiritur ætas legitima, scilicet in masculis completus annus 14. & in foeminis 12. nec hinc prudentia aut malitia supplet ætatem, ut colligitur *ex cap. ad nostram. 8. de Regular.* Ratio est: quia in hac ætate discretio rationis, libertas arbitrii, & vires sunt ad probandam Religionis austeritatem. Cui non obstat *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 15.* Ad Professionem annum ætatis 16. completum requirens, quia per hoc nihil circa inchoationem Novitiatûs innovavit, cum non requiratur, ut annus probationis immediatè Professionem antecedit, sed si completo probationis anno desit legitima ætas, Professio usque ad eandem differtur.

Quæres quarto. Qualem Novitiatum Religionem ingrediens servare debet?

R. In monasterio assumpto habitu Religionis per integrum annum cumque continuum Religionem probare debet.

1mo requiritur, ut annus probationis in monasterio peragatur, ut colligitur *ex cap. 1. de Regular. in 6. illis verbis:*

C c 2

Quod

Quod si per totum annum in monasterio permanferit. Ratio est: quia annus probationis institutus est, ut Novitius Religionis austeritatem, & econtra Religio Novitii mores experiatur, hoc autem fieri non potest, si Novitius extra monasterium in Sæculo versetur; si tamen de licentia Prælati Novitius per aliquam anni partem à monasterio absit, probationi non obest, cum de licentia Prælati extra monasterium degens, adhuc verè in probatione esse censetur, dum in eo loco est, ubi sub Prælati obedientia vivit, & illo jubente paratus est redire; quòd autem absens taliter probari nequeat, sicut præsens, per accidens est, uti etiam si Novitius post susceptionem habitus infirmaretur, & toto anno in infirmaria infirmus existeret, anno completo sine alia probatione ad Professionem admitti posset, quia verè per annum fuit in statu probationis & sub obedientia Religionis.

2do. Necessè est, ut annus probationis in habitu regulari peragatur. *Gloss. in cap. super eo. 9. de Regul. verb. in eadem veste. Et colligitur ex Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 15. ibi: Nec, qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* Ratio est: quia Novitius omnes austeritates Ordinis probare debet, idèoque qui habitum non gestavit, sufficienter probatus non fuit, verius tamen est, quòd gestatio habitus de essentia Novitiatùs non sit, ut colligitur ex *can. unic. dist. 53.*

3tio. Annus probationis integer esse debet. De jure antiquo quidem tempus probationis quandoque erat annus. *can. 2. caus. 17. q. 2.* Quandoque biennium.

can. monasteriis. 6. caus. 19. q. 3. Quandoque triennium. *can. unic. dist. 53. in cap. ad Apostolicam. 16. de Regul.* Statuitur quidem annus, sed cui Novitius & Religio renuntiare potest intra annum profitendo & Professionem recipiendo. *In cap. non solum. 2. de Regular. in 6.* Declaratur Professum in Ordine Mendicantium intra annum probationis obligari ad aliquem Ordinem in communi: Tandem *Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 15.* generaliter statuit, ut Professio in quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum ante exactum annum probationis non solum illicita, sed etiam invalida, nullamque obligationem ad aliquis Regulæ vel Religionis observantiam vel alium quemcunque effectum inducat. Annus autem de momento in momentum computandus est, ita ut qui 1ma Januar. Anno 1738. in meridie est investitus, non possit 1ma Januarii Anno 1739. manè profiteri, & in Anno bissextili Novitius diebus 366. in probatione esse debet. Ratio est: quia *Trident. l. c.* ad valorem professionis requirit, ut Novitius non minori tempore, quàm per annum in probatione steterit, & in *cap. non solum. cit.* requiritur, ut annus probationis sit elapsus, qui autem aliquot horis ante annum finitum est professus, minori tempore, quàm per annum, in probatione stetit; annus enim ubi incipit, ibi quoque desinit.

4to. Necessè est, ut annus probationis sit continuus, uti sæpe declaravit S. Congregatio: Quoties enim in decreto aliquo certum tempus præscribitur, id necessariò debet esse continuum, ut tradunt

dunt Gloss. in cap. 2. de temp. ordinat. in 6. & communiter Doctores; cum igitur Tridentin. annum requirat integrum, continuus esse debet. Ratio congruentiæ est: quia hic annus præscribitur, ut Novitius Ordinis austeritates experiatur, ad quod multum conducit, si onera Religionis sine intermissione portaverit.

Quæres quinto. An ex privilegio non finito probationis anno profiteri quis possit?

ꝛ. Moniales S. Dominici Anno 1570. obtinuerunt privilegium, ut in mortis articulo constitutæ, si 16tum ætatis annum compleverint, profiteri possint, etsi nondum integer Novitiatus annus expletus, quo privilegio omnes alii Novitii aliorum Ordinum utriusque sexûs per communicationem gaudent. Circa quod privilegium duo sunt notanda: 1mo. Quod monasterium dotem Novitii in anno probationis decedentis non consequatur, quamvis ante obitum in mortis articulo Professionem emisserit.

2do. Si hujusmodi Novitius vel Novitia convalescat, de novo profiteri debet, ut declaravit S. Congregatio apud Pignatell. tom. 1. consult. 357.

Quæres sexto. Quot modis annus probationis interruptitur?

ꝛ. Sequentibus: 1mo. Novitiatus interruptitur, si anno probationis nondum completo fiat professio; tunc enim Novitius in probatione amplius non manet, cum tamen juxta Trident. l. c. per integrum annum in probatione stare debeat, quo casu juxta quosdam totum probationis annum repetere non est necessarium, sed sufficit, si tempus, quod

anno probationis deerat, suppleatur, & postea professio ratificetur, eò quòd vitium in Novitiatu non intervenerit.

2do. Si Novitius anno probationis nondum completo exeat, & animo non redeundi Religionem deserat; eo ipso enim amittit statum, quem habebat, & novâ probatione indiget: quòd si tamen spectatis circumstantiis mora temporis, quo extra Religionis claustrum mansit, sit modica, & paulò post per regressum & pœnitentiam purgata, multi volunt Novitiatum non esse moraliter interruptum, quamvis tutius & plerumque consultius sit, ut saltem ad constantiam talis Novitii probandam, Novitiatum ab initio inchoare jubeatur.

Dixi: Anno probationis nondum completo: quia si quis post expletum probationis annum exivit, ut quia morbo, qui putabatur incurabilis, laboravit, & postmodum plenè curatus redit, novum probationis annum inchoare non tenetur, ut declaravit S. Congregatio apud Fagn. in cap. ad Apostolicam. de Regular. n. 43. Nisi fortè conditio personæ vel Religionis ita mutata, ut ex parte Novitii non esset experientia omnium austeritatum, & ex parte Religionis morum in Novitio exploratio, Ratio est; quia in tali casu Novitius per annum integrum & continuum difficultates Ordinis expertus est, quod solum de jure requiritur. Idem est de eo, qui expleto probationis anno Religionem deseruit, & non ad prius monasterium, sed ad aliud ejusdem Ordinis Regularisque Observantiæ admittitur; quia experientia asperitatum & probatio in uno monasterio facta ad

emittendam Professionem in altero ejusdem Ordinis & Observantia sufficit, imò si Novitiis nondum completo probationis anno in uno monasterio v. g. post sex menses in uno ad aliud ejusdem Ordinis monasterium transferatur, non est necessarium, ut annum probationis de novo incipiat, secus si Religiosus ad aliud diversi Ordinis & Observantia cœnobium transeat; tunc enim necessariò, sive antea fuerit Professus, sive Novitiis, denuò integrum probationis annum subire debebit.

3tio. Si Novitiis ab Ordine dimittatur; justè enim ejectus à Superiore ad Ordinem ineptus est judicatus, & per consequens Novitiatus irritatus, ideòque si iterum sublato inhabilitatis impedimento admittatur, denuò probationis annus ab eo inchoandus: quod tamen intelligendum videtur, si nondum absoluto Novitiatus anno ob inhabilitatem dimittatur; aliàs si expleto probationis anno dimittatur, v. g. ob morbum incurabilem, ut supra dictum, sublato impedimento, sine nova probatione ad Professionem admitti potest. Idem est, si ob tale impedimentum Professio secuta sit invalida; nec enim tunc repetendus est Novitiatus, quia ratio finalis, ob quam Concilium Trident. annum probationis præmitti voluit Professioni, est: ut Novitiis austeritates Ordinis, & hic ejus mores experiatur, eo sublato v. g. per dispensationem inhabilitatis impedimento, satis erit, si Professionem, quamvis non iteretur Novitiatus, ratificet. Multò magis id tenendum, si Novitiis injustè sit dimissus, & ad Prælatum supe-

riorem recurrat, ibidè que restitutionem obtineat, tunc admitti debet, vel ad Professionem, si completus ante Novitiatus annus, vel ad inceptum probationis annum continuandum juxta *Regulam 41. de Reg. Jur. in 6. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*

Quæres septimo. Quid si Novitiis tempore Novitiatus in amentiam incidat, an nihilominus currat annus probationis?

R. Si quis, dum sanæ mentis, ad probationem admittitur postmodum in amentiam incidat, & illa diu duret, ut per unum vel alterum mensem, interea suspenditur, & quasi dormit probationis annus, ac tempus amentia, postquam est restitutus, supplere debet. Hæc de jure comm. *Concil. Trident.* Caterum in quibusdam Religionibus prolixius probationis tempus requiritur, per specialia earum statuta, quæ per constitutionem Tridentini immutata non sunt, ita tamen, ut si anno probationis expleto, & non evoluto ulteriori tempore per statuta vel consuetudinem Ordinis requisito, Novitiis ad Professionem admittatur, propterea non sit invalida Professio, eò quòd statuta tempus illud requirere non soleant sub pœna nullitatis.

Quæres octavo. Quis ad Religionem suscipere potest?

R. In quacunque Religione approbata Novitiis suscipiendi est potestas; approbare siquidem Religionem est concedere ea omnia, quæ ad utilitatem, conservationem & gubernationem Religionis pertinent, sed conservatio Religionis sine susceptione Novitiorum ac legiti-

tima

tima eos gubernandi potestate fieri nequit. Quamvis autem hæc potestas in toto sit corpore, immediatè tamen à tota Religione concedi non potest, sed 1^{mo} à Prælo cujuslibet monasterii exercetur, *juxta cap. fin. de Regul. in 6. junct. gloss.* Et probatur *per cap. porrectum. 13. & cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Quia autem hæc potestas recipiendi Novitios est ordinaria, immediatus Prælati eam demandare potest. *cap. cum Episcopus. 7. de offic. Ordinar. in 6.* Fit ab hac Regula communi exceptio: nisi Novitios admittendi potestas in aliqua Religione Generali vel Provinciali esset reservata, aut specialiter à Generali alicui immediato Prælo Novitios suscipere foret inhibitum.

2^{do}. Quia receptio Novitii ad habitum de majoribus est negotiis, ideo illa non ad solum Prælatum, sed simul ad Conventum vel Capitulum pertinet. *cap. novit. 4. cap. quanto. 5. cap. eanoscitur. 6. de his, quæ sunt à Prælat.*

3^{io}. In hoc negotio regulariter ad consuetudinem & constitutiones cujuslibet Religionis est attendendum, ut colligitur *ex cap. fin. de Regular. in 6.* In pluribus Ordinibus cum consilio majorum de Conventu Novitiorum pertinet receptio, in quo casu sustinet *Tamb. de jure Abbat. tom. 3. disp. 6. q. 1. n. 9.* quod Prælati consensum illorum expectare teneatur, quia quando quis consilium ab aliis tanquam à Collegis & consortibus postulare obligatur, eorum consensum expectare & sequi debet. Sufficit autem, quod major Seniorum pars cum Prælo consentiat, & quamvis omnes

Consultores consentirent, & solus Prælati contradiceret, Novitius recipi non posset; facultas enim recipiendi principaliter penes Prælatum est, sine cujus consensu nullus recipi potest.

Quæres nono. Quæ obligatio in Novitio?

R. 1^{mo}. Novitius ad Sæculum liberè redire, *juxta cap. consulti. 20. cap. statumus. 23. de Regular.* & postquam ad Sæculum reversus, ad Ordines & beneficia licitè promoveri potest. *cap. postulanti. 21. de Regular.*

2^{do}. De jure antiquo intra annum probationis exire non poterat, imprimis si in ipso probationis anno expressè professus, deinde si tacitè, suscipiendo habitum Professorum, quo Professi distinguuntur à Novitiis, foret professus, demum si constabat, quod Novitius animo vitam absolutè mutandi & DEO perpetuò serviendi ingressus fuisset. *cit. cap. consulti.* Quæ correctæ sunt jure novo. *Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 15.* ubi Professio Religiosa ante absolutum probationis annum nulla & invalida declaratur.

3^{io}. Novitius Religionem egrediens expensas, quas Religio in eo alendo tempore probationis fecit, solvere non tenetur, ut colligunt DD. *ex cap. 2. de Regular. in 6.* ubi prohibetur, ne Novitius exire impediatur, quod sæpe fieret, si expensas restituere obligatus esset. Rationem dant: quia probatio non solum in Novitii, sed etiam in Religionis bonum est, & si Religio dedit alimenta, ille exhibuit servitia. Excipe: nisi in ipso ingressu ad solvendas expensas tempore

pro-

probationis in sui sustentationem faciendas Religioni sese Novitius obligasset. Exceptio hæc colligitur ex *Trident. l. c. cap. 16.* ubi donationes factæ ab ingredientibus Religionem irritantur, excepto victu & vestitu Novitii, ergo à Novitio pro victu aliquid dari, & consequenter etiam promitti, & si promissum, solvi potest.

4to. Novitius Religionem ingressus per se & directè statutis Religionis non obligatur, cum Religionem nondum voverit, jurisdictioni tamen Prælati non solum quoad forum conscientie, sed etiam quoad forum externum subicitur, ita, ut Prælati monasterii non solum illum ob crimen admissum punire, sed etiam sub censuris, quæ Episcopus suis Clericis, præcipere possit; tale enim præscriptum non in voto, sed in Ecclesiastica fundatur jurisdictione, qualem Prælati maximè exempti in suos subditos, etiam Novitios, habere noscuntur.

5to. Novitius indirectè, & ex æquitate vel decentia Regulam & constitutiones Ordinis servare tenetur, quia æquum est, ut, qui similem cum aliis vitam suscipiunt, sentiant in legibus disciplinam. *cap. recolectes. 3. de Stat. Monach.*

6to. Quodcunque beneficium Ecclesiasticum Novitii, licet personalem residentiam exigat, non vacat, sed eidem Vicarius cum portione congrua præficiendus, usque dum Novitius Professionem emittat, vel beneficio resignet. Est expressus textus in *cap. beneficium. 4. de Regul. in 6.*

7imo. Novitius Religionis gaudet privilegiis; in favorabilibus enim no-

mine Religiosi venit, ideòque fori & Canonis habet privilegium.

Quæres decimo. Qualiter Novitius tempore probationis de suis bonis disponere potest?

R. *Concil. Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 16.* hanc formam præscripsit: "Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea (id est: ante expletum probationis annum) facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ prævaleat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximè ante Professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta Professione; aliter verò facta, etiam si cum hujus favoris renuntiatione expressa, etiam si jurata, sit irrita, & nullius effectus. Quod decretum sequentibus declaratur."

1mo. Irrita sunt ante duos ultimos Novitiatûs menses quæcunque pacta, cessiones & obligationes Novitiorum, quibus eorum bona vel jura notabiliter minuuntur, vel minus recipitur quàm datur, ut sunt donationes inter vivos, renuntiationes, fidejussiones, concessiones, mutuum, &c.

2do. Valida sunt pacta & dispositiones revocabiles, ex quibus substantia patrimonii non minuitur, ut sunt testamenta, codicilli, donationes mortis causâ, quamvis solemnitates Tridentini non habeant, liberè enim revocari possunt. Item contractus emptionis, venditionis, locationis, conductionis & similes, quibus non minus recipitur, quàm datur.

3tio. Duobus mensibus ante expletum Novitiatum facta renuntiatio revocari

non potest ante Professionem, ante eam tamen secutam dominium non transfert, si non sequatur, etiam casu, quo Novitius moritur, nullum habet effectum. Si ultra duos illos menses differatur Professio, valet renuntiatio vel dispositio, quia facta intra duos menses proximos tempori, quo Professio de jure emitti debet. Si Novitius per dispensationem sexto vel octavo mense profiteatur, probabile est, non nisi immediatè ante Professionem renuntiare posse.

40. Quantum ad consensum Episcopi, qui in renuntiatione Novitiorum intervenire debet, ille per consuetudinem in quibusdam Religionibus hodie non adhibetur, ut testantur *Leza* & *Rodriguez* &c.

50. Donatio vel renuntiatio facta ante Religionis ingressum, si non facta intuitu ingressus in Religionem, sive animo Religionem ingrediendi, valida est; quia *Trident.* illas tantum dispositiones irritare voluit, quæ intuitu ingressus in Religionem fiunt, & liberum tempore probationis impediunt egressum.

60. Dispositionem ab illo, qui Religionem ingredi intendit, ante susceptionem habitus factam multi sub decreto *Trident.* comprehendunt intendunt, quia finis *Tridentini* æquè locum habet in dispositionibus, quæ ab ingresso Religionem ante investitionem, quam quæ ab ingresso post habitus sunt susceptionem. Oppositum tamen etiam probabilitate non caret; cum enim decretum *Trident.* juris communis sit correctorium, de propriis bonis disponendi auferens libertatem, illud ad casum si-

R. D. Schnorrenberg Instit. §. Can.

milem non expressum etiam ob paritatem rationis haud est extendendum, juxta *Reg. 28. de Reg. Jur. in 6. junct. gloss.*

70. Parentes vel propinqui Novitii monasterio quædam ex bonis propriis in gratiam Novitii, non tamen in bonis hujus donandi habent facultatem.

Quæres undecimo. Quæ Novitios ad- & dimittentium obligatio?

Re. 1mo. Tam Prælatus, quam cæteri Conventuales votum in ad- & dimissionem habentes, Novitium idoneum dimittere non possunt. Ratio est: quia ex officio & munere suo bonum Religionis procurare tenentur, ex quo Novitium, qui Religioni idoneus apparet, retinere obligantur non minus, quam expellere, si minus idoneus judicetur, ne in ædificationem concessâ sibi potestate in destructionem abutantur, & contra officium charitatis, imò juxta quosdam, etiam justitiæ agant, sine justa & rationabili causa Novitium expellendo, & magno bono, ad quod, si tempore probationis se benè gesserit, jus habet, ex sola passione privando.

Nec obstat, quod Novitius spontè exiens & Religionem deserens etiam sine ulla causa haud graviter peccet; Novitius enim juri suo cedit: Religiosi verò, quibus Novitios ad professionem admittere incumbit, nec bono communi, quod ex admissione Novitii evenire potest, cedere, nec Novitium jure, quod habet permanendi in Religionem, ex quasi contractu inter ipsum & Religionem tempore ingressus inito, ut, si in probatione reperiretur dignus, ad Professionem admitteretur, pro suo placito valent spoliare.

D d

2do.

2do. Causæ graves, ob quas Novitio votum ad Professionem denegari possit, aliæ sunt naturales, ut debilitas virium, periculum cæcitatæ, &c. Aliæ morales, ut mores incorrigibiles, mala indoles, vitiosi habitus.

3tio. Non est sufficiens votum Novitio denegandi causa, si expensas ratione investitionis vel Professionis ex pacto vel consuetudine debitas non solvat, si aliàs habilis existat, nam non solvere expensas habilitati personæ minimè detrahit; casus tamen dari possent, quo Novitius ob solum expensarum defectum dimitti valeret, ut si monasterium Monialium inops, in quo Moniales ex dotibus, quas afferunt, aluntur, Novitia ad habitum admittà dimitti possent, si parentes ejusdem tempore Novitiatùs ita depauperati, ut solvere dotem non valeant. Similiter si monasterium tempore Novitiatùs ita deperditum, ut plures, quàm actu Professos alere nequeat, utique, si spes meliorationis non affulget, Novitios dimittere potest.

4to. Quamvis Novitius sit habilis, Professio tamen ultra annum probationis ex causa rationabili differri potest; licet enim *Trident.* mandet, ut Superiores Novitium habilem expleto probationis anno ad Professionem admittant, id intelligendum, nisi Professionem differendi causa subsit rationabilis, ut sæpius declaravit S. Congreg. ideo ob bellicosa tempora, absentiam Prælati, infirmitatem Novitii &c. ultra probationis annum licitè differtur Professio.

5to demum abeunti Novitio omnia, quæ secum attulit, restituenda juxta di-

spositionem *Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 16.* "Ab euntibus ante Professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod ut rectè fiat, Episcopus per Ecclesiasticas censuras, si opus fuerit, commpellat." Nec Novitius dimissus ad solvendas expensas tempore Novitiatùs factas tenetur, nisi pactum intervenerit, quo casu si Novitius discedere velit, ex hoc capite, quod expensæ nondum solutæ, detineri nequit, sed contra dimissum, & eos, ad quos tales expensas solvere spectat, est actio instituenda. Porro *Extrav. sanè. de simon. inter eom.* sub pena excommunicationis, si sint singulares personæ, vel suspensionis ipso facto incurrendæ prohibetur, ne Conventus vel Capitulum ante vel post receptionem ab admittendis pastus, prandia, pecunias, jocalia, aut alias res, etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata vel deputanda directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant.

Quæres duodecimo. Qualiter Novitio injustè dimisso succurrendum?

2. Novitius injustè dimissus contra Religionem apud Superiorem altiorem agere potest, ut dimissum Superior dimittens reassumat, ut docent C.C. *in cap. sicut tenor. 15. Regular.* Ratio est: quia eo ipso, quo Novitius ad Professionem jus acquirit conditionatum, si nimirum habilis inventiatur, & completo Novitiatùs anno, stante habilitate, jus conditionatum velut purificatâ conditione transit in absolutum, ideòque si rejiciatur, velut læsus in proprio jure contra Religionem agere potest. In praxi tamen

hac

hæc difficultatem patientur, quando enim Novitius per vota secreta admittitur, vel rejicitur, unusquisque votum suum secundum conscientiam regulat, nec rationem assignat: in iis autem, quæ secundum conscientiam judicantur, ul-

terior quæstio locum non habet. *Gloss. in cap. statutum. de rescript. in 6. verb. relinquantur.* Ideoque nisi gravamen sit ita manifestum, ut celari nequeat, dimissus Novitius nihil efficiet.

S. Tertius.

De Voto.

Quæres primo. Quid est votum?
R. 1^{mo}. Votum latè sumptum est quodvis desiderium. Strictè sumptum est deliberata promissio DEO facta de meliori bono.

2^{do}. Ad votum tria requiruntur: 1^{mo}. Deliberatio. 2^{do}. Propositum. 3^{tio}. Promissio, in qua perficitur voti ratio. Ex sola deliberatione, nec ex solo proposito quis obligatur, ut constat *ex cap. literaturam. 3. de voto.* Nisi promissio subsequatur, quæ quidem, licet homini non nisi per verba & alia signa fieri valeat, DEO tamen per solam internam cogitationem & mentem fieri potest.

Quæres secundo. Quotuplex est votum?

R. Duplex: Simplex & solemne. Simplex est omne votum, quod privatâ fit voluntate, & in quo non intervenit publica Ecclesiæ acceptatio. Solemne est, quod publicâ Ecclesiæ autoritate stabiliter acceptatur, ita, ut ab utraque parte, tam voventis, quàm Ecclesiæ acceptantis tanquam perpetuum & viâ ordinariâ indissolubile vinculum obliget, cum vota simplicia per ordinariam di-

spensandi potestatem solvi & relaxari valeant. Duplex est votum solemne, scilicet castitatis votum Ordini sacro annexum, & votum Professionis in Ordine approbato. *cap. unic. de voto. in 6.*

Quæres tertio. In quo inter votum simplex & solemne genuina consistit differentia?

R. Votum solemne in hoc à voto simplici distinguitur, quod solemne votum personam ad contractus actusque contra votum absolutè reddat inhabilem, ut in voto solemni castitatis ad matrimonium, sic quoque in solemni paupertatis voto vovens inhabilis fit ad dominium, ideoque actus proprietatis sunt invalidi: sic pariformiter in voto solemni obedientiæ actus præter voluntatem Prælati roboris carent firmitate, votum autem simplex actus voto adversantes quidem illicitos, sed non faciunt invalidos. Inveniuntur quidem aliqua vota simplicia, ut Coadjutorum & Scholasticorum in Societ. JESU, quæ etiam subsequens dirimunt matrimonium, ex hoc tamen solemnia non sunt; votum enim solemne matrimonium perpetuè & indissolubiler vim

habet dirimendi, ut colligitur ex *cit. cap. unic.* in quo votum solemne carnali assimilatur matrimonio: at verò vota simplicia in Societ. JESU non continent indissolubile matrimonii impedimentum, cum illa vota per ipsam dissolvi valeant societatem, ideòque hæc vota nomine spiritualis matrimonii non comprehenduntur.

Quæres quarto. An differentia illa inter votum solemne & simplex sit intrinseca & essentialis, vel tantum accidentalis ex sola constitutione & dispositione Ecclesiæ orta.

æ. Canonistæ dicunt esse tantum differentiam accidentalem, & voti solemnitate ab Ecclesiâ adinventam, nisi *textu in cap. unic. cit. Nos attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa.* Et hanc dat rationem; quia votum simplex apud DEUM non minus obligat, quam solemne, juxta *cap. rursus. 6. qui Cleric. vel vovent.* Ergo per se & spectato jure naturæ & Divino votum solemne & simplex æqualiter obligant; per accidens tamen votum solemne magis obligat ex sola Ecclesiæ constitutione, quæ voto secundum se spectato extrinsecam acceptationis solemnitate, cujus effectum actuum contrariorum voluit esse irritationem, superaddidit.

Quæres 5to. Quinam vovere possunt?

æ. Quotquot ex defectu rationis, ut furiosi, amentes, infantes ante completum septimum ætatis annum, vel ex defectu sufficientis libertatis vovere non prohibentur.

Quæres sexto. Quinam ob defectum ætatis vovere prohibentur?

æ. 1mo. Impuberes ultra septennium egressi absolute quidem vovere possunt. ejusmodi tamen vota à parentibus vel tutoribus directe infirmantur; tales enim ut plurimum infirmi sunt judicii, ideò lex Ecclesiæ eorum voluntatem parentum vel tutorum authoritati subjecit, ut similia vota irritare valeant, ut concorderet cum Canonistis docent Theologi.

2do. Filiifamilias sub patria, & minores sub tutorum potestate constituti vota realia, hoc est, de re aliqua, cujus administratio ad parentem vel tutorem pertinet, sine consensu parentis vel tutoris facere nequeunt; quia in his filiusfamilias patri, & minor tutori est subjectus. Vota verò personalia, hoc est, de actione aliqua ab ipso vovente exhibenda emittere possunt, quia quoad tales post annos pubertatis ordinariè liberæ sunt conditionis. Si actio, quam filius vovit, ut jejunium vel peregrinatio, in patris cedat præjudicium, ut quia filium à muniis expediendis à patre justè & pro familiæ necessitate injunctis impedit, pater votum à filio emissum rescindendi & irritandi habet authoritatem.

3tio. Conjuges, quorum neuter aliquid in præjudicium matrimonii vovere potest. *can. manifestum. 11. can. noluit. 16. caus. 33. q. 5.* cum hac notanda differentia: quia maritus majorem habet potestatem in uxorem, quam uxor in maritum, siquidem uxor est subiecta viro, & quoad usum matrimonii, & quoad gubernationem familiæ, vir autem solum subditus mulieri quoad usum conjugii, ideò maritus quilibet non impediens usum matrimonii libere vovere potest.

uxor verò nec in præjudicium conjugii, nec in detrimentum rei domesticæ quidquam vovere valet, unde si uxor peregrinationem vovit, votum non subsistit, nisi sub tacita conditione: si maritus permiserit, & quamvis maritus semel assensum dederit, uxoriq̄ executionem voti permiserit, ex post tamen sententiam mutare, votumque irritare potest, ut colligitur *ex cit. can. manifestum.*

4to. Religiosi, ut disponitur *in can. Monacho. 2. caus. 20. q. 4.* Monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit, frangendum erit. Si igitur Religiosus contra Regulam aut regularem Observantiam voveat, illud nullum est, si autem non sit contra Regulam, ut certam orationem vel abstinentiam, illud sub hac conditione, si Superior non contradicat, vel votum irritet, & tamdiu servandum est, usque dum à Superiore irritetur.

5to. Episcopus nequit vovere ea, quæ Episcopale impediunt officium, ut longam peregrinationem, ingressum in Religionem sine licentia summi Pontificis; quia vinculum, quo Episcopus suæ Ecclesiæ alligatur, etiam prætextu pietatis solvi non potest, cum bonum commune privatæ sit præferendum devotioni. *cap. nisi cum pridem. 10. de renuntiatis.*

Quæres septimo. Quæ res voveri possunt?

1. Res vel opus, quod voto promittitur, sequentes debet habere conditiones:

1ma. Ejus exercitium in potestate voventis esse debet: frustra enim promitto, quod non est in mea potestate. Hinc vo-

tum de vitandis omnibus peccatis tam mortali- quam venialibus est nullum; quia viâ ordinariâ vitare omnia peccata venialia est impossibile. Aliud esset, si vovens omnem diligentiam adhibere promitteret, ut, quantum in se, omnia venialia caveat, quantumcunque cum DEI auxilio caveri possunt, ad talem quippe diligentiam lex naturalis obligat & Divina: ergo est voti materia. Vix tamen tale votum consulendum. Exemplum Scraphicæ Matris Theresiæ, quæ vovit in omnibus illud facere, quod videretur perfectius, admirandum potius est, quam imitandum.

2da. Debet esse bonum, quod vovetur, ideo votum de re indifferenti & ad finem bonum improporcionata, vel de opere aliquâ circumstantiâ vitiato, nullum est.

3tia. Debet esse de meliori bono, hoc est: de tali, ut promittentem ab eo bono, quod DEO magis placet, & melius est, non impediatur, ideo votum de non amplius mutuando, cum proximo non amplius loquendo, de matrimonio contrahendo &c. est invalidum, quia regulariter impediunt majus bonum, utpote Divinis contraria consiliis.

Quæres octavo. Quæ ad voti formam requiruntur?

1. 1mo. Debet esse promissio seria cum intentione sese obligandi. Nudum propositum etiam à longo tempore habitum non sufficit, ut constat *ex cit. cap. ad literaturam. 3. de voto.*

2do. Promissio deliberata & voluntaria, quâ aliquis libere & directè certum quid promittit, & quidem talis libertas

ad votum requiritur, qualis ad perfectum actum humanum desideratur, vel, ut alii loquuntur, qualis sufficit ad peccandum mortaliter. Voluntarium indirectum vel in sua causa ad votum non sufficit, ideo qui novit se in ebrietate aut somno vota & promissiones facere, & voluntariè se inebriat, voto in ebrietate facto non obligatur, quia non est directè voluntarium.

3tio. Debet votum fieri DEO, saltem mediatè, hoc est: ad minus finaliter in DEUM dirigi; votum enim patriæ & Religionis soli DEO tanquam summo Domino omnium bonorum Authori debitus est actus. Si Sanctis vota fiant, ut per illorum intercessionem sanitatem, vel quid aliud impetremus, id fit ad eum modum, quo Altaria & Ecclesiæ Sanctis dedicantur, scilicet in honorem DEI & memoriam Sanctorum.

Quæres nono, Quos votum habet effectus?

R. Effectus voti est obligatio, quamvis enim ab initio vovere liberum sit, votum tamen factum necessariò est implendum, ut constat ex cap. licet. 6. de voto. Deuter. 23. Si nolueris polliceri, sine peccato eris, quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis & facies, sicut promissisti DEO tuo. Hæc obligatio ex genere suo gravis est, attamen ex levitate materiæ violatio voti potest esse venialis.

Quæres decimo. Quæ circa executionem voti notanda?

R. Votum absolutè & nullo præfixo termino factum statim est adimplendum. Deuter. 23. Cum votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere, quia

requirit illud Dominus DEUS tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi illud in peccatum. Ratio est: quia omnis promissio absolutè & sine ulla determinatione facta, statim obligationem parit, ita, ut solvi & adimpleri debeat, quod promissum est, quamprimùm juxta prudentis arbitrium id commodè fieri potest, juxta Reg. Juris. 14. ff. de Reg. Juris: In omnibus, in quibus dies non ponitur, præfenti die debetur.

2do. Ex justa causa voti executio differri potest. cap. non est. 5. de voto. Ut si impedimentum occurrat, ob quod voti executio redditur difficilior. Hoc si temporale, executio voti differri potest, donec commodè impleri valeat: si est perpetuum, votum vel est redimendum, vel commutandum, vel in ea dispensatio petenda. cap. quod super his. 8. de voto.

3tio. Qui Religionem ingredi vovit, & voto non impleto Episcopatum suscipit, transgressor est voti, & Episcopatum renuntiare, seque ad Religionem, ut votum impleat, transferre tenetur. cap. per tuas. 10. de voto. Et ratio est: quia qui absolutè tenetur voto, peccat faciendo aliquid, quo se ad implendum votum moraliter reddit impotentem, suscipiendo autem Episcopatum, consentit in statum, per quem ad executionem voti vel Religionis ingressum impotens efficitur.

4to. Qui ad certum diem, vel intra determinatum tempus aliquid dare vel facere vovit, si absque justa causa ultra præfixum tempus executionem differat, contra votum peccat, & elapso etiam tempore, quod promissit, adhuc exequi obli-

obligatur, v. g. quis vovit intra annum Religionem ingredi, elapso biennio vel triennio adhuc Religionem ingredi tenetur. Aliud est, si vovisset aliquid dare vel facere dependenter à certa die, v. g. promitto in Vigilia S. Thomæ jejunare, tunc si illo die non jejunem, violo quidem votum, sed alio die jejunare non obligor, tunc enim tempus est circumstantia ipsam rem voto promissam intrinsicè afficiens. Cum ergo illo die transacto cum illa circumstantia rem promissam præstare impossibile sit, voti cessat obligatio. In priori casu vovens virtualiter duo promittit, unum principaliter, ut ingredi Religionem, alterum secundariò, scilicet intra annum: ideòque si posterius omiserit, ad prius manebit obligatus.

Quæres undecimo. An vota transeant ad hæredem?

R. Vota defuncti merè personalia hæres implere non tenetur, bene tamen realia vel mixta, hoc est: partim realia, partim personalia, dummodo id, quod in voto est reale, sit separabile ab eo, quod est personale, ac per se & independentè ab alio sit promissum: ut si quis contra fidei hostes militare, & tres socios belli milites alere vovit, hæres non militare, sed solum tres milites alere tenetur, nisi defunctus hos tres socios principali intentione ob suum comitatum & independentè à sua militia promississet. Ratio est: quia obligatio voti personalis actiones voventis respicit, ideòque cum persona extinguitur, nec ad hæredes transit, votum autem reale res respicit, hæres verò adeundo hæreditatem illam

cum omnibus oneribus realibus hæreditati annexis suscipit, ideòque votum reale non vi voti & obligatione Religionis, sed ex justitia & quasi contractu exsolvere tenetur. Constat *ex cap. ex parte. 18. de censibus*. Si hæres vota realia defuncti ab eodem hærede acceptata à Judice monitus intra annum exequi negligat, omni commodo hæreditatis est privandus. *cap. licet. 6. de voto*. Haud aliter tamen hæres ad vota realia obligatur, quàm juxta vires adita hæreditatis salvâ filiis legitimâ, quæ votis aut legatis nequit gravari.

Quæres duodecimo. Quomodo cessat voti obligatio?

R. Votum obligare desinit *1^{mo}* ex defectu materiæ, si videlicet superveniat circumstantia, per quam res promissa melius cessat esse bonum, vel sit majoris boni impeditiva, vel illicita, aut omnino destruitur, facta impossibilis. Quando votum est mixtum, & illud, quod in eo est reale, independentè ab actione personali est promissum, si fiat impossibilis actio personalis, quod reale est, adhuc solvendum erit. V. g. Petrus vovit visitare sepulchrum S. Jacobi, & ibidem offerre 100. Imperiales, si personale vel peregrinatio ad S. Jacobum impossibilis fiat, reale, 100. scilicet Imperiales solvere obligatur. Secus si reale dependenter ab opere personali sit promissum, ut vovi peregrinationem ad S. Jacobum, in qua impendendi pro sumptibus 100. Imperiales, peregrinatione factâ impossibili, ad sepulchrum S. Jacobi offerendi 100. Imperiales non est obligatio.

2do.

2do. Per irritationem, quâ subtrahitur materia & libertas illius, qui vovit. Irritare votum pertinet ad illum, cui voventis subjecta voluntas, quod appliciter esse potest: imprimis ita, ut absolute nihil independenter à voluntate alterius vovere vel promittere valeat, & sic voluntates Religiosorum à suo Prælo dependant, qui proinde omnia illorum vota, excepto strictiorem Ordinem ingrediendi voto, irritandi habet facultatem. Deinde ita, ut voluntas voventis voluntati alterius subjecta sit, ut nihil in præjudicium vovere possit, ita dependet voluntas filii à parentibus, uxoris à marito, ut constat *ex can. puella. 2. caus. 20. q. 2. can. manifestum. 9. can. noluit. 26. caus. 33. q. 5.*

3tio. Per commutationem, quâ materia voti in aliam, ut peregrinatio in jejunium, commutatur. Vota commutandi potestas ordinariè Episcopis, & Episcopalem jurisdictionem habentibus competit. *cap. de peregrinationis. 1. de voto.* Extraordinariè etiam aliis, ut tempore Jubilæi, Confessariis competere potest. Ad licitam commutationem requiritur causa justa, vel necessitatis, ut

si votum implendi difficultas, vel utilitatis, ut si voto ligatus opus utilius præstare velit, & quidem si opus, in quod commutatio fieri petitur, evidenter melius DEO quæ gratius sit, nequidem Superioris auctoritas requiritur; quia promissum non infringit, qui in melius illud commutat. *cap. pervenit. 3. de jurejur.* Sic omnia vota etiam summo Pontifici reservata in melius DEO quæ gratius obsequium commutantur, & omninò extinguuntur. *S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1.* Concordat *cap. Scriptura. de voto.*

4to. Per dispensationem, quæ est quædam obligationis DEO per votum libere factum quælitæ remissio. In voto simplici Episcopi ordinariè dispensare possunt. *cap. 1. de voto.* Excipiuntur quinque vota summo Pontifici reservata: 1. votum castitatis perpetuæ, 2. votum ingrediendi Religionem, & tria vota peregrinationis: ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum in Hispania, & ad Terram Sanctam, quod votum ultramarinum vocatur. *cap. magna. 7. cap. postulasti. 11. de voto Extrav. etsi Dominici. 5. de penitent. & remiss. inter com.*

I. Quartus.

D E

Professione Religiosa.

Quæres primo. Quid est Religiosa Professio?

ꝑ. Est voluntaria sui ipsius traditio in Religionem approbata, cum emissionem trium votorum castitatis, paupertatis,

& obedientiæ à legitimo Superiore acceptata.

Quæres secundo. Quotuplex est Professio?

ꝑ. Professio Religiosa Statim constituitur

tuens duplex est: Tacita & expressa. Expressa est, quæ fit verbis, scripturâ vel nutibus consensum declarantibus; cum enim Professio mutuus sit contractus, sufficit, quod in ea consensus quomodocumque exprimitur, nisi in Religione per particularia statuta expressa verba requirantur. Tacita est, quando non verbis, vel formalibus, vel æquivalentibus, sed facto quodam mens Religionis promissæ declaratur.

Quæres tertio. Quibus modis tacita fit Professio?

1^o. De jure antiquo tribus potissimum modis Professio tacita fiebat. Modus 1^{mus}. Si post probationis annum quis habitum Professorum proprium gestavit, de quo in *cap. ad nostram. 8. de Regular. cap. constitutionem. 3. eod. in 6.*

2^{us}. Si quis suscepto habitu Religionis actus Professorum proprios exercuit, ut si Novitius inter Professos vocem habuit in Capitulo. De quo in *cap. Vidua. 4. de Regular.*

3^{ius}. Si nulla in Novitiorum & Professorum habitu est distinctio, & quis anno continuo habitum Religionis detulit, censetur esse professus. *Clement. 2. de Regular.* Hæc de jure antiquo. Post *Concil. Trident.* per quod Professio tacita limitata, non abrogata est, quatuor conditiones ad eandem requiruntur: 1^{ma}. Ut actus, per quos tacita fit Professio, fiant autoritate & consensu, tacito vel expresso illius, cujus ad Religionem est admittere. 2^{da}. Ute a, per quæ Professio tacita inducitur, scienter fiant & spontaneè. 3^{ia}. Ut iis actibus utens verè profiteri intendat. 4^{ta}. Ut sit 16.

R. D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.

annorum, & integrum probationis annum compleverit.

Quæres quarto. Quis profiteri potest?

1^o. Omnes à jure non prohibiti. Prohibentur autem 1^{mo}. Mente alieni. *cap. sicut tenor. 15. de Regular.* Professio enim plenam & deliberatam exigit voluntatem.

2^{do}. Constituti infra 16. ætatis annum, ante quem Professio nulla est, nullamque, ne quidem voti simplicis obligationem inducit. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 15.*

3^{io}. Vir in monasterio mulierum, & contra profiteri non possunt; Superior enim Professionem acceptans nec vult, nec potest alterius sexûs acceptare personam. Unde mulier in monasterio viro- rum habitu ementito professâ, vi Professionis ad aliud sui sexûs monasterium ingrediendum non teneretur, cum simpliciter nulla fuerit Professio.

4^{to}. Servi, debitis obligati &c. de quibus supra, ubi de Religionis ingressu.

Quæres quinto. An Conjugati ad Professionem admitti possint?

1^o. Affirmativè. Et quidem post matrimonium ratum, id est, per verba de præsentis inter fideles celebratum, actu matrimoniali non secuto, absolutè & simpliciter, post matrimonium consummatum sub certis conditionibus.

Quæres sexto. Qualiter conjugatus post matrimonium ratum profiteri potest?

1^o. Sponsus vel sponsa de præsentis ante consummatum matrimonium alterâ parte non requisitâ, vel etiam invitâ Religionem libere ingredi potest.

E e

Con-

Constat ex cap. ex publico. 7. de convers. conjugat. Ratio est; quia per matrimonium ratum quædam spiritualis conjunctio, & spirituale tantum vinculum inducitur, cui subest conditio resolutive: nisi statum perfectiorem elegero, & in illo spiritualiter vel civiliter, ut fit per Professionem solennem, mortuus fuero, ideoque per Religionis ingressum alteri parti nulla fit injuria.

2do. Ne sub prætextu hujus privilegii unus ex sponsis alterum eludat, ac matrimonium consummare injustè detrectet, sponsus post contractum matrimonium ratum bimestre datur, intra quod deliberare valent, an Religionem ingredi, an matrimonium consummare velint. Toto illo bimestri conjux licitè debitum negat, & matrimonii consummationem recusat, illo transacto, nisi statim Religionem ingrediatur, à judice ad consummandum matrimonium compelli potest. Ut communiter tradunt DD. in cit. cap. ex publico. Tempus illud bimestre ad deliberandum de Religione ingredienda datum, est arbitrarium, ita, ut à judice restringi, vel abbreviari, aut etiam justa de causa prorogari valeat. Gloss. in cit. cap. ex publico. verb. infra duorum.

3tio. Conjugi ante consummationem matrimonii sive intra, sive post bimestre Religionem ingredienti ad probationem integer datur annus; cum enim jus sponsus de præsentì Religionem ingrediendi concedat facultatem, hoc ipso etiam concedit annum probationis ad Professionem necessariò præ requisitam; cui non obstat, quòd alteri conjugi in sæ-

culo remanenti tanto tempore se continere grave sit; ab eo enim non fit injuria, qui jure suo utitur, imò si sponsa duodennis esset, & Religionem ingrederetur, sponsus per quatuor annos expectare teneretur, donec sponsa annum 16. assecuta profiteretur, cum ante illam ætatem à Trident. Professio irritetur.

4to. Expleto probationis anno & Professione subsequatà, matrimonium ratum dissolvitur, ita, ut conjux in sæculo manens ad aliud matrimonium transire valeat. Can. de sponsatam. 27. caus. 27. q. 2. cap. verum. 2. cap. ex parte. 14. de convers. conjugat. Trident. Sess. 24. de Sacram. matrim. can. 6. An hæc dissolutio naturæ vel Ecclesiæ fiat jure, disputant Theologi; ad minus est ex jure antiquissimo à temporibus Apostolorum introducto. Ratio differentiæ inter matrimonium ratum & consummatum quoad dissolutionem per Professionem Religiosam hæc est: quòd matrimonium ratum consensu mutuo contractum significet conjunctionem Christi cum Ecclesia vel anima fidelis per dilectionem charitatis, quæ non tam firma, quin per peccatum mortale sit dissolubilis; at matrimonium consummatum repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem vel unionem hypostaticam, quæ perpetua est & nunquam dissolvenda, ideo matrimonium fidelium consummatum nullo casu quoad vinculum solvitur, matrimonium ratum per Religiosam Professionem dissolvitur; sola autem Professio solemnìs trium votorum hunc effectum habet, unde nec votum simplex castitatis, juxta cit. cap. ex parte. Nec
vota

vota Scholasticorum in Societate JESU, nec vota Coadjutorum formatorum in eadem, cum non solemnia, sed simplicia tantum sint vota, matrimonium ratum dirimunt contractum, quamvis irritent contrahendum. Econtra Professio in ordine etiam militari, ubi solemnia vota emittuntur, matrimonium ratum dissolvit.

Quæres *septimo*. Qualiter conjugatus post matrimonium consummatum profiteri potest?

§. Postquam matrimonium per carnalem copulam est consummatum, ut unus ex conjugibus Religionem ingredi valeat, requiruntur sequentia:

1mo. Consensus alterius partis, & quidem expressus *Can. sunt, qui dicunt. 19. caus. 27. q. 2.* Nec sufficit tacitus, qui ex scientia, taciturnitate ac dissimulatione præsumitur. Ratio est: quia conjux dominium corporis sui non habet, ideo illud invito altero conjuge in Religionem transferre nequit: ac ita Professio altero conjuge ignorante facta nulla est. *Cap. quidam. 3. cap. placet. 12. de convers. conjugat.*

2do. Præter alterius partis consensum requiritur, ut conjux in Sæculo manens, si juvenis, aut non extra periculum incontinentiæ constituta sit, ipsa etiam Religionem ingrediatur. *Can. Agathosa. 21. caus. 27. q. 2. cap. 1. cap. cum sis. 4. uxoratus. 8. cap. ad Apostolicam. 13. de convers. conjugat.* Ratio est: quia postquam copulatione viri & mulieris unum corpus efficitur, ex parte converti, & ex parte in Sæculo remanere nequit: ideo non sufficit, quod conjux juvenis, ad ibi

commorandum, ingrediatur, sed insuper habitum suscipere, & Professionem suo tempore emittere tenetur, ut colligitur ex *locis cit.* Si verò conjux in Sæculo manens senex, aut talis conditionis existat, ut de ejus incontinentia nulla sit suspicio, sufficit, ut perpetuum continentiae votum coram Episcopo faciat. *Cap. significavit. 18. de convers. conjugat.* Hæc tamen ad valorem Professionis non requiruntur, sed tantum ut licite fiat; multa enim fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular. Gloss. in cit. cap. uxoratus. verb. nullatenus.*

3tio. Requiritur, ut Professio uxorati cum licentia & autoritate Episcopi fiat. *Can. si vir. 33. caus. 27. q. 2.* Quæ licentia similiter non ad valorem, sed ut ingressus licitus sit, est necessaria. Colligitur ex *cap. 1. de convers. conjugat.*

Quæres *octavo*. Quando conjux manens in Sæculo aliam conjugem ex monasterio revocare potest?

§. *1mo.* Conjux aliam conjugem sine licentia sua professam repetere & revocare potest. *Cap. quidam. 3. cap. placet. 12. de convers. conjugat.* Imò licet ambo de communi consensu continentiam vovissent, quia nec tunc unum sine alterius consensu Religionem ingredi vel profiteri licitum foret.

2do. Conjux sine alterius licentia professus cognita Professionis nullitate exire potest, tamen si alter conjux eum non reperat. Colligitur ex *can. notificasti. 2. can. una sola. 6. caus. 33. q. 5. junct. gloss. verb. corrigenda.* Verè enim irrita est Professio.

E e 2

3tio.

310. Si conjux sine licentia alterius compartis professus, & compars post ejus Professionem sine licentia emissam Religionem quoque ingrediatur, primò professus secundò professum ad Sæculum revocare potest, quia Professio secunda etiam invalida fuit, nec delictum prius, quod absque licentia conjugis profitemdo commisit, alteri conjugi jus ad perpetuum divortium tribuit, nec Professio à primo emissà per sublequentem conjugis consensum ratificatur, cum Professio ab initio irrita sine nova ratificatione tractu temporis non convalescat.

410. Qui professus altero invito vel inscio conjugis, sese, quantum potuit, obligare voluit, ita, ut si actus non valeret ut solemne votum, saltem quatenus posset, valeret, nempe ut votum simplicis continentiae, juxta adagium: Si non valet, ut ago, valeat, sicut valere potest, tunc revocatus debitum quidem reddere obligatur, illud tamen petere, & mortuo revocante secundam uxorem ducere nequit. Cum enim maritus uxore invitâ ad duo, nempe ad non petendum debitum, & ad perpetuam mortuâ uxore continentiam sese obligare valeat, ideo jus præsumit, quòd conjux altero ignorante Religionem professus ad illa duo obligare se intenderit. *Cap. quidam. 3. de convers. conjugat.* Hæc tamen præsumptio in foro conscientiae cessat, si conjux Religionem profitemdo, tantum dependenter à Professionis valore se obligandi habuerit intentionem.

510. Conjugem post matrimonium consummatum absque licentia alterius partis in Religione professum compars

in sequentibus casibus revocare nequit: 1^{mus}. Si intra bimestre, quo uxori matrimonium consummare liberum erat, actum conjugalem vi vel metu extorsit, ut probabiliter docet *Gloss. in can. fin. dist. 55. verb. invitus*. Ratio est: quia iniquum foret, quòd uxor sine culpa & voluntate sua per mariti violentiam jure suo privaretur, & maritus ex delicto commodum reportaret. 2^{us}. Si unus conjugum post matrimonium consummatum adulterium commisit, alter innocens adultero invito Religionem professus revocari nequit; adulterium enim, modò de eo constet, est justa perpetui divortii causa. *Cap. significasti. 4. de divort. 3^{ius}.* Si alter conjugum spirituale commisit adulterium, id est, si in hæresin vel apostasiam lapsus, & auctoritate Judicis Ecclesiastici facta propterea separatio, innocens Religionem ingressus revocari non potest. *Cap. fin. de convers. conjugat.*

610. Si maritus consentiente quidem, at tamen nec castitatem promittente, nec religionem ingrediente uxore sit professus, ab Episcopo revocari potest, & revocatus uxori cohabitare debet, debitum tamen petere nequit. Ratio est: quamvis enim uxor dando licentiam marito, juri suo conjugali renuntiaverit, quia tamen hæc renuntiatio haud canonicè facta, id est, juxta præscriptum Canonum, voti obligatio ex parte viri ad hunc suspenditur effectum, ut debitum reddere, non tamen petere possit, & uxore mortuâ ad Religionem, in qua validè, sed illicitè est professus, reverti teneatur.

711^{mo} demum. Si conjux in Sæculo ma-

manens absque voto continentia juris conscia conjugii licentiam dedit profitendi, professum revocare non potest: quia conjux conscia juris alteri conjugii dando licentiam, ad id sese obligasse censetur, quod jus requirit, scilicet vel ad ingrediendum Religionem, vel ad castitatem in Saeculo vovendam, si periculum absit incontinentia.

Quæres nono. Qualiter conjugati extra Religionem castitatem vovere possunt?

R. 1mo. Conjuges tam ante, quam post matrimonium consummatum de mutuo consensu continentiam vovere possunt, & tunc uterque ad observantiam voti est obligatus, ita, ut neuter votum revocare valeat. *Cap. dudum. 20. de convers. conjugat.* Et neuter debitum petere vel reddere sine voti violatione ac gravi peccato potest, cum uterque juri conjugali renuntiaverit.

2do. Unus conjux alteri licentiam vovendi continentiam vel ad tempus, vel in perpetuum dare potest, quæ licentia voto emisso revocari nequit.

3tio. Conjugatus de licentia alterius conjugis continentiam voventis, vel ad Religionem transeuntis ad S. Ordines promoveri potest. *Cap. conjugatus. 5. cap. sanè. 6. de convers. conjugat.* Attamen post susceptionem S. Ordinum matrimonium contractum, quamvis nondum consummatum, non dirimitur. *Extrav. antiqua. de voto.*

4to. Si vir sine licentia uxoris, quæ vel contradixit, vel ignoravit, vel dissimulavit, vel vi dolove circumventa consentit, ad S. Ordines promotus fue-

rit, eundem uxor revocare potest, ac vir revocatus ante matrimonium consummatum illud consummare, debitumque petenti reddere cogitur, petere tamen non potest, quia voto castitatis S. Ordinibus annexo, quantum legi matrimoniali contrariatur, obligatur, ideoque mortuâ uxore aliud matrimonium nec validè nec licitè contrahere potest. Ubi notanda disparitas inter professum & S. Ordinibus præter voluntatem alterius partis initiatum conjugem, quod Professio uxore non consentiente facta sit irrita, ideoque subsequens matrimonium non dirimat, Ordo verò S. sit validè susceptus, cui cum sit annexum solemne castitatis votum, illud subsequens dirimat matrimonium.

5to. Si vir de licentia uxoris S. Ordines suscipiat, ipsa virum revocare nequit, sed ad perpetuam continentiam est obligata; ex hoc enim, quod viro S. Ordines suscipiendi dederit licentiam, continentiam vovisse censetur. Quinimò viro mortuo aliud matrimonium inire non potest, cujus ratio est: quia ex constitutione Ecclesiæ ob reverentiam Ordinis S. à viro de licentia uxoris suscepti ipsa quoque ad aliud subsequens matrimonium ineundum reddita est inhabilis. Videatur *Fagn. in cap. conjugatus. de convers. conjugat.*

6to. Ut conjugatus de licentia uxoris ordinetur Episcopus, uxor prius Religionem ingredi. in eaque profiteri debet. *Cap. sanè. 6. de convers. conjugat.*

Quæres decimo. Quænam ad Religiosæ Professionis valorem requiruntur?

R. 1mo. Professio cum consensu illius,

cujus est Religioni incorporare, fieri debet. *cap. porrectum. 13. iunct. gloss. cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Ratio est: quia ut traditio Religiosi respectu Religionis obligationem pariat, à Religione acceptari debet, hanc autem acceptationem de jure communi præstat Prælatum & Capitulum. *Arg. cap. ea noscitur. 6. de his, que fiunt à Prælat. &c.* Ita, ut nec totum Capitulum repugnante Prælatum, nec Prælatum repugnante majore Capituli parte aliquem ad Professionem admittere valeat, ut ex communi CC. doctrina in *cap. Ecclesia. 57. de elect.* colligere licet. Sede vacante, si admissio ad Professionem ad Prælatum & Conventum simul pertinet, Conventus Novitium ad Professionem suscipere potest. *Cap. fin. de Regular. in 6.* Si verò ad solum Prælatum, vel ad eum cum consilio Conventus admissio ad Professionem pertinet, Conventus Novitium mortuo Prælatum ad vota suscipere nequit. *cit. cap. fin. cap. unic. ne Sede vacante. &c. in 6.* Porro Prælatum Professionem per se vel per Procuratorem suscipere potest. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Etiam Laicum, *Arg. cap. 1. de procurat. in 6.*

2do. Professio in Religione determinata fieri debet. Colligitur ex *cap. unic. de voto in 6.* Ubi ad solemnem Professionem requiritur, ut in aliqua fiat Religione, per Sedem Apostolicam approbata. Ratio est: quia per Professionem Religiosus Religioni tanquam membrum suo corpori incorporatur, membrum autem in particulari corpori in communi uniri nequit, sicut nec potest quisquam esse civis civitatis in communi.

3tio. Professio libera & spontanea sit, oportet. *Cap. 1. de Regular.* Ideo metus gravis ab extrinseco in ordine ad extorquendam Professionem injustè incussus Professionem irritat. *Can. præsens. 4. caus. 20. q. 3. cap. 1. de his que vi. &c.* Ratio est: quia non minùs per Professionem, quàm per matrimonium novus & ex sua natura immutabilis status suscipitur: sicut igitur Canones matrimonium carnale ob metum injustè & directè incussum irritum declarant, ita etiam Professionem Religiosam, quæ matrimonio carnali æquiparatur. Ad metum gravem reducitur metus reverentialis, qui non consistit in sola verecundia & reverentia, ex qua filius vel filia patri contradicere non audeat, sed in quadam obactione, per quam ob minas patris, ob torvum vulvum &c. quem semper, si repugnet, est habiturus, eligit profiteri: professio ex metu reverentiali taliter qualificata facta nulla est. Patet ex *cap. cum virum. 12. de Regular. can. puella. 8. caus. 20. q. 1. can. præsens. 4. caus. 20. q. 3.*

4to. Professio vel absolutè vel sub conditione præterita vel præsentis, vel ad minus de futura contingente emittenda est, dummodo Religionis substantiæ contraria non sit, idem enim de carnali statuitur matrimonio. *Cap. fin. de condit. apposit.* A matrimonio autem carnali ad matrimonium spirituale, Religiosam videlicet Professionem bona est argumentatio.

Quæres undecimo. Quinam validæ Professionis effectus?

ꝛ. Sequentes: *imus.* Profitentis in dominium & potestatem Religionis incorporationis

corporatio & translatio, ut gubernationi, regulis, constitutionibus & mandatis Prælatorum subjiatur, & vicissim Religio profitentem retinere, alere, gubernare, & ut parens filium, dominus servum, & Respub. suum civem tractare teneatur.

2^{us}. Exemptio filii familias à patria potestate, cum in dominium & potestatem transeat Religionis, ideòque patria potestas saltem quoad ea, quæ Professo damnosa & Religioni sunt præjudiciosa, extinguitur & cessat, ne contra *Reg. 61. de Reg. jur. in 6.* quod in gratiam conceditur, in ejus dispendium retorqueatur.

3^{ius}. Irregularitatis ex defectu natalium ortæ sublatio, eò quòd profitens extra monasterium à parentibus, qui tunc matrimonium vel non contraxerant, vel contrahere non poterant, sit procreatus, ita, ut ad S. Ordines & beneficia Ecclesiastica (exceptis dignitatibus, Prælaturis & beneficiis curatis) promoveri valeat; aliæ irregularitates in sæculo contractæ, quamvis per Professionem ipso facto non tollantur, in iis tamen per Prælatos dispensari potest.

4^{us}. Purgatio maculæ ortæ vel ex testimonio falso, ob quod quis ad testificandum inhabilis factus, vel ex ingratitude, ob quam de jure filius à parentibus exheredari & legitimâ privari possit, hæc per Professionem Religiosam purgatur & abstergitur. *Can. fin. caus. 19. q. 3. junct. gloss. verb. ingratitude.*

5^{us}. Impedimentum dirimens matrimonium contrahendum & dissolvens contractum non consummatum. *Cap. vs-*

rum. 2. cap. ex publico. 7. cap. ex parte. 14. de convers. conjugat.

6^{us}. Irritatio & commutatio omnium votorum ante Professionem factorum. *Cap. scriptura. 4. de voto.* In quo hæc traditur regula: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.* Ideo imprimis post Professionem non obligant juramenta, quibus soli Deo aliquid promissum fuit, vel vota juramento firmata; juramentum enim actus, cui adjicitur, sequitur conditionem. *Cap. quemadmodum. 25. de jurejur. Dixi: Soli DEO.* Quia si intuitu DEI certæ Ecclesiæ, monasterio vel hospitali aliquid juratò promissum, & ab Ecclesiâ vel monasterio promissio jurata fuit acceptata, sicut tunc promissum in aliud opus pium cum præjudicio tertii, cui promissio facta, commutari nequit, ita nec per professionem Religiosam ab onere promissi deobligatur, cum Ecclesiæ vel monasterio jus acquisitum, cui per Professionem non derogatur. Deinde cessant quælibet vota, etiam realia & perpetua, quamvis eorum executio cum assumptione Status Religiosi composibilis sit, imò etiam votum ingrediendi strictiorem Ordinem per Professionem in laxiori irritatur. Est decisum in *cap. qui post votum. 5. de voto in 6.* Sicut enim sponsalia contracta cum una per matrimonium de præsentem eum altera contractum dirimuntur. *Per cap. si inter. 31. de sponsal. cap. 1. de spons. duor.* Et secunda venditio cum traditione prævalet primæ sine traditione factæ, ita Professio in Ordine laxiore facta voto simplici Ordinem

nem strictiorem ingrediendi prævalere dignoscitur.

7imus. Omnium peccatorum ante commissorum quoad pœnam remissio. Est communis Theologorum doctrina ex *S. Thom. 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3.* Ubi ita: Rationabiliter dici potest, quòd etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum; si enim aliquibus eleëmofynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis secundùm illud *Daniel. 4.* Peccata tua eleëmofynis redime, multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quòd quis totaliter se Divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum, qui excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ut habetur *can. admonere 8. caus. 33. q. 2.* Ubi *Gloss. verb. monasterium.* colligit, quòd quantamcunque pœnitentiam subire peccator obligetur, si Religionem intret, ad pœnitentiam non teneatur.

8vus. Indissolubilis tam ex parte profitentis, quàm ex parte Religionis obligatio, ita, ut neque professus Religionem propriâ autoritate deserere, neque Religio professum valeat dimittere.

Quæres duodecimo. Quid si nulla fuerit Professio?

2. In casu nullitatis Professionis observanda sunt sequentia:

1mo. Si Professio nulla sit vel ob incapacitatem personæ, vel quia non est libere emissâ, vel quia non est à legitimam potestatem habente acceptata & admittâ, hoc probato coram Prælato & Ordinario loci, in quo monasterium situatum, professus ad sæculum redire, & à Reli-

gione dimitti potest, si Professio ante tacitè vel expressè ratificata non fuerit.

2do. Post quinquennium à Professione elapsum nulliter professus vel ob metum gravem in Professione intervenientem, vel ob insufficientem ætatem, vel defectum integritatis Novitiatus &c. non amplius auditur. Ex decreto *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 19.* Ratio est: quia tanto tempore sciens Professionem esse nullam, & tamen non reclamans, eam ratificasse præsumptione juris & de jure præsumitur, nec adversus eam directâ probatio in contrarium admittitur; sicut enim post elapsum unius anni spatium ex continuata matrimoniali cohabitatione purgatur metus, & ex capite metus invalidum ratificatur matrimonium. *Cap. ad id 21. de sponsal.* Et inter sponsos de futuro intercedens copula affectu maritali habita præsumitur, & sponsalia in matrimonium olim transire faciebat. *Cap. is, qui fidem. 30. de sponsal.* Ita etiam Professio ex metu vel alio defectu nulla post elapsum quinquennium à jure ratificata censetur. Si tamen revera professionem taliter professus intra ea non ratificasset, & elapso quinquennio Religionem desereret, ac matrimonium contraheret, illud in foro interno validum foret, cum à professo, id est, tali, qui nec unquam validè professus, nec Professionem invalidam ratificasset, initum fuisset.

3tio. Si Professio ob impedimentum perpetuum invalida fuit, ut quia mulier est professa in monasterio virorum, vel non est perpetuum, attamen ultra quinquennium durat, ut quia professus alteram conjugem mortuam esse putabat,

con-

contra Professionem etiam post quinquennium auditur, quia *Concil. Trident.* de eis loquitur, qui vel ob vim & metum vel defectum ætatis aut simile impedimentum temporale invalidè professi, & decretum Concilii est in favorem Religionis, cui utique grave foret & damnosum, si hujusmodi perpetuo impedimento laborantes denegatâ audientiam retinere obligaretur.

4to. Temporaneo laborans impedimento, quamvis post Professionem ob impedimentum nulliter factam, illius invaliditatem toto quinquennii tempore ignoraverit, vel si sciverit, contra Professionem tamen coram legitimo Superiore reclamare impeditus fuerit, talis ob lapsû quinquennii ordinario caret reclamationis remedio, cui non obstat Regula generalis, quam tradit *cap. quia diversitatem, s. de concess. præbend.* Legitimè impeditis non currit tempus. Hæc etenim Regula solum habet locum, quando certum tempus in odium negligentis à jure est definitum; in præsentem autem tempus quinquennii non in odium contra Professionem non reclamantis, sed in favorem Religionis est decretum, ne ab iis, qui post Professionem ad Sæculum redire cogitant, sub invalidæ Professionis prætextu Religio turbetur. Ita sententia magis recepta. Dixi: *Ordinario medio*: quia juxta modernam praxin elapso quinquennio invalidè Professo remedio extraordinario, scilicet beneficio restitutionis in integrum succurri potest: hanc dat Romæ negotiis Regularium præposita Congregatio, quæ auditis rationibus, quare invalida sit emissâ Professio,

R.D. Schmorrenberg *Instit. 7. Can.*

& quare sic invalidè professus intra quinquennium non reclamaverit, eundem in integrum restituit,

5to. Si Professio ex defectu consensûs legitimi ex parte profitentis invalida fuit, & ille illegitimitatem agnoscens impedimento sublato Professionem renovavit, Professio ratificatur, quamvis Religio consensum expressum vel acceptationem, utpote impedimenti ignata, non renovaverit. Colligitur ex *cap. significatum, 1. 1. de Regular. & cap. 1. eod. in 6.* ubi ante legitimam ætatem professus suam Professionem annuâ delatione habitûs Professorum proprii, & exercitio actuum professis competentium ratam habuisse præsumitur, quanquam expressâ ratificatio ex parte Religionis vel scientia nullitatis non adfuerit. Adhuc clariùs patet ex *Trident.* quòd Professionem ab eo, qui intra quinquennium non reclamavit, ratificatam præsumit, & si nulla fuerit ex parte Religionis, quæ impedimentum v. g. ignoravit, sit consensûs ratificatio. Ratio est: sicut enim matrimonium carnale ob defectum consensûs in uno contrahentium invalidum, ratificatur renovato consensu illius, qui antea in consentiendo defecit, consensu ex parte alterius semel legitimèposito & non revocato adhuc moraliter perseverante, ita si matrimonium spirituale Professionis ex defectu legitimi consensûs in proficiente nullum sit, sufficit, quòd ille renovetur, quamvis Religio nullitatem Professionis, vel ejusdem renovationem omninò ignoret.

Quæres *ultimo.* Qualiter Religioso professoliticus ab una Religione ad aliam transitus?

F f

84.

2^a. Quamvis sit Apostoli monitum 1. *Corint.* 7. ut unusquisque, in qua vocatione vocatus est, permaneat, & Religiosus eo ipso, quo alicui monasterio per Professionem incorporatus, ad aliud admitti non debeat, & admissus restitui, sicut servus ab uno domino ad alium transiens repetendus & restituendus est. *Cap. Johannes. 5. & cap. non est. 7. de Regular.* Nihilominus ex majoris perfectionis zelo, & majorem sanctitatem assequendi studio Religiosos ad alium Ordinem transire sacri Canones non prohibent. Patet ex *can. 1. can. Monachum. 3. caus. 20. q. 4. cap. sanè. 10. cap. licet. 18. de Regular.* dummodò sequentes observentur conditiones:

1^{ma}. Transitus ad Religionem strictiorem & perfectiorem fieri debet. *cit. cap. licet.* An autem Religio, ad quam transitur, strictior sit, non tam à primæva institutione, quam ex constitutionibus modernaq; earum observantia desumendum est, transitus namque ad perfectiorem vitam conceditur, perfectio autem vitæ in perfecta votorum substantialium observantia consistit, quæ quandoque in Religione secundum Regulam quidem stricta, sed cum tempore & secundum observantiam relaxata non tam strictè observatur. Jure communi transeuntis à strictiore Ordine ad laxiorem nulla est Professio. *cit. cap. sanè.* Quandoque tamen dispensatur & conceditur, ut ob infirmitatem, debilitatem, parentum necessitatem, quibus in strictiori Ordine subveniri non potest, aliâve justa causa à strictiori ad laxiorem quis Ordinem transeat, quam licentiam Papa dare po-

test, & juxta Sanchez Generales Ordinum exemptorum, & Prælati etiam non exempti accedente consensu Episcopi Diocæsani. Ex his colligitur 1^{mo}. Licet ab initio Canonici Regulares ad Ordinem Monachalem transire non poterant. *Can. mandamus. 2. caus. 19. q. 3. cap. intelleximus. 12. de atat. & qualit.* Cùm enim Monachi illo tempore soli DEO vacarent, nec sacris Ordinibus initiati ad tractanda sacra Mystéria applicarentur, Canonici Regulares ad Monachos transeuntibus velut ex Clericis fiebant Laici; postquam verò Monachi ad Clericatum admissi cùm adhuc strictiori Regulari Observantiæ inhæreant, licitum est Canonicis Regularibus transire ad Monachos, ast non econtra Monachis ad Canonicos Regulares transire permittitur. *cit. cap. sanè.*

Deinde Religiosis Ordinum Mendicantium ad non Mendicantes, excepto Carthusianorum Ordine, transmigrare non licet. *Extrav. 1. de Regular. int. com.* Quòd præ omnibus aliis strictiorem Observantiam propter hæc quatuor: ob perpetuam à carnibus abstinentiam, jure silentium, continuum veluti chorum, & perpetuam clausuram, in Ecclesia Carthusiani habere censeantur. Quòd si quis ex Ordine Mendicantium etiam auctoritate Apostolicâ ad non Mendicantes transiret, is ex *cit. Extrav. 1. ad Prioratus, administrationes, officia quæcunque curam animarum per se vel per alium exercendam incapax esset, nec vocem in Capitulo haberet.*

2^{da} conditio est sincera & recta intentio, ut scilicet transitus non fiat ex animi in-

inconstantia, inordinata ira, vindicta, odii, rancoris, &c. passione, sed ex puro zelo ac adipiscendae majoris perfectionis studio. *cit. cap. licet.* Cum de tali intentione Praelatus non statim certificari possit, petitam transeundi licentiam potest, & non raro differre debet.

3^{ta}. Ut transitus fiat sine gravi detrimto vel notabili infamia Religionis, à qua transitur: quia commune Religionis bonum privatae particularis Religiosi ad alium Ordinem transire volentis utilitati est preferendum.

4^{ta}. Ut transiturus à Praelato locali vel alio Superiore, si ita in aliquo Ordine specialiter sit ordinatum, propositis transeundi causis petat licentiam, quam cum humilitate petitam Praelatus sine difficultate concedere debet. Si Praelatus petitam à Religioso licentiam indifferetè, hoc est, ex nulla vel apertè injusta causa deneget, illo non obstante Religiosus ad Ordinem strictiorem transire potest, juxta *cit. cap. licet.* ibi: *Libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante protervâ indiscreti contradictione Praelati.* Si causa negatae licentiae non apertè injusta, adeundus est Superior, non illius monasterii vel Ordinis, ad quod vel ad quem transire intendit, ut partialitatis evitetur periculum, sed

ille, cujus inter monasterium vel Ordinem, ad quem & à quo fit transitus, est dirimere controversias.

5^{ta}. Ut dimissoriae à Praelato petantur litterae, sine quibus Religiosus transiens à Praelato alterius monasterii suscipi non potest. *Can. statuumus. 3. caus. 19. q. 3.* nisi transiens licentiam transeundi & ejusmodi dimissorias litteras sibi indubitè negatas fuisse in continenti probare paratus sit, vel si hoc sufficienter probare nequeat, Superior deserti monasterii interrogatus de negatae causa licentiae apertè alleget injustam. Si transitus absque petita licentia factus, & Professio in Ordine strictiore subsecuta fuisset, illa valida foret, quia quamvis culpabili transierit modo, nihilominus votum in Professione in melius commutatum fuit, quod neque jure naturae. *Arg. cap. pervenit. 3. de jurejur.* neque de jure Ecclesiastico irritum esse noscitur.

6^{ta}. Si totum monasterium & quoad personas & quoad locum ad alium Ordinem transiret, summi Pontificis necessaria foret licentia. Colligitur ex *Cap. unic. de Religios. domib. §. fin. in 6.* ibi: *Nullus Ordo ad alium, vel Conventus ad Conventum se ac loca sua totaliter transferat, Sedis ejusdem Apostolica, super hoc permissione specialiter non obtenta.*

S. Quintus.

DE

Obligationibus Religiosorum.

Quaeres primo. Qualiter Religiosi ad Regulam obligantur?

Re. 1^{mo}. Religiosi secundum Regulam, quam professi sunt, vivere tenentur.

F f 2

Con-

Constat ex *cap. recolentes. 3. de Stat. Monach.* ubi Alexand. III. Cistercienses Regulam secundum originalia instituta, sive primariam Religionis institutionem observare hortatur. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 1.* præcipit, ut omnes Regulares tam viri, quam mulieres ad Regulam, quam profesii sunt, præscriptum vitam instituunt & componant.

2do. Regula Religiosos obligat. Ratio est: quia alias Regula non differret à consilio, quod nullam inducit obligationem, nec Prælato transgressores Regulæ corripendi haberent potestatem, cum tamen Religiosi in Professione observare Regulam, vel vivere secundum Regulam, vel obedire Prælato suo secundum Regulam præcipienti sese obligare soleant.

3tio. Regula quandoque immediatè obligat sub culpa, quandoque sub sola pœna, quandoque immediatè neque sub culpa, neque sub pœna, attamen semper mediatè aliquam obligationem inducit, quia Prælato secundum Regulam imperanti obedire obligat, & ita obediendi infert necessitatem, in quo à merito differt consilio. *Can. quisquis. 3. caus. 14. q. 1. ibi: Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est, ubi præceptum, necessitas est servientis.*

4to. Religiosus transgrediens Regulam non semper peccat, quia nullus Religiosus sub voto suæ Professionis promittit servare singula, quæ sunt in Regula, sed vivere secundum Regulam, vel obedire Prælato jubenti secundum Regulam; sunt & quædam in Regula præcepta, quædam verò monita & consilia,

ideoque proficiens præcepta Regulæ ut præcepta, consilia ut consilia servaturum se promittit. Colligitur ex *Clement. exvii. 1. de V. S.* ubi declarat summus Pontifex de Regula S. Francisci, quod S. Franciscus, illius Regulæ institutor omnes hujus Regulæ Professores ad omnia in eadem contenta æqualiter obligare non voluerit.

5to. Quæ continentur in Regula, in quadruplici genere sunt: 1mo. Sunt quædam, quæ sub mortali obligant, non quia in Regula sunt, sed quia aliunde præcepto vel naturali, vel Divino, vel Ecclesiastico præcepta sunt, ut amor DEI & proximi, &c. 2di generis sunt ea, quæ ad mortale ratione votorum adstringunt, cum ad eorum observantiam pertineant. 3tio generis sunt opera supererogationis & consilii omnibus Fidelibus communia, ut specialis inimicorum dilectio, abnegatio sui ipsius, &c. & istorum transgressio culpam non inducit, cum ad Religionis spectent perfectionem, Religiosus autem non perfectus esse, sed ad perfectionem tendere tenetur. 4ti generis sunt Observantiæ Regulares & externæ in Regula præscriptæ ceremoniæ, & hæc de se ad culpam non obligant, nisi Author Regulæ, quod sub gravi vel levi ad illa Professores ejus adstringere velit, mentem suam declaraverit.

6to. Transgressio Regulæ neque ad mortale, neque ad veniale obligantis per accidens mortalis aut venialis esse potest, quia est vel ex negligentia, vel ex libidine, vel ex contemptu. *Doct. Angel. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1.* Ex negligentia ab

eo fit Regulæ transgressio, qui ex aliquo animi tepore Regulam transgreditur, & talis ad minus culpam venialem committit, quam non committeret, si ex inadvertentia vel oblivione fieret transgressio. Ex libidine Regulam transgreditur, qui ob nimiam cupiditatem erga aliquid Regulam violat. Ex contemptu denique formali transgreditur Regulam, qui eidem subjici recusat: contemptus siquidem formalis duo importat, ipsam transgressionem, & causam transgressionis; est enim transgressio præcepti, quia præceptum est, & hic contemptus formalis semper est peccatum mortale. Si ex consuetudine vel alia causa legis fiat transgressio, materialis est contemptus, qualis in omni peccato invenitur, si transgressionem continuandi adsit intentio, contemptus dicitur interpretativus.

Quæres secundo. Qualiter Prælati regulæ observantiam procurare tenentur?

R. Prælati, ut regula à subditis etiam quoad accidentalia, in quibus illa sub nullo omnino conscientia reatu obligat, observetur, sub mortali procurare tenentur. Ratio est: quia Prælati ex officio regulæ observantiam urgere debent, sunt enim in regulæ custodiam, non in illius destructionem electi, ideoque ejus observantiam non procurantes in malo statu sunt, & peccata subditorum Prælati imputantur. Colligitur ex cap. in tantum. 36. de simon. ibi: *Ne aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam imputetur ad penam. cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinar.* Ubi hæc: *Irrefragabili constitutione sancimus, ut Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus, maxime Cle-*

ricorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Ubi Gloss. verb. sanguis. Durum verbum pro Prælati negligentibus subditos corrigere, &c. Nec

Dicas: Subditus transgrediens regulam sub culpa non obligantem non peccat, ergo neque Superior, cum hic non sit deterioris conditionis, quam subditus. Disparitas enim est, quod Prælati ex officio procurare teneatur, ne disciplina regularis relaxetur, ideoque graviter peccat, si ex tolerantia levium etiam excessuum quoad notabilem partem relaxetur disciplina.

Quæres tertio. Qualiter Superiores ad relaxatæ regulæ reformationem obligantur?

R. 1mo. Si regula per negligentiam Superiorum sit relaxata, Superiores reformationem instituere, & ad pristinum vigorem Religiosos reducere possunt & debent, qui etiam huic reformationi sese accommodare tenentur: tum quia per Professionem propria renuntiârunt voluntati, tum quia non corruptas consuetudines, sed regulæ voverunt observantiam. *Fagn. in cap. recolentes. 3. de Stat. Monach.*

2do. Quando regula Religionis quoad vota substantialia paupertatis, castitatis & obedientia relaxata, Religiosi illam non sic relaxatam, sed in suo pristino vigore quoad observantiam votorum servare tenentur. Ratio est: quia licet Religiosi secundum regulam profitentes expressam intentionem tantum ad illam ut relaxatam sese obligandi habuerint, quia

tamen expressam Statum religiosum profitendi habuerunt intentionem, & hinc trium votorum observantiam essentialiter includit, ideo virtualiter & implicite ad regulam perfecte & integre servandam se obligare intenderunt, uti suscipiens Ordinem sacrum, quamvis ad castitatem sese obligare explicitè non intendat, ex vi tamen status illius ad eam manet obligatus.

3^{to}. Quando regula per legitimam consuetudinem non quoad vota substantialia, sed quoad alias regulares relaxata est observantia, Religiosi illam professi non peccant se regulæ sic relaxatæ accommodando. Ratio est: quia ad regulam non aliter se obligarunt, quam prout erat in usu, & prout de facto observabatur, nec ex vi Status religiosi, quem sunt professi, aliud, quam votorum exigitur observantia; si tamen summus Pontifex vel Superiores sic collapsam & relaxatam regulam reformare, & ad pristinum suum vigorem reducere vellent, Religiosi illam professi reformationi huiusmodi resistere non possunt, quia eo ipso, quo talis Religionis membra, & talem regulam professi sunt, etiam cum proprio dispendio bonum & conservationem ipsius procurare tenentur: evidens autem est bonum & conservationem regulæ & Religionis ex reformatione pendere. *Lezana & Fagn. in cit. cap. recolentes.* ubi ad hoc declarationem Congregationis adducit. Unde merito summi Pontifices Conservationi Religionum intendentes, eas sæpissimè ad pristinum vigorem decretis Apostolicis reducere conantur, quod fieri non pos-

set, si Religiosis prædictæ reformationi obstare & resistere liceret.

Quæres quarto. Quid circa constitutiones & statuta Ordinum est observandum?

R. 1^{mo}. Constitutiones & statuta à regula differunt, quòd regula ut plurimum ab aliquo Patriarcha Ordinis sit constituta, à summis Pontificibus approbata, & in Religione perpetua ac invariabilis: Constitutiones autem à Prælati & Capitulis sunt ordinatæ, & pro temporum mutari possunt varietate.

2^{do}. Potestas statuta pro tota Religione condendi generaliter ad Generalem cum Capitulo generali, vel ad Provinciam cum Capitulo Provinciali pro tota Provincia pertinet. Cujus ratio est: quia licet quilibet Superior præcepta vel mandata solum pro determinato sui officii tempore duratura imponere valeat, statuta tamen & constitutiones condendi non possunt, nisi ab eo, qui totam representat communitatem, qualis est cum Capitulo generali Generalis, vel cum Capitulo Provinciali Provincialis.

3^{to}. Ut huiusmodi constitutiones in conscientia obligandi vim habeant, debent esse de rebus ex-vel implicite regulam concernentibus, explicitè quidem, si illa in regula non habeantur, implicite verò, si ad observantiam regulæ sunt necessaria. Ratio est: quia Religiosi non nisi in iis, quæ aliquo modo regulam professam concernunt, obedire tenentur.

4^{to}. Quando ea, quæ in constitutionibus habentur, aliunde v. g. jure naturali aut positivo sunt præcepta, talis ac tanta est transgressio illorum, qualis

&

& quanta illorum præceptorum transgressio.

5to. Obligatio servandi statuta in materia aliàs non præcepta, nec Deo promissa aliquando ad culpam mortalem, aliquando ad venialem, aliquando ad nullam, sed ad meram pœnam in constitutionibus taxatam adstringit; hic communis usus & Religionis acceptatio est attendenda, quoties autem censura gravis additur, culpa gravis esse dignoscitur.

6to. Quoties Religiosus aliquod statutum, etiam ad culpam non obligans, ex contemptu transgreditur, peccato mortali contaminatur; contemptus enim formalis est actus inobedienciæ, directè oppositus obedienciæ voto, quo in Professione Religiosus suam voluntatem Superiorum voluntati subijciendo sese adstrinxit, talis autem contemptus juxta superius dicta est: quando quis statutum ideo transgreditur, quia statuto vel Superiori per statutum præcipienti subijci non vult, habetque duos virtualiter actus, unum, quo legi vel Superiori subijci non vult, alterum, qui ex eo nascitur, quo legem vel statutum transgredi eum delectat.

7imo. Prava consuetudo non servandi statuta ad culpam gravem non obligantia, ex se mortalis non est; sunt enim plura peccata venialia eorum crebræ transgressiones, per accidens tamen hujusmodi consuetudo mortalis fieri potest, ut ratione periculi, cui se quis exponit transgrediendi ex contemptu, vel ratione scandali, ut quia ferè nunquam servat statuta, & talis Religionis valdè

noxius est, & alios suo exemplo ad relaxationem inducit.

8vo. Non solum subditi & inferiores, sed etiam quicumque Religionum Superiores statutis tam quoad vim directivam, quàm quoad vim coactivam obligantur, cum talia statuta non ab ipsis solum, sed à tota Religione vel à Capitulis generalibus condita sint.

9no. Statuta Religionum autoritate Papæ confirmata ab ipsis Religionibus mutari nequeunt, eò quòd inferior facta Superioris tollere non possit, quod tunc verum est, quando in bonum Religionis seu per modum decreti, mandati vel ordinationis facta est Papæ confirmatio; secus est, si confirmatio facta in tales leges statuentium favorem, tunc enim rationem privilegii habet, à quo liberè recedere possunt privilegiati.

10mo. Statuta juri communi seu constitutionibus Apostolicis contraria condici non possunt; jus enim commune est à supremo Ecclesiæ Capite vel in generali Concilio vel extra præcipiente constitutum, cui Prælati cum generalibus suis Capitulis noscuntur esse subiecti. Constitutiones tamen juris communis declarandi, innovandi, pœnam, ubi deficit, imponendi, vel appositam augendi habent facultatem, sic enim jus commune non subvertitur, sed adjuvatur. *Arg. cap. 1. de nov. oper. nuntiati.*

11mo. Demum Superiores Religiosorum in statutis universaliter dispensare non possunt, nisi talis facultas illis expressè vel interpretativè concedatur, eò quòd inferiores in legibus à Superioribus emanatis dispensare nequeant, statuta verò

verò à tota Religione aut tota Provincia facta sunt, in casibus tamen obviis eis dispensandi non negatur potestas. Ratio est: quia cum in his casibus sæpè facultas dispensandi necessaria sit, à jure talis licentia concedi præsumitur, quod etiam consuetudine, quæ est optima legum interpret, observatur.

Quæres quinto. An Religiosi ad studia adstringi valeant?

R. Justissimæ sunt constitutiones Religiosos ad litterarum studia adstringentes, conformiter *Trident. Sess. 5. de reform. cap. 1.* ubi ita disponitur: In monasteriis Monachorum, ubi commodè fieri queat, Lectio sacræ Scripturæ habeatur, qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc ut Sedis Apostolicæ Delegati eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ Lectio similiter habeatur, quæ Lectio à Capitulis generalibus vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris. Ubi

Notandum cum *Lexanatom. 1. cap. 8. n. 29.* quòd Religiosi ad studia deputati notabiliter negligentes in studendo sæpè peccent mortaliter, tum quia aliorum occupant locum, tum quia commoditate illis ad studendum à Religione concessâ abutuntur, & scientias contemnere videntur; tum quia ad exercitium curæ animarum sese reddunt incapaces, ad quod tamen cum præsentissimo plures animas perdendi periculo à Superioribus, illos tempore studiorum suæ obligationi satisfecisse præsumentibus, certò sunt applicandi.

Quæres sexto. Quæ circa votum paupertatis Religiosorum obligationes?

R. 1mo. Religiosus per votum paupertatis omnes res temporales à se abdicat, ideòque per illud privatur Religiosus 1mo. Si solenne, dominio & proprietate cujuscunque rei temporalis; res spirituales, ut S. Reliquiæ &c. sub hac abdicacione non comprehenduntur. 2do. Usufructu. 3tio. Usu juris: quemadmodum enim per votum obedientiæ Religiosus omnes suas actiones Superiorum subjicit voluntati, ita per votum paupertatis omnem rerum temporalium usum Superiorum voluntati submittit, ut usum facti solum habeat, hoc est: usum rerum necessariorum dependenter à Superiorum voluntate, sicut servi, qui quamvis nil proprii habeant, habent tamen usum facti ciborum, vestium, &c. quæ illis à Domino conceduntur.

2do. Ut hæc abdicatio meliùs ac perfectiùs servari possit, omnes Religiosi ad vitam communem obligantur juxta novissimum decretum *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 1.* ubi generaliter præcipitur, ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres, quæ ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent, Ratio est: quia quamvis sine tali vita communi votum paupertatis absolute observari possit, cum illud substantialiter in hoc consistat, ut dominium alicujus rei temporalis, vel usus illius sine licentia Superioris non habeatur: quia tamen prædicta Religiosa paupertas sine vita communi difficulter & mancè observatur, Ecclesia omnibus Religiosis vitam com-

communem præcipere potuit, sicut etiam omnibus Monialibus ad facilitè servandum castitatis votum perpetuam præcepit clausuram, tametsi absque hac absolute, non tamen sine magna difficultate & pluribus periculis votum castitatis servari valeat.

Quæres septimo. Ad quæ Religiosi ratione vitæ communis obligantur?

R. 1mo. Nunquam Religioso proprium quid habere licitum est. *Can. non dicatis. 11. caus. 12. q. 1. cap. Monachi. 2. cap. cum ad monasterium. 6. de Stat. Monach.* ubi Pontifex in virtute obedientiæ sub obtestatione Divini Judicii præcipit, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 2.* Hac de causa Superior Monacho rem, quæcunque illa sit, ad usum irrevocabilem nunquam concedere potest. Ratio est: quia hoc esset directe proprietatem habere, de qua in *cit. cap. cum ad monasterium: Nec aestimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regula Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

2do. Religiosus peculium sive redditus annuos aut rem immobilem vel mobilem ex licentia & concessione Superiorum, de qua independenter à voluntate disponat eorundem, habere nequit. *cit. cap. Monachi: Monachi peculium non permittantur habere. cit. cap. cum ad monasterium. cap. Joannes. 5. de Regular. Prohibemus aliquem peculiare quidpiam habere.* Ex quibus colligunt DD. illicitum esse Religioso peculium sine causa, independenter, irrevocabiliter, ac cum plena de illo pro placito proprio potestate disponendi concessum.

3mo. Peculium sive redditus annui in usus licitos & honestos, revocabiles ac à voluntate Superiorum dependentes neque ex natura voti paupertatis, neque ex jure antiquo Religiosis prohibiti sunt: non ex natura voti paupertatis; nam votum solum possessionem, vel rei cujuscumque usum independenter à Superioris voluntate ac dispositione excludit: non ex jure antiquo, quia in *cit. cap. Monachi. 2. de Stat. Monach.* peculium ab Abbate pro adjuncta administratione Religioso permittitur. In *can. mulieres. 31. caus. 27. q. 1.* dicitur: *Mulieres obtentu Religionis velate aut in monasterio regulariter vivant, aut in domibus suis susceptum habitum castè observent.* Quod absque peculio ad sustentationem requisito fieri non potest. Demum in *cap. insinuante. 7. qui Cler. vel vorent.* professio femine sub conditione in propria remanendi domo cum omni sua substantia quoad usum illius facta approbatur.

4to. Hodie Religioso annuos redditus, peculium, vel rem immobilem etiam à voluntate Superiorum dependentem & ad nutum revocabilem habere illicitum est: postquam enim *Trident Sess. 25. de regular. cap. 1.* perfectam rerum omnium in monasteriis communitatem cunctorum Ordinum regulis & constitutionibus primævis expressam commendasset, tanquam basin & totius regularis disciplinæ fundamentum, quæ exactè non servatâ totam ædificium corruat necesse est.

G g

Cap. 2. subjungit : "Nemini igitur Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usum fructuum, vel usum, administrationem aut commendam." Quo decreto *Trident.* novum jus condi verior docet sententia: quia intentum Concilii absque dubio fuit abusu, qui in aliquibus monasteriis ante Concilium erant, extirpatio, qui abusus non solum in hoc consistebant, quod Religiosi peculium vel annuos redditus independenter à Superiorum voluntate haberent, quod indubitanter semper proprietatis fuit peccatum, sed etiam in hoc, quod peculio aliisve redditibus dependenter à Superiorum voluntate fruerentur. Sensus *Concil. Trident.* expressit Clemens VIII. in constitutione: *Nullus omnino*: ut *Concil. Trident.* decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, precipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia vel pecuniam, proventus, census, eleemosynas sive ex Concionibus, sive ex Lectionibus vel promissis, tam in propria Ecclesia, quam ubicunque celebrandis, aliòve ipsorum justo labore & causa & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, vel piorum largitiones, legata vel donata fuerint, tanquam pro-

pria vel etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit. Hanc constitutionem Clement. Urbanus VIII. & sequentes Pontifices innovaverunt.

510. Post *Concil. Trident.* & has Pontificias constitutiones administratio boni stabili Regularibus, solis exceptis Officialibus, ex nulla causa nullòque casu est permessa, Ratio disparitatis inter simplicem Religiosum & monasterii Officialem quoad administrationem bonorum temporalium hæc est: quia dum simplici Religioso conceditur administratio, ea datur, ut proventus in suos particulares usus convertat, atque ita in effectu est quasi usufructuarius; cum enim de fructibus disponere possit, quasi jus utendi & fruendi habere dicendus est. Nec refert, quod non nisi in usus honestos ac licitos disponere & expendere valeat: quia nec Beneficiati sæculares fructus superfluos beneficiorum suorum in usus profanos, inhonestos & Clericalem Statum dedecentes erogare possunt, & tamen sunt usufructuarii. Minus refert, quod ad nutum Prælati auferri possit administratio: hoc enim non impedit, quod minus durante administratione jus utendi ac fruendi habeat, & ita ad beneplacitum Prælati sit usufructuarius. Officialis verò monasterii in ejus utilitatem administrator constituitur, ideòque de proventibus in usus proprios disponere nequit.

quit, sed omnia in communes Conven-
tus & Ecclesiæ usus convertere tenetur.

6to. In monasteriis, in quibus vel ob
niniam paupertatem, quâ premuntur,
vel ob incuriam & negligentiam Su-
periorum vita communis servari nequit,
quia singulis & omnibus ea, quæ neces-
saria sunt, vel decent, non submini-
strantur, Religiosi extra statum sunt
damnationis, si peculium vel annuos re-
ditus in Ordine solùm ad usus necessa-
rios, & à voluntate Superiorum omni
momento revocabiles habeant ac perci-
pian. Ratio est: quia cum isto modo ha-
bere peculium non contra votum pau-
per-tatis, sed solùm contra præceptum
Trident. & Apostolicas sit constitutio-
nes, & præcepta Ecclesiæ cum morali
impossibilitate non obligent, ac leges
vitam communem præcipientes, & conse-
quenter peculium vel annuos redditus tam
strictè prohibentes præsupponant, quòd
monasteriorum Superiores singulis Re-
ligiosis de communi reddituum massa
omnia suppeditent necessaria. Ergo in
casu, in quo monasteria ob domus an-
gustiam ita de necessariis providere ne-
queunt, aut et si queant, id tamen de
facto non præstant, Religiosos particu-
lares, penes quos non stat, ut vita com-
munis juxta regulas Pontificias & consti-
tutiones præceptivas introducatur, Ec-
clesiæ non ligat dispositio. Ex prædicta
ratione etiam excusatur consuetudo, quæ
in quibusdam relaxatis monasteriis inole-
vit, ut quotannis cuivis Religioso certa
fructuum portio, quâ necessaria com-
paret, assignetur, dummodò hæc portio
in usus necessarios, & dependenter à vo-

luntate Superiorum expendatur; unde
tales portionistæ à læsione voti pau-
per-tatis haud sunt excusandi, si fructus per-
ceptos in computationes, lusus aliòsve
vanos usus impendant, interim necessa-
riorum penuriam patientes, similiter pur-
gatur consuetudo, juxta quam particu-
laribus Religiosis ea, quæ proprio labo-
re, industriâ, doctrinâ aut donatione
acquirunt, ad usus necessarios concedun-
tur, dummodò Religiosi illi vitam com-
munem, si juxta regulam & Ordinis Ec-
clesiæque constitutiones introducenda
foret, acceptare parati existant.

7to. Religiosus nequidem de licen-
tia Prælati aliquid superfluum, sive na-
turæ, personæ aut statui non necessarium
habere potest, ideòque contra pau-
per-tatem peccat tam Religiosus de licentia
Prælati superfluum habens, quàm Præ-
latus superfluum concedens, ex his fun-
damentis: 1mo ex *Clement. 1. de Stat.
Monach.* ubi Religiosis omnis cultus &
ornatus pretiosus interdicitur. 2do ex
*Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 2. ibi:
Mobilium verò usum ita Superiores per-
mittant, ut eorum supellex statui pau-
per-tatis, quem professi sunt, conveniat, ni-
hilque superfluum in ea sit.* 3tio ex decre-
tis *Clement. VIII. & Urban. VIII.* Fra-
trum vestitus & supellex cellarum ex
communi pecunia procuratur, & omni-
nò conformis sit Fratrum & quorumcun-
que Superiorum, statuique paupertatis,
quem professi sunt, conveniat, ita, ut
nihil superflui admittatur, nihil etiam,
quod sit necessarium, iis denegetur. 4to
ex ratione: quia votum paupertatis ea so-
lùm, sine quibus vita transigi non potest,

& quæ secundum naturam, personam & decentiam status necessaria sunt, permittit; quemadmodum autem religiosi ad habendum nisi necessarium, sic etiam Prælati ad non dispensandum adstringuntur, cum Prælati monasteriorum non Domini bonorum communium, sed Administratores tantum sint, hinc de rebus communibus citra utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ disponentes peccant. In dispensatione autem rerum necessariorum attendenda est primò necessitas naturæ, quæ omnibus est communis, deinde necessitas personæ, quæ in singulis est particularis, item usus inter prudentes & timoratos ejusdem Religionis approbatus, ac demùm omnes circumstantiæ temporis, loci, officii, quia si ad hæc omnia non attendatur, non est prudens dispensatio.

870. Religiosus habens de licentia Superioris præcedentis aliquid, illudque celans, vel Prælato præsentis, ne videat, vel auferat, occultans, est proprietarius. Ratio est: quia retinet aliquid contra voluntatem Superioris præsentis, qui hic & nunc verus est illius Superior, & generaliter Superiori aliquid occultans, quod possidet, vel non manifestans, dum Prælati interrogat, est proprietarius: quia aliquid contra voluntatem Superioris retinere intendit, nec quidquid possidet, si Superior jussit, paratus est dimittere.

880. Religiosus vi voti paupertatis nihil, sive usu consumptibile, sive non consumptibile à quoquam sive extraneo, sive domestico sine Superioris licentia accipere potest. Ratio est: quia accipere

aliquid independentem à voluntate Superioris est actus proprietatis, cui per votum renuntiavit. Unde in *cap. cum ad monasterium. 6. de Stat. Monach.* dicitur: si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati assignetur. Quapropter Religiosus ab extraneo pecunias accipiens, & eas apud alium deponens, ut iisdem ad libitum utatur, proprietatis vitium committit: aliud foret, si dare volenti Religiosus diceret, ut pecunias apud tertium deponeret pro casu, quo licentiam illis utendi haberet, tunc enim proprietarius non esset. Ratio est: quia in tali casu nec dominium nec proprietatem nec usum juris, sed solum usum facti cum Superioris licentia acquirit, quod voto paupertatis non repugnat.

1000. Religiosus, qui ex eo, quod alteri ad usum est concessum, aliquid sibi assumit, peccato peccat proprietatis: Idem est, si Religiosus A aliquid recipiat, quod recipiendum erat à Religioso B, ut religiosus recipiens Missarum stipendia, quæ Prælati jubente Sacrista recipere deberet, etiam si Missas dicat, est proprietarius, eò quòd contra beneplacitum Prælati aliquid recipiat.

1100. Contra paupertatem delinquit religiosus aliquid ex iis, quæ ad usum sunt concessa, sine licentia Superioris expendendo, ut si permutet, mutuet, vel alio modo de illis contrahat, si ea, quæ ad certum usum à Superiore indulta, in alium usum applicet, in conservatione rerum ad usum sibi concessarum eam diligentiam non adhibeat, quam homines in rebus suis conservandis communitè

muniter adhibere solent: quia illas dicto modo non conservare est quasi expendere, & contra Superioris voluntatem consumere.

Adde religiosum extorantem sub peccato proprietatis obligari ad reddendum fideliter computum, & exprimendum residuum, neque revocatum posse quid sine licentia alteri tradere custodiendum in eventum, ut, si rursus emittatur, habere valeat.

12mo. Peccat contra paupertatem religiosus ludens pro pecunia vel re pretio aestimabili: quia rem ad usum concessam sine licentia Superioris expendit, illam jacturæ exponendo. Quod si lusus vel à jure, vel à regula aut constitutionibus prohibitus sit, religiosus nec pro magna, nec pro parva quantitate etiam de Superioris licentia ludere potest, cum Superior hujusmodi licentiam indulgendi non habeat facultatem.

Quæres *octavo.* Qualis requiritur licentia, ut religiosus contra paupertatem non peccet?

R. Licentia requisita ad hoc, ut religiosus aliquid accipiat, possideat, vel expendat, debet esse vel expressa & formalis, vel tacita & virtualis in alio actu inclusa, vel si Superior adiri non possit, prudenter præsumpta, quando videlicet in casu, quo copia Superioris haberi nequit, prudenter creditur, quod Superior id velit, & expressam daret, si interrogaretur, licentiam. Deinde debet esse licentia voluntaria, non coacta, precibus importunis, metu murmurationum vel alterius mali aut dolo extorta; talis enim licentia potius est violen-

tia, nec religiosus per eam secundum Superioris, sed propriam operatur voluntatem. Demum licentiam oportet esse legitimam, ad usus honestos, non prævios, inutiles & superfluos, cum ad hos Prælatus licentiam dare non possit.

Quæres *nono.* Quàm grave peccatum proprietatis?

R. Crimen proprietatis ex genere suo est mortale, ob parvitatem materiæ leve. ratio est: quia peccatum proprietatis habet malitiam quasi furti contra justitiam, quatenus usum rei alienæ invito Domino importat, & malitiam sacrilegii contra Religionem, quatenus est contra votum, ideoque illa materia, quæ in furto levis est, etiam in peccato proprietatis levis erit, & sicut per plura minora furtiva ad materiam gravem devenitur, sic religiosi successivè minima retinentes, accipientes vel expendentes sine Superiorum licentia contra votum paupertatis, quando ad gravem vel notabilem pervenitur quantitatem, mortaliter peccant, dummodò actus illi accipiendi, retinendi, expendendi &c. aliquo modo, vel ratione temporis vel loci, uti aliàs de furto docere solent Theologi, sint uniti.

Quæres *decimo.* Quæ proprietariorum pœnæ?

R. Præter pœnas in propria regula vel cujuslibet Ordinis constitutionibus expressas de jure communi contra proprietarios statuuntur sequentes:

1ma. Privatio communionis & sepulturæ religiosæ. "Qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione

“munione removeatur Altaris, & qui
 “in extremis cum peculio inventus fue-
 “rit, & dignè non penituerit, nec obla-
 “tio pro eo fiat, nec inter Fratres ac-
 “cipiat sepulturam, quod etiam de uni-
 “versis Religiosis præcipimus observa-
 “ri.” *Cap. Monachi. 2. de Stat. Monach.*
 “Quòd si proprietates apud quenquam
 “inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in
 “signum perditionis extra monasterium
 “in sterquilinio subterretur, secundùm
 “quod B. Gregorius narrat in dialogo
 “se fecisse Innocent. III. in *cap. cum ad mo-
 “nasterium. 6. de Stat. Monach.* Quòd si
 “in loco sacro sepultus fuerit, est extra-
 “hendus, si id sine magno scandalo fieri
 “possit. *Cap. super quodam. 4. de Stat.
 “Monach.*

2da. Expulsio è monasterio: “Si quis
 “proprietatem aliquam fuerit deprehen-
 “sus habere, regulari monitione præviã
 “de monasterio expellatur, nec recipia-
 “tur ulterius, nisi peniteat secundùm
 “monasticam disciplinam.” *Cir. cap. cum
 “ad monasterium.*

3tia. Privatio vocis ac- & passivæ:
 “Quòd si quis aliter quidquam retinere
 “deprehensus aut convictus fuerit, is
 “biennio activã & passivã voce privatus
 “sit, atque etiam juxta suã regulæ &
 “Ordinis constitutiones puniatur.” *Tri-
 “dent. Sess. 25. de Regular. cap. 2.*

Quæres undecimo. Quæ ex voto casti-
 tatis sequuntur obligationes?

1. Quantumvis formula Professionis
 votum castitatis explicite non contine-
 ret, Religiosus tamen eo ipso, quo pro-
 fiteretur, ad castitatem obligaretur,
 cum custodia castitatis Statui religioso

essentialiter sit annexa. *Cir. cap. cum ad
 monasterium.* Votum castitatis duo in-
 cludit: 1mo. Fit obligatio ad vitanda
 omnia peccata tam in - quàm externa,
 quæ sunt contra castitatis votum, ita, ut
 omnis actus contra castitatem in Reli-
 gioso non solum sit peccatum carnis, sed
 etiam sacrilegium.

2do. Fit obligatio abstinendi à con-
 jugio & omni actu conjugali, ita, ut Reli-
 giosi non solum peccent, sed etiam ex-
 communicationem matrimonium con-
 trahendo incurrant. *Clement. unic. de
 consang. & affin.* Et matrimonium taliter
 contractum irritum est & invalidum. *Cap.
 unic. de vot. in 6.* Specialiter observanda
 sunt sequentia:

1mo. Peccatum contra castitatem,
 quod in Sæcularibus solum est veniale, ut
 verbum inhonestum, in Religioso ra-
 tione scandali mortale fieri potest. Ratio
 est: quia cum Sæculares talia in Reli-
 gioso vident, grave concepiunt scanda-
 lum, quod peccatum scandali juxta
 multos est contra votum castitatis, eò
 quòd peccatum scandali (si scandalum
 directum, juxta omnes) ad eandem spe-
 ciem, ad quam pertinet peccatum illud,
 ad quod inducit, reducat.

2do. Clemens VIII. in decreto de re-
 servatione Casuum inter casus, qui à
 Superioribus regularibus reservari pos-
 sunt, novum posuit: *Lapsus carnis vo-
 luntarium, opere consummatum.* Per quæ
 verba non solum fornicatio, adulterium,
 &c. sed etiam quæcunque voluntaria
 pollutio intelligitur, eò quòd sit lapsus
 carnis in sua specie consummatum, quam-
 vis in ordine ad alium actum consumma-
 tus non sit.

310. Ob castitatem à Religiosis Viris conservandam ab Ecclesia prohibitum est, ne fœminæ cujuscunque qualitatis vel conditionis intra Claustra admittantur. Ad hoc plures *Canones à Gratiano causa 18. q. 2.* referuntur, qui per constitutiones S. Pii V. & Gregor. XIII. renouantur.

Quæres *duodecimo*. Quam obligationem votum obedientiæ inducit?

R. Per votum obedientiæ, quod inter substantialia Religionis vota præcipuum est, DEO propria voluntas offertur, quæ potior est, quàm corpus per votum castitatis DEO dedicatum, & nobilior, quàm bona temporalia, per votum paupertatis abdicata, illo se Professionem emitteus obligat ad obediendum Superiori præcipienti ea, quæ vel directè vel indirectè, explicitè vel implicitè regulæ sunt consentanea. Ideo

1^{mo}. Religiosus ad obedientiam formalem, per quam Superiorum præcepta, quatenus præcepta sunt, exequatur, ex voto obedientiæ non obligatur, Ratio est: quia obedientiam non sub motivo obedientiæ, sed solum materialem obedientiam, hoc est, rei, quæ præcipitur, vovit executionem; attamen votum obedientiæ ad non contemnendum Superioris præceptum obligat, cum dicet obediendum secundùm regulam, in qua obligatione continetur, ne mandata Superioris contemnantur.

2^{do}. Religiosus ad ea, quæ suum Superiorem velle novit, ut subditus faciat, nisi hæc voluntas aliquo præcepto intimetur, vi voti obedientiæ non tenetur, Ratio est: quia solum Superioris præceptum obe-

dientiæ est objectum, voluntas autem Superioris, nisi sit intimata, non habet rationem præcepti: nihilominus obedire voluntati Superiorum non intimatæ est perfectissima non præcepti, sed consilii obedientia.

3^{io}. Religiosus Superiori juxta regulam, sive in illis, quæ directè vel indirectè in regula continentur, præcipienti solum obedire tenetur; illa autem directè & explicitè in regula continentur, quæ in ea verbis exprimuntur, de quorum intelligentia nulli est dubium. Implicitè & indirectè continentur in ea, quæ licet non exprimantur, ad regulam tamen pertinent observantiam, ut sunt obsequia communitatis, fraternæ charitatis munia, coërcitio per pœnas, &c. sine quibus regularis disciplina salva consistere non potest.


4^{to}. Religiosus Prælato contra regulam præcipienti obedire non tenetur, nisi in casu, quo Prælatus auctoritatem justamque causam in regula dispensandi haberet, quia Prælatorum potestas non in destructionem regulæ, Juris Divini & Pontificii diminutionem, nec in animarum data est dispendium.

5^{to}. Nec Religiosus Superiori supra regulam imperanti obedire obligatur, tota enim Prælati jurisdictio & auctoritas præcipiendi ex sola subditi oritur promissione, quâ tantum se ad obediendum juxta regulam adstrinxit, ideo valet illud S. Bernardi: Nihil mihi præcipiat Prælatus eorum, quæ non promisi, nihil prohibeat eorum, quæ promisi.

6^{to}. Religiosus omnibus Prælatis gradatim & respectivè obedientiam præstare de-

debet: quamvis enim Religiosus per votum obedientiæ se immediatè locali tradat Prælato, mediatè tamen omnibus aliis altioribus Prælati subicitur. Est igitur talis inter Superiores, quibus Religiosus subditur, distinctio: extra Ordinem sunt Papa, S. Congregatio à summo Pontifice Regularibus præposita, & ab his Delegati, Episcopus in casibus, in quibus Religiosi ab ipsius jurisdictione non sunt exempti. Intra Ordinem sunt Generalis, Provincialis, Superiores locales, inter Superiores Locales quidam in utroque foro jurisdictionem obtinent, & hi propriè Prælati sunt; alii non jurisdictionem in foro externo, sed

secundùm se solam habent potestatem æconomicam, suntque Prælatorum Coadjutores, quibus eidem in regimine monasterii assistere incumbit, & curare, ut regularis observantia intertineatur, &c. His etiam Professus vi voti obedientiæ obedire tenetur, si præcipiant ea, quæ ad domus pertinent disciplinam; licet enim in his Superioribus non sit potestas dominativa, ex voto obedientiæ, uti est in Prælato, orta, eo ipso tamen quo à Prælato Coadjutores constituuntur, potestas præcipiendi ea, quæ regularem concernunt disciplinam, ipsis communicatur.



A P P E N D I X

D E

S A N C T I M O N I A L I B U S.

Sanctimoniales omnes cujuscunque Ordinis sive Prælato regulari, sive Episcopis subjectæ ad observantiam trium votorum, Regulæ & Religionis suæ Constitutionum eodem modo, quo alii Religiosi, sunt obligatæ, exceptis iis, qui fragili sexui & infirmitati repugnant: sunt enim verè Religiosæ, iisdemque privilegiis, quibus Religiosi, gaudentes personæ: jura tamen quædam specialiter circa ipsas ordinaverunt. Unde

Quæres primo, Quid circa Monialium receptionem ordinatum?

R. 1mo. In cap. periculoso. 1. de Stat. Regular. in 6. prohibetur, ne in monasteriis Ordinum non Mendicantium plures de cætero Sorores vel Moniales, quàm quot ex bonis vel proventibus earundem absque penuria sustentari possint, recipiantur, id innovatur & extenditur à Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 3. In monasteriis & domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantum numerus constituitur, ac imposterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel

vel ex consuetis eleëmofynis commodè possit sustentari. Hoc detretum Interpretes explicantes dicunt, nisi dos adferatur, ex qua supernumeraria sustentari valeat; per hoc enim intentioni Ecclesiæ sufficienter providetur.

2do. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 18.* quatuor actiones prohibet: 1mo. Cogere mulierem ad ingressum monasterii, ut ibidem habitum suscipiat, præterquam in casibus à jure expressis, 2do. Dare auxilium, consilium vel favorem ad coactum hunc ingressum. 3tio. Interponere propriam præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem hunc in finem. 4to. Sine justa causa impedire, ne mulier in monasterio Professionem emitat.

3tio. Circa ætatem & examinationem investendarum statuit *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 17.* ut puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major 12. annis sit, nec ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia Professionem emitat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat, & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius & Ordinis Regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat, cujus Professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfeta monasterii eam ante mensẽ certiore

R.D. Schmorrenberg *Instit. 7. Can.*

facere, quòd si Præfeta certiore Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspena sit. In hoc decreto tria statuuntur: 1mo. Ut investienda sit annorum duodecim, ut probabilior tenet sententia. 2do. Ut puella duodecim annorum investienda ante investitionem ab Episcopo examinetur. 3tio. Ut Novitia investita iterum ante Professionem per Episcopum à Præfeta Monialium mensẽ ante Professionem admonitum examinetur propter declarationem S. Congregationis apud *Thom. Zerol. in prax. Episcop. verb. Monialis.* Consuetudine tamen videtur receptum, ut Romæ scribit *Lexan. tom. 1. cap. 25. n. 12.* quòd solùm semel ante Professionem examinetur.

Quæres secundo. Quæ circa velum Monialium sacri Canonis ordinaverunt?

re. *Gloss. in can. devotis. 11. caus. 20. q. 1.* hanc facit distinctionem: 1mo. Velum nigrum Professionis olim dabatur anno ætatis 12. *Can. puella. 2. caus. 20. q. 2.* Post *Trident.* datur anno 16. completo, quo validè emittitur Professio. 2do. Velum consecrationis olim dabatur anno ætatis 25. *Can. placuit. 14. caus. 20. q. 1.* idque solis virginibus. *Cit. can. placuit. can. Virgines. 15. ibid.* Cùm velum Professionis omnibus profitentibus daretur. *Can. omnes femina. 36. caus. 27. q. 1.* & quidem à solo Episcopo. *Can. sancti Monialis. 24. dist. 23. can. 1. dist. 25.* & tantum in diebus solemnibus, ut in Epiphania Domini, Dominica in Albis, in Natalitiis Apostolorum, diebus Domini.

H h

cis.

cis. *Cit. can. devotis. & can. Virgines.* 3^{to}. Velum ordinationis, quod olim Diaconissis ad inchoandum Officium ac Homilias legendas non ante annum 40. dabatur. *Can. Diaconissam, 23. caus. 27. q. 1. 4^{to}.* Velum Prælationis, quod olim Abbatissis dabatur anno ætatis 60. *Can. juvenulas, 12. caus. 20. q. 1.* Postea anno 30. completo. *Cap. indemnitatibus, 43. de elect. in 6.* Hodie post *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 7.* nisi personarum sit inopia ad Abbatissam eligendam, ætatis annus 40. requiritur. 5^{to}. Velum continentia, quod viduis ad Religionem conversis dabatur. *Can. vidua, 34. caus. 27. q. 1. 6^{to}.* Velum conversionis vel probationis, quod Novitiis in habitus susceptione datur, estque communiter album.

Quæres tertio. Quomodo Monialibus præcipitur clausura?

ꝛ. In *cap. periculoso. unic. de Stat. Regular. in 6.* universas & singulas Moniales præsentis atque futuras, cujuscunque Religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cætero permanere clausura præcipitur. Quam constitutionem *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 5.* tali innovavit decreto: "Bonifacii VIII. constitutionem, quæ incipit: *Periculoso*, renovans "sancta Synodus universis Episcopis sub "obtestatione Divini Judicii & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi "subjectis ordinariâ, in aliis verò "Se-dis Apostolicæ autoritate clausuram

"Sanctimonialium, ubi violata fuerit, "diligenter restitui, & ubi inviolata est, "conservari maxime procurent, inobedi- "dientes atque contradictores per cen- "suras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, "quâcunque appellatione postpositâ, "compescentes, invocato etiam ad hoc "auxilio brachii sæcularis, quod auxili- "um ut præbeatur, omnes Christia- "nos Principes hortatur sancta Syno- "dus, & sub excommunicationis pœ- "na ipso facto incurrenda, omnibus "Magistratibus sæcularibus injungit." S. Pius V. ad idem intentum duas constitutiones edidit, unam anno 1566, in qua magis decreta Bonifac. VIII. & *Concil. Trident.* explicat, alteram anno 1569. in qua rigidius eandem clausuram præcipit, justas causas concedendæ licentiæ exponens, quas Gregor. XIII. alique Pontifices confirmaverunt.

Quæres quarto. Qui sunt Clausuræ perpetuæ effectus?

ꝛ. Sequentes: 1^{mo}. Nulla Monialis cujuscunque instituti tacitè vel expressè Religionem professâ, etiamsi conversa, vel quocunque nomine appelletur, quamvis ex institutis vel foundationibus earum Regulæ ad Clausuram non teneantur, nec unquam in earum monasteriis vel domibus etiam ab immemoriali tempore ea servata fuerit, potest licitè egredi monasterii sui claustra, sive interiora septa ad loca, ubi Sæculares intrant, etiam ad breve tempus, sub quocunque prætextu, nisi ex aliqua causa legitima ab Episcopo ap-

approbanda, indultis quibuscunque & privilegiis non obstantibus, Moniales aliter, quàm concessum est, egredientes, & licentiam aliter concedentes, quin & concomitantes, recipientes &c. excommunicationem majorem Papæ reservatam incurrunt, & tam egredientes, quàm licentiam dantes privantur dignitatibus, administrationibus, officiis, & ad illa imposterùm obtinenda sunt inhabiles ex Constitutione S. Pii V.

2do. Nulli personæ cujuscunque sexûs extraneæ ad Moniales intra septa monasterii ingredi licet juxta *cit. cap. periculoso*, ibi: "Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ (nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) ingressus vel accessus pateat ad eandem, ut sic à publicis & mundanis conspectibus separatæ, omninò DEO servare valeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublatâ, eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligenter custodire." Hæc magis declaravit *Trident. loc. cit.* his verbis: Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis & sexûs vel ætatis fuerint, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.

3tio. Nec tantùm extraneis septa monasteriorum Monialium ingredi, sed etiam ad ea monasteria extra casus necessarios accedere jure vetitum est. Con-

stat ex *cit. cap. periculoso. junct. gloss. verb. honesta. cap. monasteria. s. de vita & honest. Cler. can. definimus. 21. caus. 18. q. 2.*

"ibi: Si contigerit, ut aliquam propinquam suam videre voluerit Monachus, in præsentia Abbatissæ huic confabuletur per modica & compendiosa verba, & in brevi ab ea discedat."

Quæres quinto. Quid circa licentiam Monialium ex Clausura exeundi ordinatum?

1o. Justa causa, ob quam Monialibus exeundi licentia concedi possit, in *cit. cap. periculoso*, unica exprimitur; scilicet: "Nisi fortè tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari." Quod mitiores Theologi extendunt ad casum, quo Monialis morbo periculoso, etsi aliàs non contagioso, laborat, ita, ut Medici eam morituram judicent, nisi exierit; quia, inquirunt, humanæ leges tam severè non obligant, ut periculum mortis ad eas servandas subire cogamur, & hic infirmitatis prætextus nimis familiaris & quotidianus est Monialibus.

2do. S. Pius V. has causas expressit: Nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis, lepræ vel epidimiæ, &c. & quia hæc causæ à S. Pio V. ad *Concil. Trident.* & constitutionem Bonifacii VIII in *cap. periculoso*, expressæ, ideo Moniales ob alias causas timiles, vel magis urgentes, ut ob Hæreticorum vel aliorum hostium incursiones, &c.

exire possunt, quia per particulam taxativam: *Tantum*, casus similes, in quibus eadem vel similis aut magis urgens militat ratio, non excluduntur.

3^{tio}. Alias causæ de jure exeundi approbatæ sunt sequentes: 1^{ma}. Si Monialis in alio monasterio ejusdem Ordinis fiat Abbatisa. 2^{da}. Si Abbatisa ad fundandum aliud monasterium egrediatur. 3^{ta}. Si Monialis ad aliud monasterium correctionis gratiâ transferatur, quia in proprio monasterio commodè corrigi nequit. 4^a. Si Monialis ab uno monasterio ad aliud strictioris Observantiæ exire velit. 5^a. Si totum monasterium in alium locum commodiorem transferendum, ut est rure in urbem juxta præceptum *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 5.* 6^a. Si Abbatisa ratione feudi homagium personaliter præstare debeat. *Cit. cap. periculoso, §. verum. in 6.*

Quæres sexto. Quid circa licentiam monasteria Monialium ingrediendi ordinatum?

R. 1^{mo}. Ne quidem ipse Episcopus vel Ordinis Prælatus, qui aliis licentiam dare possunt, extra casum necessitatis licitè ingrediendi habent facultatem, ut declaravit Gregor. XIII.

2^{do}. Ipse Episcopus vel Superior in casibus necessariis, nullo tamen modo in aliis etiam vigore cujuscunque facultatis vel indulti licentiam ingrediendi concedere potest juxta declarationem *Trident.* Hanc igitur ingrediendi licentiam dare potest Episcopus auctoritate ordinariâ, quoad monasteria sibi

subjecta, delegatâ verò quoad exempta & Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, ad Prælatos autem Regulares hanc licentiam indulgere pertinet, si monasteria mediatè exempta; nomine Superioris intelligitur Generalis, Provincialis vel Prælatus localis, ceteri Moniales subjiuntur. Quamvis ex novissimis constitutionibus S. Pii V. & Gregor. XIII. licentiam exeundi Monialibus, & ingrediendi earum monasteria etiam exempta Episcopus approbare debeat, nec ullus Regularis vel secularis ullo privilegio vel exemptione se tueri possit, quò minùs si circa personas intra septa degentes, vel circa Clausuram monasteriorum Monialium etiam Regularibus subditarum deliquerit, ab Episcopo tanquam ad hoc Sedi Apostolicæ Delegato, quoties & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeat, licet certum & indubitatum sit, hæc in omnibus Monialium monasteriis in partibus nostris haud esse recepta.

Quæres septimo. Quæ causæ ingrediendi clausuram?

R. 1^{mo}. Causæ necessariæ ingrediendi clausuram non ex ingrediendis, sed monasterii necessitate desumendæ sunt, ut sapiùs declaravit sacra Congregatio: sufficit autem necessitas moralis; sic datur licentia Sacerdotibus ad Sacramenta infirmis ministranda, Medicis, Chirurgis, Fabris & operariis ad ædificium, vel similia opera necessaria peragenda.

2^{do}. DD. quoque communiter excipere

pere solent: *1mo.* Pueros, qui ante rationis usum admitti possunt, cum in illis ratio prohibitionis, nempe periculum incitationis ad peccatum cessare noscatur. *2do.* Puellas sæculares, quæ in monasterio educantur, ut declaravit sacra Congregatio; si tamen eadem monasteria ante Concilium huiusmodi puellas recipere consueverint, & à Superioribus licentiam scriptam impetraverint, atque Abbatissæ vel aliarum Monialium consensus accesserit, ac ipsæ puellæ eo vestitu, qui virginali pudori ac modestiæ conveniat, intromittantur, nullamq; secum familiam adducant, nec manere in iis possint, nisi usque ad ætatis annum 25. atque in monasteriis, in quibus fuerint, eandem servent Clausuræ Regulam & legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exiverint, nullam habeant ad ea revertendi facultatem. Demùm admitti possunt pro totius monasterii obsequio Famulæ sæculares, quando non sunt conversæ, quæ istud monasterium exercere valeant, dummodò foràs non exeant, & de licentia Superiorum admittantur.

Quares octavo. Quænam circa Sacramentum Pœnitentiæ ordinata?

1mo. Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 10. Episcopos aliòsque monasteriorum Monialium Superiores adhortatur, ut procurent, quatenus Moniales saltèm secum singulis mensibus confessionem peccatorum facere, & Ss. Eucharistiam suscipere non omittant, ut eo salutari præsidio se muniant ad

omnes impugnationes Dæmonis fortiter superandas.

2do. Trident. ibid. constituit, ut præter ordinarium Confessarium alius extraordinarius ab Episcopo & aliis Superioribus bis vel ter in anno Monialibus offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

3tio. Ex constitutione Gregor. XV. *Inscrutabili.* Confessarii quomodocunque exempti tam ordinarii, quàm extraordinarii ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valent, nisi priùs ab Episcopo Diocæsano idonei judicentur, & approbationem, qua gratis concedenda est, obtineant.

4to. Ex declaratione S. Congregationis ad dictam Constitutionem: *Inscrutabili.* Confessarius ordinarius omni triennio mutari debet, si approbatus ad confessiones excipiendas in uno monasterio, absque nova approbatione in alio Monialium monasterio Confessarium agere nequit. Episcopus ex causa rationabili Superiores Regulares admonere potest, ut huiusmodi Confessarium amoveant, & Superiore id negligente aut detrectante ipse Episcopus talem Confessarium amovendi habet auctoritatem.

5to. Demùm Confessarius extraordinarius ab Episcopo ad semel audiendas Monialium confessiones approbatus, in virtute ejusdem approbationis pluries earum confessiones excipere nequit, sed toties quoties novâ indiget Episcopi licentiâ. Hanc constitutionem:

Inscrutabili. cum declarationibus S. Congregationis, quam cum suis declarationibus innovavit Clemens X. in constitutione: *Superna Patrisfamilias.* non esse in omni rigore quoad omnes partes suas hisce in locis receptam, nemo negare potest.

Quæres *nono.* Quid circa Sacramentum Eucharistiæ?

ꝛ. *Trident. loc. cit.* prohibet, ne sanctissimum Christi Corpus intra chorum monialium vel septa monasterii, sed in publica Ecclesia conservetur.

Quæres *decimo.* Quid circa administrationem bonorum?

ꝛ. Gregor. XV. in cit. constitutione: *Inscrutabili.* circa administrationem bonorum monasteriorum monialium disponit sequentia:

imo. Administratores bonorum ad monasteria monialium pertinentium sive Regulares, sive Sæculares quomodolibet exempti Episcopo loci singulis annis rationes administrationis gratis tamen exigendas reddere teneantur.

2do. Ex causa rationabili, quam tamen Episcopus juxta declarationem S. Congregationis dicere non tenetur, administratoris amo-

tionem petere, & si Superiores Regulares amotionem recusaverint, ipsemet eundem amovere potest.

Quæres *undecimo.* Quid circa visitationem?

ꝛ. *imo.* Singula monialium monasteria non exempta per Ordinarios autoritate ordinariâ, exempta & Sedi Apostolicæ immediatè subjecta per eosdem autoritate delegatâ, & exempta Regularibus subjecta per Prælatos Regulares quotannis visitanda sunt juxta formam & modum *Clement. attendentes. 2. de Stat. Monach.* Quæ Clementina per *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 9.* est renovata.

2do. Collegia Canonissarum sæcularium, quorum status à jure nec approbatus, nec reprobatus existit, ut loquuntur Pontifices. *Cit. Clement. & cap. indemnitatibus. 43. s. supradicta. de elect. in 6.* Per Ordinarios vel autoritate ordinariâ, vel delegatâ, si sint exempta, sunt visitanda. *Cit. Clement.*

Quæres *duodecimo.* Quid circa Abbatissas monialium est tenendum?

ꝛ. Abbatissa vel Priorissa de jure communi à monialibus monasterii,

nafterii, cui præficienda est, eligitur juxta formam *cit. cap. indemnitatibus*. Votum in electione habent moniales professæ Chorales, conversæ per consuetudinem excluduntur. *id. m. s. 313. 109*

2do. Episcopus unâ cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum electionibus per se vel per alium interesse potest per *cit. constitutionem: Inscrutabili*. Si tamen Abbatissa Superiori Regulari subjecta, huic & non Episcopo competit electæ confirmatio, ut declaravit S. Congregatio. Episcopus vel Superior Regularis electioni præsidens clausuram ingredi nequit, sed vota singularum ante Cancellos excipienda. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 7.*

3tio. Eligenda in Abbatissam vel Priorissam, quæ monasterii Superior est, debet esse ætatis 40. annorum, & octo annis professa, vel ad minus 30. annorum, & quinque annis professa. *Trident. loc. cit.* Electio tamen ex defectu horum nulla non est, & Episcopus confirmans in hac ætate de facto dispensat.

4to. Abbatissa electa & confirmata, si benedici solita sit, intra annum à confirmatione benedi-

ctionem suscipere debet, alias jure suo excidit, per *cit. Clement. 2. §. statuimus. de Stat. Monach.*

5to. Abbatissa Monialibus præceptum obligans ad culpam materiæ proportionalem imponere potest; etsi enim Abbatissa veram & propriam non habeat jurisdictionem spiritualement, cum illius fœmina incapax sit, habet tamen veram potestatem dominativam, hoc est: administrandi & regendi monasterium, personas & bona illius, ac per consequens in illis, quæ ad domûs regimen pertinent, moniales ipsi, sicut aliis Prælati obediunt tenentur, ideoque subditas sibi moniales Abbatissa ad Regulæ & Constitutionum observantiam adstringere, de delictis inquirere, &c. potest, cum hæc ad potestatem dominativam spectent, & ad minus Abbatissa à confirmante quoad hæc accepit præcipiendi auctoritatem.

6to. Non repugnat, quin Abbatissa Professionem monialium in suo monasterio excipere valeat; nam hæc acceptatio, ut advertit *Lexana*, non est actus jurisdictionis, sed cujusdam Superioritatis; hinc videtur probabilius, quod Abbatissa etiam in virtute S. obedientiæ, scilicet in virtute obe-

obedientiae sibi promissae praecipere queat, & ita hic modus loquendi jurisdictionem spiritua-lem necessario non importat.

7imo. Abbatissa in materia paupertatis aliquid recipiendi vel retinendi licentiam dare potest, nam bonorum sui monasterii habet administrationem.

8vo demum Abbatissa utpote jurisdictionis spiritualis omnino incapax, censuras ferendi, in votis dispensandi, vota commutandi, Novitias recipiendi caret potestate, cum hi actus jurisdictionis spiritualis esse dignoscantur.

Finis Libri Primi.



LIBER